Tertio quantum ad iustitiam operum ; et primo ponit promissionem : *consummatio abbreuiata*, id est destructio in breui facta in exercitu Sennacherib, *inundabit iustitia*, id est faciet inundare iustitiam in populo, infra XXVI[10] « Misereamur impio, et non discet iustitiam : in terra sanctorum iniqua gessit ». Secundo ponit confirmationem : *Consummationem enim*, Naum I[8] « In diluuio pretereunte consummationem faciet loci eius » ; *in medio terre*, id est in Ierusalem, que est in meditullio terre, Ez. V[5] « Ista est Ierusalem, in medio gentium posui eam, et in circuitu eius terras ». Apostolus ad Ro. IX[27] exponit de reliquiis saluandorum ; et uerbum abbreuiatum, secundum Septuaginta, est uerbum euangelii, Matth. XXII[40] « In hiis duobus mandatis uniuersa lex pendet et prophete » ; uel Verbum incarnatum.

Propter hoc hec dicit Dominus. Hic ponitur populi confortatio, et circa hoc duo facit. Primo ponit confortationem : *Noli timere*, infra XLI[14] « Noli timere, uermis Iacob, qui mortui estis ex Israel ». Secundo exponit euasionem, et primo in generali, secundo in speciali : *transibit in Magron* uel *Veniet in Aioth*. Circa primum tria facit. Primo ponitur afflictio : *In uirga*, id est in afflictione obsessionis et depredationis, *et baculum* confringentem, *in uia Egypti*, quia audiens quod rex Etyopie esset egressus de terra sua, ut legitur IV Reg. XIX[9], dimisit terram, et in reditu destruxit ciuitates quas inuenit ueniens per Egypti uiam, Ier. XLVIII[17] « Quomodo confracta est uirga fortis, baculus gloriosus? ».

Secundo affligentium destructio : *Adhuc enim paululum*. Circa quod primo notatur acceleratio : *Adhuc paululum* respectu eternitatis, uel respectu illius temporis in quo affligent, Ez. VIII « De propinquo effundam » ; secundo pene magnitudo : *consummabitur indignatio*, quo ad culpam, *furor*, quo

217 saltus] saluris Fπ 218 Libani] *intra lemma (loco carmeli)* Bo π quos *coni.*] que F qui Bo *om.* π 228 Deut. ...etc. F] *om. cet.* 242 < Ier. XXXI > *suppl.*] *om.* F *def. cet.* 242 Salua...tuum *scrips.cum* F] *om. cet.* 264 hoc hec] hoc hic F quod π 269 Magron] agron *codd.* 273 Egypti *coni.*] -ptum *codd.* 280 Circa...paululum F] *hom. om. cet.*

227 cum paucis...decem ; cf. Hugo. 228 Rectius Deut. XXVIII[62]. 235 Rectius Ez. XXIX[7]. 260 Septuaginta : uel ipse Hier. (140 A ; 142). 263 uel... : cf. Hugo. 282 Rectius Ez. VII[8].

[26] Et suscitabit super eum Dominus exercituum flagellum iuxta plagam Madian in petra Oreb et uirgam suam super mare et leuabit eam in uia Egypti. [27] Et erit in die illa, auferetur onus eius de humero tuo et iugum eius de collo tuo, et computrescet iugum a facie olei. [28] Veniet in Aioth et transibit in Magron, apud Magmas commendabit uasa sua. [29] Transierunt cursim, Gabee sedes nostra, obstupuit Rama, Gabaa Saulis fugit. [30] Hinni uoce tua, filia Gallim; attende Laisa, paupercula Anathot. [31] Migrauit Medemena; habitatores Gebim, confortamini: [32] adhuc dies est ut in Nob stetur; agitabit manum suam super montem filie Syon, collem Ierusalem. [33] Ecce dominator Dominus exercituum confringet lagunculam in terrore, et excelsi statura succidentur et sublimes humiliabuntur, [34] et subuertentur condensa saltus ferro, et Libanus cum excelsis cadet.

ad uindictam; tertio quo ad puniendi facilitatem: *meus*, <...> Iudicum VII[25]; *et super mare* Rubrum, Exo. XIV[21-29], *et leuabit eam*, contra te primo, *in uia Egypti*, quia in Egyptiis confidebas.

Tertio ponitur consequens liberatio, et primo liberatio: *Auferetur honus*, Ier. XXX[8] « In die illa conteram iugum eius de colle tuo, et uincula eius disrumpam »; secundo liberationis ratio: *a facie olei* diuine misericordie, supra I[6] « Vulnus et liuor et plaga tumens non est circumligata, neque curata medicamine, neque fota oleo ».

Veniet in Aioth. Hic describitur in speciali. Et primo ponitur oppressio, numerans ciuitates per quas transiuit ueniens de Egypto in Ierusalem: *ueniet* de Egypto *in Aioth*, *transibit* cursim *in Magron*; *apud Machmas*, ciuitatem quandam, *commendabit uasa sua*, dimittet partem supellectilis sue ut expeditus ueniat. *Transierunt cursim*, non impediti propter resistentiam illarum ciuitatum; *Gabaa sedes nostra*, uox exercitus qui ibi quieuit; *obstupuit Rama*, id est timuit quia uicinus erat; *Gabaa Saulis*, ciuitas regalis tempore Saulis. *Hinni*, more equorum; *attende Laysa*, quomodo possis fugere, et similiter tu *paupercula Anathoth*, quia parua uilla erat. *Medemena migrauit*, fugit, et similiter *habitatores Gabim*; uox Sennacherib ad exercitum: *Confortamini: adhuc dies est ut in Nobe stetur*, uilla prope Ierusalem; quasi dicat: Adhuc est tantum de die quod possumus illic figere tentoria, quia diuinatum erat ei quod si illa die illuc applicaret, quod uincerentur. Vel: O *habitatores Gabim*, *confortamini*, quia hostes prope sunt. *Agitabit*, ad modum comminantis, infra XXXVII[23-24] « Ad Sanctum Israel. In manu seruorum tuorum exprobrasti Domino ».

Secundo hostium destructio: *Ecce dominator.* Et primo facilitas ex parte punientis: *confringet*, ad similitudinem facti Gedeon, Iudicum VII[19-20]; secundo uniuersalitas ex parte punitorum: *excelsi*, quantum ad fortes corpore, *sublimes*, quantum ad principes, *condensa saltus*, ad multitudinem populi, id est frutices que faciunt siluam spissam, *et Libanus*, ipse Sennacherib, qui interfectus fuit a filiis suis, infra XXVII. Mistice Glosa: *confringet lagunculam*, in passione Christi.

Nota super illo uerbo *Et erit lumen Israel in ignem*, quod Deus noster dicitur ignis primo quia subtilis; et quantum ad hoc dicitur subtilis quantum ad substantiam, quia dicitur spiritus, Io. IV[24] « Spiritus est Deus »; secundo quantum ad scientiam, quia penetrabilis, Hebr. IV[12] « Viuus est sermo Dei et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti »; tertio quantum ad apparentiam, quia inuisibilis, Iob XXVIII[20] « Vnde ergo sapientia? », et infra eodem « Abscondita est ab oculis omnium uiuentium », uel Iob XXXVIII « Omnes homines ». Secundo quia lucidus: quod autem sit lucidus, patet primo quia manifestat quantum ad intellectum, Ps. « In lumine tuo uidebimus lumen »; secundo quia delectat quantum ad affectum, Tob. V[12] « Quale gaudium est michi qui in tenebris sedeo et lumen celi non uideo? »; tertio quia dirigit quantum ad actum, infra LX[3] « Ambulabunt gentes in lumine tuo et reges in splendore ortus tui ». Tertio quia calidus: et hoc primo quia uiuificat, Iob XXXIX[14] « Tu forsitan in

285 tertio...Iudicum VII] *sic codd.; an locus corruptus?* 300 Machmas] magmas (magron pBo) *codd.* 309 Medemena] medena *codd.* 311 in Nobe stetur] etc. F 313 illic] illuc Fπ 314 diuinatum] detiuatum F *var.* π 321 facilitas F] felicitas *cet.* 326 frutices *coni.*] fructes Bo frutes F fructus π 346 qui] quia Fπ

286 Iudicum VII: ad membrum delapsum pertinere videtur, quale habetur apud Hugonem super 'iuxta plagam Madian'. 304 Gabaa *cum* Ω^{s}. 311 Nobe *cum* Ω^{MS} et *Glossa marg.* 314 diuinatum...: cf. Hugo et Albertus « Hoc autem dicunt Hebraei... » (161 30). 316 Gabim *cum* Ω^{s}. 328 XXVII: rectius Is. XXXVII[38]. *Glossa interlin.* 330 Cf. vers. 17. 339 eodem: Iob XXVIII[21]. 340 Rectius Iob XXXVI[25]. 343 Ps. XXXV[10].

puluere calefacies ea? », Tren. I[13] « De excelsis misit ignem in ossibus meis et erudiuit me » ; secundo quia purgat, Eccli. XXXVIII[29] « Vapor ignis urit carnes eius et in calore fornacis concertatur » ; tertio quia deuastat, Deut. XXXII[22] « Ignis succensus est in furore meo et ardebit usque ad inferni nouissima ». Quarto quia leuis : et hoc primo propter motum, quia « uniuersa propter semet ipsum operatus est Dominus », Prou. XVI[4] ; secundo propter situm, quia « in altis habitat », Ps. ; tertio propter incommixtionis modum, Sap. VIII « Attingit autem ubique propter munditiam suam, uapor est enim uirtutis Dei ».

361 incommixtionis] inamixtionis F commixtionis π

361 Ps. CXII[5]. 362 Rectius Sap. VII[24-25].



Firenze, Laurenz. Plut. XXVI.5 (= F), fol. 213 r

Document III



Bologna, Univ. 1655[16] (= Bo), fol. 6 r

Document IV



Bologna, Univ. 1655[16] (= Bo), fol. 6 v

DOCUMENT V



Vat. lat. 9850 (= A), fol. 111 r

DOCUMENT VI



Vat. lat. 9850 (= A), fol. 108 v





Document IX

Nota quod hic ait Super dies tuos. addam. quia secundum sua demerita erat terminus suorum dierum. ita dicit in dimidio dierum meorum. quia hic loquitur ipse secundum facultatem et uirtutem et processum humane nature cuius iuventus uidetur esse dimidium.

Ego dixi. Aliter
- ponit mala que incurrit
  - quantum ad intempestive mortis horrorem
  - quantum ad bonorum amissionem
  - quantum ad cordis enxietatem. De mane et hoc ex duobus
    - ex continua mortis expectatione. quia de mane credo mori in sero et de sero in mane etc.
    - ex diuersarum affectionum successione. et hoc tripliciter :
      - quia affectiones desiderantis futura. et in hiis sicut cecus. *Sicut pullus.*
      - meditationes preteritorum. et in hiis gemens. *meditabor ut.*
      - expectationes auxilii. in hiis fatigatus pre tedio. *Attenuati.*

  de istis sicut in scripto
- subdit beneficium quod suscepit. *domine uim.*
- subdit emendam quam spopondit. *domine saluum.*

Domine uim patior, hic beneficium quod suscepit.
- exponit status conditionem
  - quantum ad mala quibus premitur
  - quantum ad iustam causam qua flagellatur. responde assumit personam disceptantis personam determinantis *quid dicam* etc.
  - quantum ad remedium. recogitabo. ergo summum remedium ut homo humiliet se
- exponit flagelli correctionem. *domine si sic*
  - ~~supponit correctionis fructum.~~
  - petitionem
    - supponit correctionis fructum. quia *si sic uiuitur*
    - petit ex flagellis beneficium. *corripies.*
    - promittit patientie studium *ecce in pace.* idest in hoc pax michi
  - petitionis exauditionem. *tu autem*
    - ultra petitum. quia petiit uiuificari et hoc fecit tu autem petiit corrigi et hoc indul<sit>
- subdit rationem *quia non infernus*
  - quia
    - homo mortuus non facit ea ad que factus
    - homo uiuens sic

Additions de Réginald : marges du ms. Vat. lat. 9850, fol. 107 r

Document X

Vox clamantis. hic promittit consolatorem.
- premittit preparationem adventus eius.
  - preparatorem innuit. quia *uox.* Iohannes baptista *clamantis* Christi
  - tenorem preparationis subdit. *in deserto.*
- innuit preparationem
  - per metaphoram quomodo paratur uia ut sit bona et hoc
    - quando sine concauo ut sunt ualles. et convexo ut montes. et sic pusillanimitas et superbia in irascibili.
    - quando non distorta per errorem et sic falsitas in rationabili
    - quando non aspera que ingerit dolorem et sic crudelitas in concupiscibili
- subdit preparationis exequtionem. *omnis uallis.*
- ostendit preparationis fructum. et *reuelabitur.* et in hoc nota :
  - ueniendi modum. quia *reuelabitur.*
  - uenientis fastigium. quia *gloria domini.*
  - diuine promissionis ueritatem. *et uidebit.*
- predicit ipsum aduentum. *uox dicentis.*
  - ponitur annunciandi iniunctio. *uox dicentis clama.*
  - queritur denuntiationis condicio. *quid clamabo.*
  - subditur denuntiationis tenor. *omnis caro fenum.*
    - ponitur aduentus necessitas que est humana miseria. *omnis caro.*
    - ponit metaphoram
      - fragilitatem humane nature
        - quantum ad corpus. quid *fenum.*
        - quantum ad animam. quia *flos feni.*
      - causam inducte miserie. quia *cecidit flos.*
      - ipsam miseriam. quia *exsiccatum est fenum.* rationem quia *spiritus.*
    - exponit eam. *uere fenum.*
    - prenuntiatur uenientis dignitas. *super montem.*

Additions de Réginald : marge inférieure du ms. Vat. lat. 9850, fol. 107 v

Document XI



Additions de Réginald : marges du ms. Vat. lat. 9850, fol. 113 v

Document XII



Additions de Réginald : marges du ms. Vat. lat. 9850, fol. 114 r

EXPOSITIO SUPER ISAIAM AD LITTERAM

SIGLA CODICUM

A Bibl. Apost. Vaticana, Vat. lat. 9850
(cod. autographus cap. XXXIV - 1 *lin. 32, cuius lectiones in proprio apparatu adnotantur)*

Bo Bologna, Bibl. Universitaria 1665[16]

F Firenze, Bibl. Laurenziana Plut. XXVI. 5

Sv Sevilla, Bibl. Capitular y Colombina 7-6-3

F^1 Firenze, Bibl. Laurenziana Santa Croce Plut. XXVIII dext. 4
L Leipzig, Universitätsbibl. 161
Om Saint-Omer, Bibl. Municipale 155
V Bibl. Apost. Vaticana, Vat. lat. 5717
Z Zurich, Zentralbibl. Car. C 34

π = consensus codd. F^1LOmVZ

Scribe uisum et explana eum super tabulas ut percurrat qui legerit eum, quia adhuc uisus procul et apparebit in finem, Abacuc II[2-3].

Ex uerbis istis tria possunt accipi circa librum Ysaie prophete quem pre manibus habemus, scilicet actor, modus et materia. Circa primum tria ponuntur, scilicet actor, actoris minister et ministri officium siue donum. Actor ostenditur in dicentis imperio, unde premittitur *Respondit michi Dominus et dixit: Scribe uisum* etc. Actor enim Scripture sacre Spiritus Sanctus est, infra XLVIII[16] « Nunc misit me Dominus » etc., II Petri I[21] « Non enim uoluntate humana » etc.; Spiritus enim « loquitur misteria », sicut dicitur I Cor. XIV[2]. Minister ostenditur in scribentis actu; dicit enim *Scribe* : fuit autem lingua prophete organum Spiritus Sancti, sicut in Ps. dicitur « Lingua mea calamus scribe uelociter scribentis », et I Cor. III[4-5] « Quid igitur est Apollo? quid uero Paulus? ministri eius cui credidistis ». Officium uero ministri ostenditur in uisionis priuilegio, dicit enim *uisum*; « Qui enim hodie dicitur propheta olim uocabatur uidens », sicut I Regum IX[9] dicitur, et Num. XII[6] « Si quis fuerit inter uos propheta Domini in uisione apparebo ei uel per sompnium loquar ad illum ». Sic igitur patet actor.

Sed modus ostenditur in hoc quod sequitur *et explana*. Modus enim istius prophetie planus est et apertus; unde, ut dicitur in Prologo, non uidetur « uaticinari de futuris sed magis de preteritis hystoriam texere ». Et circa hoc tria ponuntur : uisionis explanatio, explanationis ratio et utilitas consequens. Primum ostenditur in hoc quod dicit *explana eum*. Explanatur autem ab eo uisus siue uisio tribus modis : primo per similitudinis adaptationem, secundo per sententie expressionem, tertio per uerborum uenustatem; et in hiis tribus iste propheta alios excellit prophetas. Ponit enim pulcras et curiales similitudines, que quidem sunt necessarie nobis propter connaturalitatem sensus ad rationem : est enim naturale rationi nostre accipere a sensibilibus, unde perspicacius capit ea quorum similia ad sensum uidet; unde Dyonisius in Epistola ad Titum secunda demonstrat hoc, scilicet quod necessarie sunt sensibiles figure in Scripturis « Quicumque plana cum audierint in se ipsis componunt figuram quandam ad intellectum theologie ipsos manuducentem », et Osee XII[10] « In manibus prophetarum assimilatus sum ». Excellit etiam in expressione sententie, « ut uideatur non prophetiam sed euangelium texere », ut dicitur in Prologo galeato; unde dictum est sibi, infra XL[9] « Exalta uocem tuam, noli timere, dic ciuitatibus Iude » etc. Excellit etiam in uerborum uenustate sicut « uir nobilis et urbane eloquentie », ut dicitur in Prologo 2, Prou. XV[2] « Lingua sapientum ornat scientiam ».

Sed huius explanationis tangitur consequenter ratio cum dicit *super tabulas*. Sunt enim tabule legis, sunt tabule lapidei cordis et sunt tabule mollis et carnei cordis, II Cor. III[2-3] « Epistola nostra uos estis, scripta non in tabulis lapideis sed in tabulis cordis carnalibus ». Prime tabule legis scripte fuerunt digito Dei, sicut dicitur Exo. XXI, et ideo scriptura profunda et obscura et plena multis misteriis, unde oportuit superscribi illis tabulis digito hominis planam prophetiam ad explanandum, infra VIII[1] « Sume tibi librum

1 ut Om Sv (*cf. lin.* 82)] et *cet.* 10 etc. *om.* Bo π 12 etc. ...humana etc. *scripsit eum* F] *om. cet.* 13 II *scripsit*.] ita F 14 misteria] ministeria Sv π 17 organum] instrumentum F 20 ministri] -ster F π (-F[1]) 30 ut *om.* Sv π 39 alios] excedit uel alios *add.* Bo F 39 excellit prophetas] *inv.* Bo F excedit π 46 hoc scilicet F] *inv. cet.* sunt F] sint *cet.* 54-58 unde...Prologo *scripsit eum* F Sv] *om. cet.* 55 etc.] ecce deus noster Sv 60 huius *om.* Bo π 63 mollis] et *praem.* Bo π 70 VIII] VII *codd.* (-F)

12 misit me Dominus : ita *I Pars* q.43 a.8 sed c. et alibi; « Dominus Deus misit me » sec. recens. Paris. Ω, scilicet mss Paris B.N. lat. 16721 (= ΩJ), Maz.5 (= Ω[M]) et B.N. lat. 15467 (= Ω[S]). 14 Spiritus : ita *De verit.* q.12 a.12 arg.5 et alibi Thomas cum Ω[MS]; « spiritu » ΩJ *Clem.* 17 Ps. XLIV[2]. 22 hodie... uocabatur : « propheta dicitur hodie uocabatur olim » Ω. 30 Prologo : Hier. *Praefatio in librum Isaiae* (PL 28, 771 C); infra Hier. lin. 10. 45 *Epist. IX* § 1 (PG 3, 1107 B) sec. transl. Sarraceni (Dion. 641). 50 manibus : ita *I Pars* q.1 a.9 sed c., *II-II* q.173 a.2 sed c.; « manu » Ω. 53 Prologo galeato : Hier. *Epist. 53* ad Paulinum (PL 22, 547; CSEL 54, 460). 58 Prologo : cf. infra Hier. lin. 6. 67 Rectius Exod. XXXI[18].

grandem et scribe in eo stilo hominis ». Sed secundis tabulis, scilicet cordibus lapideis, superscribi oportuit plane ad confutandum, Matth. xv[7-8] « Bene prophetauit de uobis Ysaias dicens : Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me ». Sed tertiis tabulis, scilicet cordibus carnalibus, oportuit plane superscribi ad instruendum, Esdre VIII « Signate in libro Dei distincte et aperte ad intelligendum », et sequitur « et intellexerunt cum legeretur ».

Vtilitas autem explanationis ostenditur in hoc quod sequitur *ut percurrat*. Percurrere enim est expedite in finem currendo deuenire. Est autem finis triplex, scilicet finis legis, finis precepti et finis uite : « Finis legis Christus est ad iustitiam omni credenti », sicut dicitur ad Ro. x[4] ; « Finis precepti caritas est », I ad Tim. i[5] ; finis uite mors est, Matth. XXI « Qui perseuerauerit usque in finem hic saluus erit ». Dicit ergo *ut percurrat qui legerit*, ac si dicat : ut qui legerit sine impedimento dubitationis percurrat credendo in Christum, credens amet et in amore perseueret.

Materia tangitur in hoc quod sequitur *quia adhuc uisus procul* ; et est principaliter materia huius libri apparitio Filii Dei, unde in Ecclesia tempore aduentus legitur. Est autem triplex apparitio Filii Dei. Prima qua apparuit in carne homo factus, ad Titum III[4] « Apparuit benignitas et humanitas saluatoris nostri Dei » ; secunda qua apparuit per fidem a mundo creditus, ad Titum II[11-12] « Apparuit gratia saluatoris nostri Dei erudiens nos » ; tertia qua apparebit per speciem in glorificatione, I canon. Io. III[2] « Scimus quoniam cum apparuerit similes ei erimus ». Et iste apparitiones sunt materia istius libri ; unde in Prologo dicitur quod « omnis cura eius est de aduentu Christi et uocatione gentium ».

Sed certe iste qui postea sic uisus est, adhuc suis temporibus procul erat. Siquidem procul quia excelsum in maiestatis equalitate, Iob XXXVI[25-26] « Vnusquisque intuetur procul : ecce Deus magnus uincens scientiam nostram » ; erat etiam procul quia absconsum in prefinitione Patris, Eph. III[9] « Que sit dispensatio sacramenti absconditi a seculis in Deo » ; erat etiam procul quia dilatum in expectatione patrum, Hebr. XI[13] « Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus sed a longe aspicientes ».

Sed certe modo quod erat longe factum est prope, quia excelsum factum est infimum : Verbum enim « caro factum est », Io. i[14] ; quod erat absconsum factum est publicum, quia « unigenitus qui est in sinu Patris ipse enarrauit » ; quod erat dilatum incepit esse iam a sanctis possessum in gloria, Matth. XXV[34] « Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod uobis paratum est ab origine mundi ».

Sic igitur poterat dicere *adhuc uisus procul apparebit in finem*. Fuit enim prima apparitio in finem legis, quia « ubi uenit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum natum ex muliere, factum sub lege », ad Gal. IV[4]. Secunda autem fuit in finem ydolatrie, infra XIX[1] « Ecce Dominus ascendet super nubem leuem et ingredietur Egyptum et mouebuntur simulacra Egypti a facie eius ». Sed tertia erit in finem omnis miserie, quam « absterget Deus ab oculis sanctorum, et non erit amplius neque luctus neque labor, sed nec ullus dolor, quoniam priora transierunt », Apoc. XX. Et hec sunt ultima de quibus Eccli. XLVIII[27-28] dicitur de Ysaia « Spiritu magno uidit ultima, et consolatus est lugentes Syon usque in sempiternum, et ostendit futura et abscondita antequam euenirent ».

78 libro] legis *cum Vulg. add.* Sv 89 Dicit *coni.*] dicat *codd.* (-Om) 94 huius] istius Sv 119 certe modo F] *om. cet.* 129 finem Sv] fine *cet.* 133 finem F] fine *cet.* 136 finem] fine Bo π 138 labor] uel clamor *add.* Bo π

78 II Esdr. VIII[8], ubi habet Ω « Et legerunt in libro... ». 79 sequitur : eodem versu. 88 Matth. XXI : rectius XXIV[13] vel X[22]. 98 Apparuit... humanitas : sic Thomas *Contra Gent.* IV c.3 et alibi ; « benignitas et humanitas apparuit » Ω. 99 saluatoris...Dei : ita *III Pars* q.36 a.1 arg.2 ; « Dei saluatoris nostri » Ω. 105 Prologo : Hier. infra lin.23. 122 unigenitus : ita plerumque Thomas, e.g. *I Pars* q.41 a.3 ; « unigenitus filius » Ω(Ioh. I[18]). 126 percipite : « possidete » Ω. regnum quod...est *cum* Ω[M] : « paratum uobis regnum » Ω[JS] *Clem.* 131 natum ex muliere : cf. *Cat.aurea* super Luc. I[24] sub nomine Basilii « Paulus dicit quoniam misit Deus Filium suum natum...ex muliere » ; alibi autem semper cum Ω legit Thomas « factum ex muliere ». 137 sanctorum...amplius : « eorum et mors ultra non erit » Ω. 138 labor...transierunt : « clamor...abierunt » Ω. 140 Rectius Apoc. XXI[4] ; cf. *Breviarium S.O.P.* resp. in off. comm. plurimorum martyrum « Absterget deus omnem lacrimam ab oculis sanctorum et iam non erit amplius neque luctus neque clamor sed nec ullus dolor. Quoniam priora transierunt » (Prototypum Humberti, Roma, Archivium Gen. Fr. Praed., ms. XIV.L.1, f. 134 ra). 142 Syon : « in Syon » Ω.

PROLOGUS SANCTI IHERONIMI

Nemo, cum prophetas uersibus uiderit esse descriptos, metro eos estimet apud Hebreos ligari, et aliquid simile habere de Psalmis uel operibus Salomonis. Sed quod in Demostene et Tullio solet fieri, ut per cola scribantur et comata, qui utique prosa et non uersibus scripserunt, nos quoque utilitati legentium prouidentes interpretationem nouam nouo scribendi genere distinximus.

Huic autem operi premittit Ieronimus prologum, in quo tria facit : primo ostendit modum dicendi ; secundo modum prophetandi, ibi *Deinde etiam hoc adiciendum* ; tertio modum tractandi, ibi *Prophetauit autem*. Modum dicendi ostendit circa ornatum prolocutionis ex duobus : primo ex ordine uerborum, secundo ex elegantia uerborum, ibi *Ac primum de Ysaia*. Circa primum tria facit : primo remouet ordinem a quibusdam extimatum, scilicet metricum ; secundo demonstrat ordinem a propheta seruatum, ibi *Sed quod in Demostene* ; tertio ostendit eundem modum se esse in sua translatione imitatum, ibi *nos quoque*. *Versibus*, id est breuibus clausulis ; *descriptos*, id est distinctos ; *metro ligari* : metrum grece mensura dicitur, unde illud dicitur metrice describi ubi seruatur certa mensura pedum, sillabarum et temporum ; a qua lege prophete soluti sunt. *Et aliquid habere de Psalmis*, id est eis simile, *uel operibus Salomonis*, quantum ad finem Prouerbiorum et in Canticis canticorum.

In Demostene greco, *Tullio* latino, oratoribus, *qui prosa scripserunt per cola et comata*. Tres sunt distinctiones in scripturis : coma, colon et peryodus, ad similitudinem corporis humani, in quo sunt distinctiones quedam in partibus unius membri, sicut sunt articuli, et distincta membra, sicut manus et pedes, et iterum totum corpus. Prime distinctioni respondet distinctio que fit per comata, quia coma idem est quod incisio uel diuisio ; secunde respondet illa que est per cola, quia colon interpretatur membrum ; sed toti respondet peryodus, peryodus enim dicitur circulatio a pery, quod est circum, et odos, quod est uia : sola autem linea circuli completa est, sicut probat Philosophus.

Sumuntur autem iste distinctiones in scripturis tripliciter. Primo, secundum Ysidorum, in uersibus coma est quando post duos pedes sequitur una sillaba que est pars alterius pedis, quia tunc deciditur pes unus, sicut ibi ‘ Gloria, laus et honor ’ ; cola autem quando accipiuntur duo pedes sine sillaba sequente, ut ‘ carmina dulcia ’ ; sed peryodus quando tota sententia metrice tradita completur. Secundo modo in prosa, secundum Ysidorum et Tullium, coma est quando imperfecte orationes pausatim proferuntur, ut infra I[4] « Ve genti peccatrici, populo graui iniquitate, filiis sceleratis », et dicitur subdistinctio ; cola, quando perfecte orationes cum pausa proferuntur quamuis perfecta non sit sententia, et dicitur distinctio, ut illud eodem « Dereliquerunt Dominum, blasphemauerunt Sanctum Israel, alienati sunt retrorsum » ; peryodus, quando ex pluribus orationibus constat perfecta sententia. Tertio modo sumitur coma a Rabano pro capitulo uno, super illud Ier. XLVIII[29] ‘ Audiuimus superbiam Moab ’, ubi dicit « In superiori <comate> prouocauit ad penitentiam », id est in superiori capitulo. Sed secundo modo accipitur hic.

Nouam, a nobis primo editam de hebreo in latinum ; *nouo genere*, seruato modo qui apud Hebreos est per cola et comata, qui in aliis translationibus non seruabatur.

22 In *coni. ex Hier.*] etiam *codd.* latino] -ne F π 23 prosa] -sam F π 24 scripturis] -ptis Bo π (-F[1]Om) colon *scripsi* (*cf. infra* 31)] colus *codd.* 42 honor] tibi sit etc. *add.* F 44 peryodus] est *add.* F 58 <comate> *suppl.*] *om. codd.* 60 hic] autem *add.* Bo π

15 metrum... : sec. Isid. *Etym.* I c.39 (PL 82, 118 A). 16 metrice describi... : cf. Isid. ibid. (PL 82, 117 C) et Albertus *Postilla super Isaiam* (ed. Col. XIX p. 5,24). 23 Tres... : sec. Isid. *Etym.* II c.18 (PL 82, 133 C), quem hic referunt Hugo de S. Charo et Guerricus de S. Quentino (ms. Oxford New Coll. Libr. 40, f. 2 vb). 30 incisio : sic Hugo et Stephanus Langton *Super Isaiam* (ms. Paris B.N. lat. 14417, f. 159 va) ; cf. Tullius *Orator* 211 et 223. 31 diuisio : *Glossa interlin.* « Commata : diuisiones ». 32 membrum : sec. Isid. *Etym.* II c.18 (PL 82 ; 134 A) et Tullium *Orator* 223. 33 circulatio : cf. Huguccio *Liber Derivationum* s.v. peri (ms. Paris B.N.lat. 17880, f.135 va), ubi tamen legitur ‘ circuitio ’. 36 *De caelo* II 5 (286 b 21). 38 *Etym.* I c.20 (PL 82, 96 A). 41 Gloria... : ex hymno liturgico Dominicae in ramis palmarum, v. gr. in *Processionarium O.P.* (Prototypum Humb., ms. f.61 ra). 46 *Etym.* I c.20 (PL 82,95 C). Tullium : ut allegant Hugo et S. Langton (ms. f.159 va). 47-50 ut infra...subdistinctio : cf. Hugo. 56-60 sumitur...capitulo : cf. Hugo fere ad verbum. 56 Rabanus : *Expositio super Ierem.* XV c.48 (PL 111, 1119 C-D).

Ac primum de Ysaya sciendum quod in sermone suo disertus sit, quippe ut uir nobilis et urbane elegantie, nec habens quicquam in eloquio rusticitatis admixtum; unde accidit ut pre ceteris florem sermonis eius translatio non potuerit conseruare.

Deinde etiam hoc adiciendum quod non tam propheta dicendus sit quam euangelista : ita enim uniuersa Christi Ecclesieque misteria ad liquidum prosecutus est, ut non eum putes de futuro uaticinari sed de preteritis hystoriam texere. Vnde conicio noluisse tunc temporis Septuaginta interpretes fidei sue sacramenta perspicue ethnicis prodere, ne sanctum canibus et margaritas porcis darent; que, cum hanc editionem legeritis, ab illis animaduertetis abscondita.

Nec ignoro quanti laboris sit prophetas intelligere, nec facile quempiam posse iudicare de interpretatione nisi intellexerit antequam legerit, nosque patere morsibus plurimorum qui stimulante inuidia quod consequi non ualent despiciunt. Sciens ergo et prudens in flammam mitto manum, et nichilominus hoc a fastidiosis lectoribus precor : ut quomodo Greci, post Septuaginta translatores Aquilam

Ac primum de Ysaia. Hic ostendit modum dicendi quantum ad elegantiam uerborum. Et circa hoc tria facit : primo ponit modum ; secundo assignat rationem ex condicione dicentis, ibi *quippe ut uir nobilis* ; tertio concludit excusationem defectus in sua translatione a tali modo, ibi *unde accidit* etc. *Disertus*, id est eruditus in eloquentia appareat, *nobilis* genere, quia fuit auus maternus uel affinis Manasse regi Iuda, sicut dicitur in Hystoria. *Vnde accidit* : que pulcre dicuntur in una lingua non sonant pulcre translata in aliam, et ideo quanto ipse pre ceteris prophetis pulcriori eloquio usus est, tanto magis translatio a pulcritudine ipsius deficit ; *florem*, id est dulcedinem et ornatum.

Deinde etiam hoc adiciendum. Hic ostendit modum prophetandi apertum et expressum. Et circa hoc tria facit : primo ostendit modum prophetandi qui dictus est ; secundo ex modo concludit rationem defectus in antiqua translatione Septuaginta, ibi *Vnde conicio* ; tertio excludit contradictionem emulorum, ibi *Nec ignoro* etc. *Non propheta*, quasi ueritatem sub enigmate obscurans, *misteria*, id est secreta, a mistin quod est secretum, ut incarnationem, infra x « Filius datus est nobis », passionem, infra LIII[7] « Tamquam ouis ad occisionem ducetur, et agnus coram tondente se obmutescet », et multa alia. *Ad liquidum*, expresse ; *putes*, putare possis propter expressionem facti, non quantum ad modum qui magis exprimi potest de preteritis quam de futuris, unde in hoc superat euangelista prophetam. *Conicio*, sub quadam coniecturatione existimo ; *ethnicis*, id est gentilibus, ab ethnon quod est gens ; *margaritas*, Matth. VII « Inuenta una pretiosa margarita » ; *abscondita*, occultata. Vnde tria facit : primo ponit defectum ; secundo rationem defectus, ibi *ne sanctum ;* tertio probat per suam editionem, ibi *que cum hanc. Abscondita*, id est sacramenta.

Nec ignoro. Hic refellit contradicentium falsum iudicium. Et circa hoc tria facit : primo ostendit per causam falsum esse eorum iudicium ; secundo conuincit eos per exemplum, ibi *et nichilominus* ; tertio ostendit eis ordinem rectum, ibi *Legant.* Circa primum tria facit : primo ostendit causam falsi iudicii ex parte intellectus : ignorantiam ; secundo ex parte affectus : inuidiam, ibi *nos quoque ;* tertio concludit suam inter contradictiones constantiam, ibi *Sciens ergo. Quanti laboris*, Ps. « Tenebrosa aqua in nubibus aeris ». Contra : supra dixit *ad liquidum*, id est expresse, hunc dicere Christi misteria. Responsio : Verum est quantum ad quedam principaliora. *Morsibus*, id est detractionibus ; *in flammam mitto manum*, id est expono me periculo, et alludit prouerbio uulgari quod habet ortum ex hoc quod Sceuola

87 ueritatem *post* enigmate Sv 88 mistin F] mystin Bo misteri π misterii Sv 103 que Sv] qui *et.* 105 Et...iudicium *hom.om.*Bo π 108 Legant *coni.*] legatum *codd.* 115 dixit] dixerat F id est expresse *om.*F Sv

74 Petrus Comestor *Hist. scholastica* lib. IV Regum c. 32 (PL 198, 1414 B). 88 mistin...secretum : cf. Huguccio s.v. mistis (ms. f. 132 rb). 89 rectius Is. IX[6]. 90 Tamquam : « sicut » Ω et infra cap. 53, 145 ; cf. Act. VIII[32] « Tamquam ovis... ». 96 sub...existimo : cf. Huguccio s.v. conicere (ms. f. 100 rb). 98 ab ethnon... : Isid. *Etym.* VIII c. 10 (PL 82, 314 A). 99 Inuenta...margarita : cf. Matth. XIII[46] ; Hier. tamen manifeste alludit ad Matth. VII[6] « Nolite dare sanctum canibus neque mittatis margaritas vestras ante porcos ». 111 nos quoque *cum* Ω[MS]. 114 Ps. XVII[12]. 119 prouerbio uulgari... : simile habent expositores Petrus Cantor, S. Langton, Hugo, Guerricus, Albertus ; cf. Valerius Maximus *Facta et dicta memorabilia* III c. 3 et 8.

et Simmachum et Theodotionem legunt, uel ob studium doctrine sue uel ut Septuaginta magis ex collatione eorum intelligant, sic et isti saltem unum post ptiores habere dignentur interpretem. Legant prius, et posteades piciant, ne uideantur non ex iudicio sed et ex odii presumptione ignorata dampnare.

Prophetauit autem Ysaias in Ierusalem et in Iudea necdum decem tribubus in captiuitatem ductis; ac de utroque regno, nunc commixtim nunc separatim, texit oraculum; et cum interdum ad presentem respiciat hystoriam, et post Babilonie captiuitatem reditum populi significet in Iudeam, tamen omnis eius cura de uocatione gentium et de aduentu Christi est.

Quem quanto plus amatis, o Paula et Eustochium, tanto magis ab eo petite ut pro obtrectatione presenti qua me indesinenter emuli laniant, ipse michi mercedem restituat in futuro, qui scit me ob hoc in peregrine lingue eruditione sudasse, ne Iudei de falsitate scripturarum ecclesiis eius diutius insultarent.

manum qua Cillium interfecit, credens Sillam interficere, misit in ignem dicens « Pereat manus que hoc scelus operata est ». *Ob studium*, id est exercitium scientie.

Prophetauit. Hic ponit modum tractandi. Et circa hoc tria facit : primo tangit tractatus ordinem quantum ad tempus et materiam et modum simul ; secundo tangit intentionem, ibi *cum interdum* ; tertio ex intentione concludit orationis petitionem, ibi *Quem quanto*.

121 Cillium *conl.*] tillium F sSv tillicium pSv et illium Bo et illum π

121 Cillium : cf. Alberti codd. in apparatu ed. Col. p. 8.

CAPITVLVM I

1 Visio Ysaie filii Amos, quam uidit super Iudam et Ierusalem in diebus Ozie, Ioatham, Achaz, Ezechie, regum Iuda.

Visio Ysaie filii Amos. Iste liber diuiditur in duas partes : in prohemium, et tractatum qui incipit ibi *Audite celi.* Prohemium inducitur quasi titulus ad manifestationem sequentis operis. Manifestatur autem ex quatuor : primo ex operis genere ; secundo ex actore, ibi *Ysaie* ; tertio ex materia, ibi *quam uidit* ; quarto ex tempore, ibi *in diebus.* Genus operis ostenditur in hoc quod dicit *Visio,* in quo differt a libris hystorialibus quia prophetia est, Osee XII[12] « Ego uisiones multiplicaui », et sequitur « In manibus prophetarum assimilatus sum ».

Hic oportet tria uidere : primo qualiter se habeat uisio ad prophetiam, secundo de modis prophetalium uisionum, tertio de differentia prophetice uisionis ad alias uisiones. Circa primum sciendum est quod prophetia potest habere duplicem interpretationem, secundum quod potest uenire a phanos, quod est apparitio, uel a for faris. Secundum primam derivationem dicitur propheta habens apparitionem de hiis que procul sunt ; et secundum hoc prophetia differt a uisione in modo, quia apparitio dicit relationem uisibilis ad uidentem, sed uisio e conuerso. Iterum se habet ex additione : quia uisio est de quibuscumque, sed prophetia de hiis que procul sunt. Dicuntur autem aliqua esse procul a cognitione nostra dupliciter : simpliciter et secundum quid. Simpliciter procul sunt futura contingentia ad utrumlibet, quorum non potest accipi determinata cognitio neque in se neque in suis causis : et de hiis prophetia proprie est ; secundum quid procul sunt quorum cognitio disiungitur a cognoscente, sicut quedam preterita et quedam presentia : et de hiis non est prophetia simpliciter, sed quoad nescientes. Sed secundum secundam deriuationem dicitur propheta quasi procul fans : et sic prophetia addit supra uisionem actum exterioris denuntiationis, et uisio erit materialis respectu prophetie.

Circa secundum sciendum est quod modi prophetalium uisionum distinguntur secundum ea in quibus accipitur prescientia futuri contingentis. Illud autem est aut species facta in sensu, et dicitur uisio corporalis, quia sensus accipit species presentibus corporibus quorum sunt ; aut est species recepta in ymaginatione, et dicitur uisio spiritualis, quia primo manifestatur in ipsa actus et proprietas spiritualis que est cognoscere rem abstractam a materia ; aut est species existens tantum in intellectu, et dicitur uisio intellectualis. Et est sciendum quod prophetia saluatur in istis tribus sicut totum potentiale in suis partibus, cuius natura est quod secundum perfectam suam uirtutem est in uno, et in aliis quedam participatio et quidam modus illius ; sicut est in anima quod eius tota uirtus saluatur perfecte in anima rationali, et sensibilis non habet perfectam anime uirtutem, et adhuc minus anima uegetabilis : propter quod dicit Gregorius quod plante non uiuunt per animam sed per uirorem. Similiter etiam corporalis uisio et spiritualis uel ymaginaria est aliquid prophetie ; sed non possunt dici uere prophetie nisi addatur uisio intellectualis, in qua est completa ratio prophetie, Dan. X[1] « Intelligentia enim opus est in uisione », unde antecedit « Intellexitque sermonem », scilicet Daniel. Visio autem primo et proprie dicitur de uisione corporali ; et quia

7 ibi *om.* Bo π 10 prophetia] -ta Sv 24 Iterum sBo] unde *cet.* 26 prophetia] est *add.* F 30 accipi] alicui Bo aliter π 31 causis] prouenire *add.* Bo π 33 disiungitur *coni.*] distinguitur *codd.* 39 erit] est F 43 contingentis] -gentia F π *dub.* Bo Sv 49 spiritualis Sv] -tualitatis F -tualiter Bo π 52 est sciendum *inv.*Sv 56 modus Sv] motus *cet.* 57 perfecte F] *om.cet.* 58 anime uirtutem *inv.* Sv 63 dici uere *inv.* Sv 66 unde...Daniel *om.* F antecedit] ante dicitur Sv *def.* F

3 Vers. 2. 11 sequitur : ibid. manibus : cf. Prol., 50 in nota. 18 duplicem... : cf. Huguccio s.v. fannos (ms. f.67 vb) et for (ms. f.74 vb) ; item Thomas *Super I Cor.* cap.14 lect.1. 21 que procul sunt : ut frequenter apud Thomam e.g. *De verit.* q.12 a.1, *II-II* q.171 a.1 ; cf. Philippus Cancell. *Summa de bono* « dicimus quod <prophetia> est reuelatio eorum que procul sunt » (ms. Vat. lat.7669, f.68 va). 28 dupliciter... : cf. *De verit.* q.12 a.2, *II-II* q.171 a.3. 37 quasi procul fans : Albertus q. *De prophetia* « proprie dicitur prophetia quasi procul fans » (ms. Vat.lat.781, f.10 ra), et ipse Thomas *III Pars* q.7 a.8. 42 distinguntur... : cf. August. *Super Gen. ad litt.* XII c.6-7 (PL 34, 458-59 ; CSEL 28.1, 386-90) ut refert Thomas *II-II* q.174 a.1 ad 3. 60 *In Euang.* hom.29 « non per animam sed per viriditatem » (PL 76, 1214 A-B).

omnis nostra cognitio est a sensu, inter quos uisus potior est et subtilitate et uniuersalitate, quia plures rerum differentias nobis ostendit, ideo transfertur nomen uisionis ad alias interiores cognitiones.

Circa tertium sciendum quod non quelibet uisio intellectualis est uisio prophetalis. Est enim quedam uisio ad quam sufficit lumen naturale intellectus, sicut est contemplatio inuisibilium per principia rationis ; et in hac contemplatione ponebant philosophi summam felicitatem hominis. Est iterum quedam contemplatio ad quam eleuatur homo per lumen fidei sufficienter, sicut sanctorum in uia. Est etiam quedam beatorum in patria, ad quam eleuatur intellectus per lumen glorie, uidens Deum per essentiam in quantum est obiectum beatitudinis ; et hoc plene et perfecte non est nisi in patria, sed quandoque ad ipsam raptim aliquis eleuatur etiam existens in hac mortali uita, sicut fuit in raptu Pauli, II Cor. XII[2] « Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim, siue in corpore » etc., ubi dicit Glosa quod uidit sicut illi qui sunt de tertia ierarchia. Nulla autem istarum est uisio prophetalis, quia ad ipsam neque lumen nature neque lumen fidei sufficit ; sed eleuatur ad ipsam intellectus prophete per lumen gratie gratis date quod est donum prophetie, nondum tamen attingit ad uidendum Deum prout est obiectum beatitudinis, sed prout est ratio eorum que pertinent ad dispositionem hominum in mundo. Similiter non omnis uisio corporalis uel ymaginaria dicitur prophetica, sed illa tantum que fit per speciem specialiter diuina uirtute ad hoc ordinatam ut sit in signum alicuius futuri, siue uidens siue alius intelligentiam accipiat.

Actor tangitur in hoc quod dicit *Ysaie filii Amos*. Et quamuis iste Amos fuerit propheta, quia ponitur in titulo prophetie secundum regulam Hebreorum, non tamen est ille qui est de numero duodecim prophetarum, quia aliis elementis apud Hebreos uterque scribitur.

Materia tangitur in hoc quod dicit *quam uidit super Iudam et Ierusalem*, quia de hiis que pertinent ad Iudam et Ierusalem, ut li super accipiatur pro de secundum translationem Symachi, uel pro contra secundum Septuaginta : ut Iuda sumatur pro terra duarum tribuum et Ierusalem pro metropoli illius regionis ; uel Iuda pro sorte Iude et Ierusalem pro sorte Beniamin, quia in sorte illius erat quantum ad corpus ciuitatis quod erat in decliui, quamuis quantum ad uerticem montis in quo erat turris Dauid et templum pertineret ad domum Dei, sicut potest Iosue XV haberi.

In diebus. Hic notificatur opus ex tempore, et ponuntur quatuor reges quorum tempore Ysaias prophetiam hanc edidit. Unde quidam diuidunt hunc librum secundum tempora regum sub quibus reuelationem accepit, ut in prima parte ponantur ea que uisa sunt tempore Ozie ; in secunda ea que uisa sunt tempore Ioatham, in VI cap. *In anno quo mortuus est* ; in tertia ea que uisa sunt tempore Achaz, a VII cap. usque ad finem XIV ubi dicitur *In anno quo mortuus est rex Achaz* ; et inde usque ad finem ea que uisa sunt tempore Ezechie.

Sed queritur quare non facit mentionem de regibus Israel, sicut Osee in suo titulo facit mentionem de Ieroboam filio Ioas, cum fuerint contemporanei. — Ad quod dicendum quod iste prophetauit contra duas tribus principaliter, et ideo eorum reges tantum in titulo habet ; sed ille contra utrosque.

Item queritur quare non fit mentio de Manasse rege Iuda, sub quo etiam propheta uixit, cum constet eum non amisisse spiritum prophetie. — Ad quod dicendum quod omnia que in hoc libro scripta sunt temporibus prophetarum uidit, sed non erat decens ut prophetia que principaliter consolationis est in comminatione terminaretur, aut quod tempore mali regis, qui iram Dei prouocabat, Dei consolatio predicaretur, Ier. XV[4] « Dabo eos in furorem uniuersis regnis terre ».

69 est a sensu] a sensu procedit F quos Sv] quas *cet.* 71 rerum differentias *inv.* Sv nobis F] *om. cet.* 72 uisionis F] cognitionis *cet.* 74 sciendum] est *add.* Sv 80 Est] et F π contemplatio] hominis *add.* pBo F 89 annos...etc. *om.* Sv 102 ordinatam *scripsi.cum* F[1]] -nata *cet.* 109 scribitur Sv] describitur *cet.* 111 super...Ierusalem] etc. Sv 128 Ioatham] scilicet *add.* F 129 est] etc. *add.* Sv 130 VII F] VI *cet.* 132 sunt uisa *inv.* Sv 136 dicendum] est *add.* Sv 143 dicendum] est *add.* Sv omnia] illa *add.* F 145 prophetia] -eta Bo Sv 145 que *scripsi. cum* π] qui *cet.*

70 potior : Arist. *Metaph.* I 1 (980 a 26) ut refert Thomas *I-II* q.83 a.4 arg.3. 79 philosophi : quos scilicet recitat Thomas *Super Sent. IV* d.49 q.2 a.1, *Contra Gent.* III c.41-44 ; et ipse Arist. secundum *I Pars* q.88 a.1. 90 *Glossa marg.* et *Glossa Petri Lomb.* ibid. (PL 192, 82 D). 106 regulam Hebreorum : eandem praebent expositores ex Hier. *Super Soph.* I[1] (PL 25, 1338 B ; CCL 76[A], 656) ; cf. apud Ω *Prol. in Soph.* quem hic refert Guerricus (ms. f.3 vb). 108 aliis...scribitur : cf. *Glossa marg.* hic ex Hier. *In Isaiam* (PL 24, 22 C ; CCL 73, 5 ; ad istas edd. postea brevius referimus). 112 accipiatur... : cf. *Glossa marg.* ex Hier. (21 C ; 5). 114 sumatur... : item Glossa marg. ex Hier. *In Isaiam* I[1] parvula abbreviatio (937 B ; 803). 116 uel Iuda... : cf. Haymo *Super Isaiam* hic (PL 116, 716 D). 121 Ios. XV[1-8]. 124 quidam : praesertim Guerricus (ms. f.4 ra). 131 Vers. 28. 133 queritur... : cf. Guerricus (ms. f.4 ra). 134 Os. I[1]. 140 queritur... : cf. Guerricus (ms. f.3 vb) et Andreas de S. Victore *Super Isaiam* hic (ms. Paris Maz. 175, f.51 ra). 149 furorem *cum* Ω[M] : « feruorem » Ω[JS] *Clem.*

[2] Audite celi, et auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est : Filios enutriui et exaltaui, ipsi autem spreuerunt me.

Audite celi et auribus percipe terra. Hic incipit tractatus istius libri ; unde accipiatur diuisio secundum exigentiam materie. Dictum est autem quod principaliter intentio eius est circa aduentum Christi et gentium uocationem ; constat autem quod « uniuerse uie Domini misericordia et ueritas », ut dicitur in Psalmo : unde Christo nato dictum est a Simeone, Luce II[34], « Ecce hic positus est in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel », et intrantibus gentibus dictum est ab Apostolo, Ro. XI[25], « Cecitas ex parte contingit in Israel donec plenitudo gentium subintraret ». Diuiditur ergo liber iste in duas partes : in prima ponitur comminatio diuine iustitie ad excidium peccatorum ; in secunda consolatio diuine misericordie ad resurrectionem iustorum, cap. XL, ibi *Consolamini*.

Prima in tres. Cum enim principaliter super Iudam et Ierusalem loquatur, in prima parte comminatur duabus tribubus peccantibus ; in secunda aliis eas persequentibus, VII cap. *Et factum est* ; in tertia liberat ab hostibus imminentibus, XXXII cap. *Ecce in iustitia*. Prima diuiditur in duas : in prima exprobrat culpam et comminatur penam corrigentem, in secunda comminatur penam incorrigibiles condempnantem, VI cap. *In anno quo mortuus est rex Ozias*. Prima diuiditur in duas : in prima arguit de culpa ex parte auersionis, in secunda ex parte conuersionis, II cap., ibi *Verbum quod uidit*. Prima in duas : in prima arguit in eis peccatum auersionis a cultu Dei, in secunda a iustitia proximi, ibi *Quomodo facta est*. Prima in tres : in prima increpat culpam ; in secunda pro culpa comminatur penam, ibi *Terra uestra deserta* ; in tertia querit pene medelam, ibi *Audite uerbum Domini*. Prima in tres : in prima querit iudicii testem ; in secunda arguit peccati deformitatem, ibi *Filios enutriui* ; in tertia ostendit peccantium incorrigibilitatem, ibi *Super quo percutiam uos*.

Requirit autem creaturam in testem in iudicium peccati, que etiam fuerat testis in obligationem precepti, Deut. XXXII[1] « Audite celi que loquor ». Fuerat enim creatura testis obligationis ad preceptum, Deut. XXXII, nunc inuocatur ut arbiter transgressionis, Ps. « Aduocauit celum desursum » ; sed quandoque uocabitur ut instrumentum diuine ultionis, Sap. XVI[24] « Creatura Creatori suo deseruiens excandescet in tormentum aduersus iniustos ».

Sed uidetur inconueniens quod terra et celum, que sunt insensibiles creature, uocentur ad audiendum. — Sed dicendum quod ad ea que sunt rationalis nature uocatur insensibilis creatura : ad ostendendam diuinam potentiam, Iob XXXVIII « Conclusi eum terminis meis », et Ro. IV[17] « Vocat ea que non sunt tamquam ea que sunt » ; et per facti euidentiam, II Regum XII[12] « Ego uero faciam uerbum istud in conspectu omnis Israel et in conspectu solis », et Luce XIX[40] « Lapides clamabunt si hii tacuerint, dico uobis » ; ad exagerandam malitiam, Ier. II[12] « Obstupescite celi super hoc et porte eius desolamini uehementer » ; ad magnificandam letitiam, Ps. « Letentur celi et exultet terra » ; ad stupendam tristitiam, Osee IV[3] « Propter hoc lugebit terra et infirmabitur omnis qui habitat in ea », ac si diceret : Peccatum uestrum est adeo patens quod ab irrationabilibus, si fieri posset, conuinceretur ; et similiter de aliis. Vel est ibi methonomia, ut ponatur celum pro angelis et terra pro hominibus.

Celi, plurale pro singulari ; uel quia ad litteram sunt plures celi, et unum centrum quod est terra. *Dominus locutus est*, ipsum loquentem audiatis quo loquente facta estis, Ps. « Dixit, et facta sunt ; mandauit, et creata sunt ». *Audite celi*, quasi distantes ; *percipe terra*, quasi propinqua.

Filios enutriui. Hic ostendit peccati deformitatem. Et circa hoc tria facit : primo ostendit contemptum in affectu ; secundo ignorantiam in

150 et...terra] etc. Sv 156 ut dicitur in *om.* Sv 159 Israhel F *(et sic persaepe)* 162 ergo] autem F 177 arguit] eos *add.* F 180 arguit...peccatum auersionis] arguit...auersionem F arguitur...de auersione Sv 191 obligationem] -one Bo π 198 excandescet] -scit *cum* ΩJ[M] π 203 nature] creature uel *praem.* Sv uocatur(-antur F)...creatura] uocantur insensibiles creature Sv 207 per facti Sv] perfecti Bo F perfectiorem π 209 in Sv] *om. cet.* 210 tacuerint] -runt F π 224 facta[1]] facti F 225 mandauit...sunt] mandauit etc. Sv etc. π 227 enutriui *om.* Sv

152 secundum exigentiam materie : contra opinionem Guerrici « ...pro diuersis temporibus et non secundum materiam » (ms. f.4 ra). Dictum est : Prol., 93-107. 156 Ps. XXIV[10]. 160 contingit *cum* ΩJ : « contigit » Ω[MS] *Clem.* 161 subintraret : « intraret » Ω. 181 Vers. 21. 183 Vers. 7. 185 Vers. 10. 187 Vers. 2. 188 Vers. 5. 195 Ps. XLIX[4]. 197 Creatori suo : « tibi factori » Ω. 204 Iob XXXVIII [9,10] « Quis conclusit ostiis mare?...Circumdedi illud terminis meis » Ω. 210 Luc. XIX[40] « Dico uobis quia si hii tacuerint lapides clamabunt » Ω. 213 Ps. XCV[11]. 219 methonomia : cf. Hugo ex *Glossa interlin.* 221 plurale pro singulari : *Glossa marg.* sub nomine Hieron. ; cf. Hier. hic (25 B ; 16). 222 unum centrum : cf. Arist. *De caelo* II 26 (296 b 8) et ipse Thomas *I Pars* q.68 a.4 ad 1. 224 Ps. CXLVIII[4].

[3] Cognouit bos possessorem suum, et asinus presepe domini sui ; Israel autem me non cognouit, et populus meus non intellexit. [4] Ve genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis. Dereliquerunt Dominum, blasphemauerunt Sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum. [5] Super quo percutiam uos ultra addentes preuaricationem ? Omne caput languidum, et omne cor merens.

Tertio quantum ad studiosam ciborum preparationem, que contingit ex quadam elatione, ponit penam humiliationis, ibi *et descendent*. Et ostendit eos humiliandos quantum ad tria. Primo quantum ad captiuationem, unde dicit *descendent*, quasi humiliati, *ad eum*, scilicet infernum captiuitatis, *fortes eius*, quantum ad potentes, *et sublimes eius*, quantum ad diuites et aliis bonis eminentes de quibus superbiunt, *gloriosique*, quantum ad nobiles et famosos; Ier. xxxix[6-7] « Et omnes nobiles Iuda occidit rex Babilonis. Oculos quoque Sedechie eruit, et uinxit eum in compedibus, ut duceretur in Babilonem »; et infra, eodem « Et reliquias populi qui remanserunt in ciuitate, et profugas qui transfugerant ad eum, et superfluos uulgi qui remanserunt transtulit Nabuzardan magister militum in Babilonem ». Secundo quantum ad captiuorum depressionem : *Et incuruabitur homo* in captiuitate existens, quantum ad sublimes, *et humiliabitur uir*, quantum ad potentes, *et oculi sublimium*, quantum ad gloriosos, Deut. xxviii[65] « In gentibus quoque illis non quiesces, neque erit requies uestigio pedis tui ». Tertio quantum ad punientis Dei exaltationem : *et exaltabitur*, altus apparebit, qui prius despiciebatur, *in* iusto *iudicio*; *et Deus sanctus*, in se, *sanctificabitur*, sanctus apparebit; supra ii[11] « Exaltabitur autem solus Dominus in die illa ».

Quarto contra speciem que est laute, ponit deuorationem bonorum ab hostibus : *Et agni pascentur*, id est comedentur ab hostibus uestris, *iuxta ordinem suum*, quia meliores prius, quantum

319 inconsideratio] in consideratione Sv π 324 ad affectum *coni.*] aefcm̄ Bo ad effectum *cet.* 330 quia] sed F 339 respondent] -det Bo π 340 prepropere *coni.*] per propere F propere Bo Sv prope π 346 nobiles] autem(*om.* F) qui...cibariis *add. codd.* (*ex lin.* 348) ; *et delevimus* 347 sitim] siti Bo 348 habundabant Sv] -ndant *cet.* 354 unde dicit F] *om. cet* 358 replentur] -etur F Sv 375 qui] que F 382 sublimium] -imes Sv 383 quoque *om.* F 387 sanctificabitur] id est *add.* Sv

359 Vel... : cf. Hugo hic et *Super Hab.* ii[a]. 374 eodem : Ier. xxxix[a]. 387 in se...apparebit : cf. *Glossa interlin.*

et deserta in ubertatem uersa aduene comedent. [18] Ve qui trahitis iniquitatem in funiculis uanitatis et quasi uinculum plaustri peccatum ; [19] qui dicitis : Festinet et cito ueniat opus eius ut uideamus, et appropiet et ueniat consilium Sancti Israel, et sciemus illud !

ad animalia ; et quantum ad terre nascentia : *deserta*, id est agros uestros a uobis desertos, *in ubertatem*, id est facti magis fertiles, *aduene*, Deut. XXVIII[36] « Adducet te Dominus et regem tuum quem constitues super te in gentem quam ignoras tu et patres tui » ; infra, eodem « Aduena qui uersatur tecum in terra ascendet super te eritque sublimior ». Mistice : *agni*, id est sancti, *pascentur*, doctrina Dei Patris reficientur, *iuxta ordinem*, id est capacitatem suam ; *aduene*, gentes, *et deserta* a Iudeis, sacras scilicet Scripturas, *uersa in ubertatem*, spiritualis intelligentie.

Ve qui trahitis. Hic arguit peccandi pertinaciam : et primo arguit culpam, secundo comminatur penam, ibi *Propter hoc sicut.* Circa primum duo facit : primo arguit in generali, secundo explicat in speciali : *qui dicitis.* Dicit ergo primo *Ve qui trahitis*, id est protrahitis, *iniquitatem in funiculis uanitatis*, id est uanis occasionibus quibus ad peccata homo trahitur, dum per augmentum culpa protelatur, Prou. V[22] « Iniquitates sue capiunt impium et funibus peccatorum suorum constringitur ». Et hoc dicitur quantum ad communia peccata ; quantum autem ad grauia subdit *et quasi uinculum plaustri peccatum*, id est quo ligatur et trahitur plaustrum, quod maius est. Et designat grauitatem peccati in plaustro, infra LVIII[6] « Dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes ».

Qui dicitis. Hic ostendit istas uanitates in speciali, ex quibus peccatum trahebant super se. Et hoc quantum ad tria : primo quantum ad contemptum iudicis ; secundo quantum ad excusationem peccati, ibi *Ve qui dicitis* ; tertio quantum ad presumptionem peccandi, ibi *Ve qui sapientes.* Et hic est « funiculus triplex » qui « difficile rumpitur », Eccl. IV[12].

Contempnebant autem iudicis comminationem propter duo, scilicet propter sententie dilationem, unde dicit *Festinet et cito ueniet opus*, captiuitatis, quod comminamini, Eccl. VIII[11] « Etenim quia non profertur cito contra malos sententia, absque timore ullo filii hominum perpetrant mala ». Secundo propter iudicis elongationem, unde dicit *appropiet*, quasi dicat : Ipse est in celo et non potest uidere, sed fiat prope, Ez. IX[9] « Dixerunt enim : Reliquit Dominus terram, et Dominus non uidet ».

Nota super illo uerbo *et quasi uinculum plaustri peccatum* quod peccatum dicitur primo funiculus : et hoc quia trahit primo ad peccati exemplum, Prou. VII[22] « Statim eam sequitur quasi bos ductus ad uictimam, et ignorat quod ad uincula stultus trahatur » ; secundo ad peccandi usum, Ier. II[24] « Onager assuetus in solitudine in desiderio anime sue attraxit uentum amoris sui » ; tertio ad eterne mortis interitum, Prou. XXIV[11] « Erue eos qui ducuntur ad mortem, et qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses ».

Secundo peccatum dicitur uanitas : et hoc quia deficit primo ab imitatione diuine ueritatis, Sap. XIII[1] « Vani sunt omnes homines in quibus non subest scientia Dei » ; secundo a consecutione sperati finis, Eccl. II[26] « Peccatori autem dedit afflictionem et curam superfluam, ut addat et congreget et tradat ei qui placuit Deo : sed et hec uanitas et cassa sollicitudo mentis » ; tertio a longa duratione temporis, Eccli. XVII[29] « Non est immortalis filius hominis et in uanitatem malitie placuerunt », Sap. V[9] « Transierunt omnia illa tamquam umbra et tamquam nuntius precurrens ».

Tertio peccatum dicitur uinculum : et hoc quia nectit primo intellectum ne uideat, Sap. XVII[2-3] « Cum enim persuasum habent iniqui posse dominari nationi sancte, uinculis tenebrarum et longe noctis compediti, inclusi sub tectis, perpetue prouidentie placuerunt : et dum putant se latere in obscuris peccatis, tenebroso obliuionis uelamento dispersi sunt » ; secundo manum, ne bona faciat ; tertio pedes, ne proficiant. De hiis duobus Matth. XXII[13] « Ligatis pedibus eius et manibus, mittite eum in tenebras exteriores ».

Quarto peccatum dicitur plaustrum : et hoc quia opprimit primo seruitutis honere, Ier. XVI[13] « Et seruietis ibi diis alienis die ac nocte, qui non dabunt uobis requiem » ; secundo cordis timore,

395 uestros a uobis] nostros a nobis Fπ 396 fertiles] steriles Sv π 403 capacitatem] captiuitatem F Sv 404 deserta] -rtas Bo F 404 uersa] *inde ab hoc verbo usque ad finem operis altera manu* Sv *praebet easdem ac* Bo *lectiones* 423 uanitates] uarietates Fπ 428 peccandi] peccantis F 429 rumpitur] soluitur F dissoluitur π 448 in[2]] et in Fπ 449 attraxit] -ahit Fπ 460 sollicitudo] similitudo Fπ 469 noctis *coni.*] nectis(*vel* uectis) *codd.* 472 bona faciat *inv.* F

399 eodem : Deut. XXVIII[42]. 401 Mistice : cf. *Glossa interlin.* 408 Vers. 24. 413 dum...protelatur : Gregor. *Moral.* XXXIII c.10 n.18 (PL 76, 683). 427 Vers. 20. 428 Vers. 21. 442 Cf. vers. 18.

[20] Ve qui dicitis malum bonum et bonum malum, ponentes tenebras lucem et lucem tenebras, ponentes amarum in dulce et dulce in amarum! [21] Ve qui sapientes estis in oculis uestris et coram uobismet ipsis prudentes! [22] Ve qui potentes estis ad bibendum uinum et uiri fortes ad miscendam ebrietatem, [23] qui iustificatis impium pro muneribus et iustitiam iusti aufertis ab eo! [24] Propter hoc, sicut deuorat stipulam lingua ignis et calor flamme exurit, sic radix eorum quasi fauilla erit, et germen eorum ut puluis ascendet. Abiecerunt enim legem Domini exercituum et eloquium Sancti Israel blasphemauerunt. [25] Ideo iratus est furor Domini in populo suo, et extendit manum suam super eum et percussit eum, et conturbati sunt montes et facta sunt morticina eorum quasi stercus in medio platearum.

Sap. XVII[10] « Cum sit enim timida nequitia data est in omnium condempnationem » ; tertio conscientie inquietudine, Ys. LVII[20] « Impii autem cor quasi mare feruens, quod quiescere non potest ».

Ve qui dicitis malum bonum. Hic ponitur uanitas quantum ad excusationem peccati. Et primo quantum ad effectum : *malum bonum*, Mich. VII[3] « Malum manuum suarum dicunt bonum » ; secundo quantum ad intellectum : *lucem tenebras*, ueritatem errorem, Io. III[19] « Dilexerunt homines magis tenebras quam lucem » ; tertio quantum ad affectum : *amarum in dulce*, uitam peccati dulcem extimantes, Sap. XIV[22] « Et non suffecerat errasse eos circa Dei scientiam, sed in magno uiuentes inscientie bello : tot et tam magna mala pacem appellant ».

Ve qui sapientes estis. Hic ponitur tertia uanitas quantum ad presumptionem peccandi, que est de tribus. Primo de sapientia cordis, et in speculatiuis : *qui sapientes*, Prou. III[7] « Ne sis sapiens apud temet ipsum », et in practicis : *prudentes*, Ro. XII[16] « Nolite esse prudentes apud uosmet ipsos ». Secundo quantum ad potentiam corporis ad peccandum : *qui potentes estis ad bibendum* ; iactant se quod possunt multum bibere et inebriari, propter consuetudinem terre in qua bibitur uinum mixtum, infra XLI[1] « Taceant ad me insule, et gentes fortitudinem mutent », Prou. II[14] « Letantur cum male fecerint, et exultant in rebus pessimis ». Tertio quantum ad auctoritatem : *qui iustificatis*, id est dicitis uos tante auctoritatis quod pro libito uestro potestis iustificare impium, ut quod uobis placeat legis habeat uigorem, infra X[1] « Ve qui condunt leges iniquas, et scribentes iniustitias scripserunt », Prou. XVII[15] « Et qui iustificat impium, et qui condempnat iustum », Mich. III[5] « Et si quis non dederit in ore eorum quippiam, sanctificant super eum prelium ».

Propter hoc sicut deuorat. Hic comminatur penam. Et primo ponit penam consumptionis sub metaphora ignis : *Propter hoc*, quia iniquitatem trahitis ponentes uobis radicem in peccatis, sicut flamma ignis exurit stipulam quam attingit, *et calor flamme exurit* illam quam distat — persecutio enim captos occidit et alios afflixit, Deut. XXXII[25] « Foris uastabit eos gladius, et intus pauor » —, *sic radix eorum quasi fauilla*, quantum ad ea quibus confidebant, uel patres uel cognati, *et germen eorum*, filii, *ut puluis ascendet*. In quo notatur fortitudo ex causis illis proueniens, Mal. ult. « Et erunt omnes superbi et omnes facientes impietatem stipula, et inflammabit eos ».

Secundo ponit pene processum et ordinem. Et primo ponit pene causam, et precipue quantum ad primam uanitatem ; unde dicit *Abiecerunt enim legem*, corde contempnentes, *et eloquium Sanctum Israel blasphemauerunt*, ore irridentes, Ier. XXXII[23] « Non obedierunt uoci tue, et in lege tua non ambulauerunt ». Secundo punientis iram : *ideo iratus est*, ad modum processus ire in hominibus loquitur, Ps. « Iratus est Dominus furore ». Tertio pene inflictionem : *et extendit manum suam*, potentie ad percutiendum, quam plicatam parcendo tenuerat, Soph. II[13] « Et extendet manum suam super aquilonem, et perdet Assur, et ponet speciosam in solitudinem ». Quarto pene effectum in internecione animorum : *conturbati sunt montes*, id est maiores, pre timore.

Glosa dicit quod loquitur yperbolice. Sed contra : ergo excessit ueritatem propheta. — Et dicendum quod in aliquibus scripturis sumitur pro excessu ueritatis simpliciter, in sacra Scriptura

480 enim] *ante* sit F ei π 495 inscientie] iustitie F et scientie π 498 peccandi] peccati F 503 corporis F] quantum *add. cet.* 529 ut...notatur] opus F 530 Mal.] malis Fπ 534 et...uanitatem(uarietatem F) *coni. cum* F] *om. cet.* 538 et *om.* Fπ 544 extendet] -dit Fπ 547 internecione] interuentione Fπ 552 pro excessu F] per excessum *cet.*

530 Mal. iv[1]. 541 Ps. CV[40]. 549 *Glossa interlin.* ex Hier. (89 C ; 81). Sed contra... : simile argumentum praebent Hugo et Guerricus (ms. f.27 vb).

In omnibus hiis non est auersus furor eius, set adhuc manus eius extenta ; [26] et eleuabit signum in nationibus procul, et sibilabit ad eum de finibus terre. Et ecce festinus uelociter ueniet ; [27] non est deficiens neque laborans in eo ; non dormitabit neque dormiet, neque soluetur cingulum renum eius neque rumpetur corrigia calciamenti eius. [28] Sagitte eius acute, et omnes arcus eius extenti,

pro excessu ueritatis secundum opinionem hominum ; quasi dicat : Conturbatio erit ultra quam credi possit. Vel aliter : yperbole est quidam tropus, et in tropicis locutionibus aliud dicitur et aliud intelligitur ; unde non est falsitas quantum ad sensum quem intendit facere, sicut etiam in metaphora, quasi dicat : Ita magna erit conturbatio quod montes, si esset possibile, conturbabuntur, Ps. « Conturbati sunt montes » etc. Et quantum ad uilitatem corporum : *facta sunt morticina*, Ier. VIII[2] « Non colligentur neque sepelientur ; in sterquilinium super faciem terre erunt », Ier. XVI[4] « Mortibus egrotationum morientur, et non plangentur, et non sepelientur ; in sterquilinium super faciem terre erunt ».

In omnibus hiis non est auersus furor. Hic ponit penam communem et ultimam, quantum ad captiuitatem per Romanos. Et circa hoc tria ponuntur : primo exercitus preparatio ; secundo exercitus dispositio, ibi *Et ecce festinus* ; tertio pene inflictio, ibi *Et tenebit predam*. Circa primum tria ponuntur. Primo congregantis indignatio : *In omnibus hiis*, quasi dicat : Sicut uos peccatis peccata additis, ita ipse penis penas adiungit, infra IX[19-20] « Vir fratri suo non parcet, et declinabit ad dexteram, et esuriet ; et comedet ad sinistram, et non saturabitur ». Secundo uexilli erectio : *Et leuabit signum*, id est uexillum, Ier. IV[6] « Leuate signum in Syon, confortamini et nolite stare : quia malum ego adduco ab aquilone, et contritionem magnam ». Tertio exercitus conuocatio : *et sibilabit*, id est inspirabit, infra VII[18-19] « Et erit in die illa sibilabit Dominus musce que est in extremo fluminum Egypti, et api que est in terra Assur ; et uenient et requiescent omnes in torrentibus uallium ». Et ad hoc quod magis terreat, ponit gentis extraneitatem, et quantum ad cultum : *in nationibus*, ut sancta uestra non reuereantur ; et quantum ad linguam : *procul*, ne uerbis placentur ; et quantum ad mores : *de finibus terre*, ne ab eis federentur.

Ecce festinus. Hic ponitur exercitus dispositio. Et primo ostendit eos expeditos ad ueniendum ; secundo armatos ad pugnandum : *Sagitte eius* ; tertio crudeles ad puniendum : *Rugitus eius*. Circa primum duo ponuntur. Primo ipsorum uelocitas : *Ecce*, pro certo, *festinus*, Tren. IV[19] « Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis celi », Abacuc I[8] « Equites namque eius de longe uenient : uolabunt quasi aquila festinans ad comedendum », Ier. IV[13] « Ecce quasi nubes ascendet, et quasi tempestas currus eius : uelociores aquilis equi illius ».

Secundo uelocitatis causa, secundum remotionem triplicis impedimenti : primo, quod posset contingere ex nature infirmitate, contra quod dicit *non est deficiens*, quem oporteat remanere, *neque laborans in eo*, quem oporteat tarde uenire, infra XL[31] « Qui autem sperant in Domino mutabunt fortitudinem ; assument pennas sicut aquile ; current et non laborarunt ; ambulabunt et non deficient ». Secundo contra illud quod posset esse ex uoluntate dicit *non dormitabit* per pigritiam, ut scilicet pigre uadat, *neque dormiet*, ut resipiscat, Prou. XIX[15] « Pigredo immittit soporem, et anima dissoluta esuriet ». Tertio remouet impedimentum ex rerum necessitate : *neque soluetur cingulum*, et ponit ea quibus uiatores solent impediri ab itinere ; quasi : omnia plus solito durabunt, Deut. XXIX[5] « Adduxi uos quadraginta annis per desertum : non sunt attrita uestimenta uestra, neque calciamenta pedum uestrorum uetustate consumpta sunt ».

Sagitte eius acute. Hic ostendit eos armatos esse ad pugnandum. Et primo quantum ad bonitatem armorum ; et ponit ea que in illis terris sunt maxime consueta : *Sagitte acute*, in quo notatur bonitas sagittarum, *arcus extenti*, in quo preparatio armorum, ne in preparando impediantur, Ps. « Sagitte potentis acute ». Secundo ponit uecti-

562 uilitatem F] utrilitatem Bo utilitatem π 568 auersus] aduersus Fπ 573 ibi F] *om. cet.* 576 penis penas(-am π) *inv.* Fπ 584 et] ibi *praem.* F 585 Dominus *om.* Fπ 586 fluminum] -nis F 590 nationibus] omnibus *praem.* F 596 pugnandum] ibi *add.* F 603 ascendet] -dit Fπ 606 primo F] per *cet.* 608 non est *scrips.*] et *praem.* Bo et non F quod si π 611 assumunt...currunt F 613 contra F] *om. cet.* 615 neque] nec Fπ 620 quasi] dicat *add.* F 621 Adduxi] -xit F

561 Ps. XLV[4]. 572 Vers. 26. 573 Et tenebit : vers 29. 580 leuabit *cum* Ω^{M}. 584 inspirabit : cf. *Glossa interlin.*, Hugo et Guerricus (ms. f. 27 vb). 596 Vers. 28. 597 Vers. 29. 620 omnia...durabunt : *Glossa interlin.* et Hugo. 630 Ps. CXIX[4].

ungule equorum eius ut silex, et rote eius quasi impetus tempestatis. [29] Rugitus eius ut leonis : rugiet ut catuli leonum et frendet ; et tenebit predam et amplexabitur, et non erit qui eruat ; [30] et sonabit super eum in die illa sicut sonitus maris. Aspiciemus in terram, et ecce tenebre tribulationis, et lux obtenebrata est in caligine eius.

galia : *ungule equorum eius ut silex*, qui non frangitur de facili, *et rote eius quasi impetus tempestatis*, propter multitudinem et uelocitatem magnum sonum facientes, Ier. IV[13] « Ecce quasi nubes ascendet, et quasi tempestas currus eius ».

Rugitus eius. Hic ostendit eos crudeles ad puniendum. Et primo quantum ad animositatem : *Rugitus*, Osee XI[10] « Post Dominum ambulabunt ; quasi leo rugiet : quia ipse rugiet, et formidabunt filii maris ». Secundo quantum ad rapacitatem : *rugiet ut catuli leonum*, Ps. « Catuli leonum rugientes ut rapiant ». Tertio quantum ad crudelitatem : *et frendet*, quod est apri, Ps. « Frenduerunt super me dentibus suis », Ps. « Exterminauit eos aper de silua, et singularis ferus depastus est eam ».

Et tenebit. Hic ponitur pene inflictio, et demum punitorum desperatio, ibi *Aspiciemus*. Circa primum ponit tria. Primo comminatur captionem : *tenebit predam*, quasi dicat : sicut predam capiet uos, Naum II[12] « Leo cepit sufficienter catulis suis, et necauit leenis suis, et impleuit preda speluncas suas, et cubile suum rapina ». Secundo sollicitam detentionem : *et amplexabitur*, ne exeatis per eorum incuriam, *et non erit qui eruat*, per eorum impotentiam, Tren. I[14] « Dedit me Dominus in manu, de qua non potero surgere ». Tertio rigidam dominationem : *et sonabit* comminationibus et terroribus, Ier. VI[22] « Ecce populus ueniet de terra aquilonis, et gens magna consurget a finibus terre ; sagittam et scutum arripiet : crudelis est et non miserebitur ; uox eius quasi mare sonabit ».

Aspiciemus in terram. Hic ponit eorum desperationem. Et primo quantum ad auxilium de terra : *Aspiciemus in terram*, undique, *et ecce tenebre*, quia omnes eos persequebantur. Secundo quantum ad auxilium de celo : *et lux*, diuine spei, *obtenebrata est in caligine eius*, Ier. IV[23] « Aspexi terram, et ecce uacua erat et nichili, et celos, et non erat lux in eis ». Et connumerat se propheta in eis per compassionem.

635 facientes] -tem Fπ 639 ambulabunt] -lantem Fπ 646 ferus] seruus Bo 647 et demum *om.* F 650 predam[a]] predicta Bo 670 in *om.* F

642 Ps. CIII[21]. 644 Ps. XXXIV[16]. 645 Ps. LXXIX[14].

CAPITVLVM VI

1 In anno quo mortuus est rex Ozias uidi Dominum sedentem super solium excelsum et eleuatum ; et plena domus a maiestate eius ; et ea que sub ipso erant implebant templum.

In anno quo mortuus est rex. Postquam arguit in duabus tribubus culpam, adiungens penam corrigentem, hic comminatur penam condempnantem finaliter, scilicet penam obdurationis ; et ideo ista pena predicitur per modum sententie et cum solempnitate iudicii. Diuiditur ergo hoc capitulum in tres partes : in prima describitur sententie actor, scilicet iudex ; in secunda sententie denuntiator, minister iudicis, ibi *Et dixi : Ve michi* ; in tertia ponitur ipsa sententia, ibi *Audite audientes.* Circa primum duo ponuntur : primo uisionis tempus ; secundo ipsa uisio, ibi *uidi Dominum sedentem.*

Quantum ad primum dicit *In anno quo mortuus est Ozias*, qui IV Reg. XV[5] dicitur Azarias, percussus lepra a Domino propter hoc quod usurpare uoluit sacerdotale officium, ut dicitur II Paral. XXVI[21] ; sed postquam fuit percussus, filius eius Ioatham gubernauit domum regis et regnum usque ad mortem eius : nec tamen dicitur regnasse tunc, sed magis uices patris gessisse ; sed tunc primo regnauit quando mortuus est pater eius. Unde ista uisio ostensa est regnante Ioatham, et precedentia regnante Ozia.

Vidi Dominum sedentem. Hic ponitur uisio. Et primo describit iudicis solium ; secundo assistentium ministerium, ibi *Seraphim.* Hec autem uisio dicitur a quibusdam fuisse ymaginaria, a quibusdam intellectualis. Et assumitur ab ipso propheta figura ex consimili, sicut dicit Dyonisius in Epistola ad Titum quod prophete hiis que plane uident sine figuris, circumponuntur figure ad manuductionem audientium, qui per figuras sensibiles faciliter concipere possunt. Qualitercumque autem sit, oportet hic duo uidere. Primo ymaginationem figure : uel a propheta uisa, uel ab ipso composita ; et secundo ipsius figure significationem : ad aliquid enim significandum spiritualiter inducuntur sensibiles figure spiritualium in sacra Scriptura, sicut dicit Dyonisius, et ille erit litteralis sensus, sicut etiam in locutionibus metaphoricis non illud quod significatur per uerba, sed quod loquens per uerba uult significare.

Circa primum ergo sciendum quod templum edificatum a Salomone habuit in altitudine centum uiginti cubitos, sicut dicitur II Paral. III[3-4] ; et erat distincta altitudo per tres domos, quarum suprema habebat sexaginta cubitos, et utraque inferiorum triginta. Et de istis dicitur III Reg. VI[8] « Per cochleam ascendebant in medium cenaculum, et a medio in tertium ». Vidit ergo solium Domini in supremo cenaculo, propter quod dicitur *excelsum*, id est altum, sicut *et eleuatum* super omnia cenacula ; et a claritate uultus eius resplendebat medium cenaculum, propter quod dicitur *domus plena maiestate*, id est gloria eius ; *et ea que sub ipso erant*, id est ornamenta troni eius, uel etiam splendor uestimentorum siue subditorum agmina, *implebant* infimum cenaculum in quod intrabant sacerdotes : propter quod dicit *templum.* Alii dicunt aliter quod uidit solium altum in medio cenaculo, quod dicitur domus, que plena erat mediis membris et brachiis Domini ; inferius, quod dicitur templum, pedibus et tibiis, sed caput et collum prominebant in tertium tabulatum : III Reg. ult. « Vidi Dominum super solium suum sedentem, et omnem exercitum celi assistentem et a dextris et a sinistris », Prou. XX[8] « Rex qui sedet in solio iudicii dissipat omne malum in circuitu suo ».

Circa secundum sciendum est quod huius uisionis significatum tripliciter a diuersis assignatur. Quidam enim dicunt per sessionem in solio significari oppressionem captiuitatis futuram, per

9 ibi F] *om. cet.* 34 concipere] accipere F π 38 significandum] signandum F *(et sic deinceps)* 40 ille] illud F 54 a *om.* F 71 secundum] primum F est *om.* F π 72 tripliciter *post* diuersis F

9 Vers. 5. 10 Vers. 9. 28 quibusdam : velut Hugo, Guerricus (ms. f. 28 va), Albertus (ed. Col. p. 85, 39). 29 quibusdam : velut Hieron. (PL 24, 92 C ; CCL 73, 85) secundum Guerricum (ms. f. 28 va) et Guillelmum de Altona (ms. Paris B.N. lat. 573, f. 10 ra). 31 *Epist. IX* § 1 (PG 3, 1108 B ; Dion. 641) ; cf. supra Prol., 45. 40 *Epist. IX* § 1 (PG 3, 1108 A ; Dion. 638), ut refert Thomas *Super Sent. III* d.3 q.3 a.1 sol.2 ; cf. etiam *De cael.hier.* cap.1 § 2 (PG 3, 121 B) sec. transl. Eriugenae (Dion. 733) ut refert *I Pars* q.1 a.9. 58 splendor uestimentorum : sec. Guill. de Altona (ms. f.10 rb). siue...agmina : *Glossa interlin.* et Hugo. 61 Alii : apud Hugonem innominati. 66 III Reg. XXII[19]. 73 Quidam : cf. Hugo, Guill. de Altona (ms. f.10 va).

repletionem domus a maiestate significari quod hostes, qui sub ipsius dispositione erant, essent impleturi templum; et hoc tangunt Hystorie. Ieronimus autem aliter exponit, et melius, per sedentem significari Filii Dei maiestatem, propter quod dicitur Io. XII[41] « Hec dixit Ysaias, quando uidit gloriam eius et locutus est de eo »; per solium significari angelos, in quibus sedet Deus, Ps. « Qui sedes super Cherubim »; per domum, Ecclesiam triumphantem, que plena est gloria eius; per templum, Ecclesiam militantem, que plena est miraculis, uel angelorum agminibus quasi custodibus. Dyonisius aliter exponit in XIII capitulo Celestis ierarchie, et melius, ut uidetur. Per solium significatur eminentia diuine nature, et dicitur *excelsum* propter sui nobilitatem, *eleuatum* quasi supra alia leuatum, in quantum omnia in infinitum excedit; in quo dicitur sedere, propter immobilitatem : unde dicit IX cap. De diuinis nominibus « Quid autem dicendum de diuina statione, preter hoc quod manet in se ipso immobili ydemptitate singulariter fixus ». Et dicitur *domus* tota creatura, que plena est maiestate in quantum impletur participatione bonitatis ipsius secundum suam capacitatem; et per *templum* uidetur intelligere ipsas superiores creaturas, que replentur hiis que sub ipso sunt in quantum bonitates recepte in ipsis deficiunt a bonitate Dei, que tamen uidentur propinquare.

Sed contra hoc obicitur : Exo. XXXIII[20] « Non enim uidebit me homo, et uiuet », id est in hac mortali carne uiuens; et Io. I[18] « Deum nemo uidit umquam ». Ergo nec Ysaias. — Ad quod dicendum quod nec interior nec exterior uisus potest uidere nisi moueatur a uisibili, et secundum quod perfectius immutatur a uisibili melius uidet; et tunc perfectissime uidet quando recipit actionem uisibilis secundum totam suam uirtutem : et inde est quod idem uidetur diuersimode a diuersis, et interius et exterius, a quibusdam melius et a quibusdam peius. Hoc igitur uisibile quod est Deus nichil perfecte comprehendit, nisi quod totum ipsum capit, et ideo ipse solum sic se uidet. Vnde celeste secretum, dicit Crisostomus, non uidetur in essentia sua sine medio, a quibusdam ad hoc secundum perfectionem quam habent a suscepto diuino lumine attingentibus, sicut a beatis in patria et ab hiis qui eleuantur per raptum ad illum modum uisionis. Ab hiis autem minus perfectum uisum habentibus uidetur secundum similitudines quasdam bonitatis ipsius, siue in rebus sensibilibus siue in ymaginibus siue in speciebus intelligibilibus : et huiusmodi est uisio qua uiderunt prophete per lumen prophetie, et qua uidemus per fidem, et qua uidetur per lumen rationis etiam a philosophis qui cognouerunt Deum, sicut dicitur Ro. I[20].

Sed tunc restat questio utrum talem uisionem immediate a Deo perceperint prophete, uel mediantibus angelis. Et uidetur quod immediate, ex ipso modo loquendi, quia dicit *Vidi Dominum*, et non Vidi angelum. Item de Moyse, Exo. XXXIII[11] « Loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet homo loqui ad amicum suum ». Item uiderunt in speculo eternitatis, ut communiter dicitur. Ergo uiderunt quidam Deum. — Ad quod dicendum, secundum Dyonisium IV cap. Celestis ierarchie, quod nullus purus homo, neque in patribus noui neque ueteris Testamenti, accepit aliquam reuelationem a Deo nisi mediantibus angelis. Et hanc dicit esse legem inuiolabilem ut per prima media reducantur infima. Et hoc probat per locum a maiori : quia etiam Moyses legem accepit mediantibus angelis, qui tamen excellentissime uidit; quod probatur per id quod habetur Gal. III[19] « Quid igitur lex ? Propter transgressionem posita est, donec ueniret semen cui promiserat Deus, ordinata per angelos in manu mediatoris », Act. VII[53] « Qui accepistis legem in dispositione angelorum, et non custodistis ».

Ad primum ergo dicendum quod hec ratio potest esse et ex parte finis uisionis, et ex parte principii. Ex parte finis, quia angelus reuelans intendit ducere hominem in cognitionem Dei et non in cognitionem sui : et ideo format uisionem de Deo ut ex hiis que figuraliter uidentur aliquid de Deo cognoscatur. Ex parte autem principii, quia tota uirtus angelici luminis ad manifestandum

78 aliter F] *om. cet.* 79 sedentem F] sedem *cet.* 80 Hec] sicut F 86 uel] et F 94 autem] nam Bo 104 contra] circa Fπ 117 ipse F] *om. cet.* 118 non *om.* F 119 a quibusdam] *post* Crisostomus *codd.*; *hic reponendum ducimus* (*cf. Praef.* § 59) 120 habent *coni.*] habet *codd.* 122 per raptum *post* uisionis Fπ 126 ymaginibus] -ginabilibus Fπ 127 est uisio *inv.* Fπ 130 philosophis] prophetis Fπ 131 Deum] etiam *praem.* sBo π 132 tunc *om.* F 135 dicit] dixit Fπ 139 Item] iterum F 146 media] in ea circa *post* reducantur π 146 infima *om.* F 147 legem accepit *inv.* Fπ

78 Ieronimus : ut ipse Thomas interpretatur *Super Sent. IV* d.50 expos. textus; cf. *Epist. 18* n.4 (PL 22, 363; CSEL 54, 78) et *Glossa interlin.* 83 Ps. LXXIX[2]. 87 § 4 (PG 3, 304 C; Dion. 962) ut Thomas interpretatur *Super Sent. IV* d.50 expos. textus. 93 § 8 (PG 3, 916 B) sec. transl. Sarraceni (Dion. 472). 104 obicitur... : cf. Hugo et alii expositores Mediae Aetatis. 118 Crisostomus : cf. *In Ioh.* hom. 15 n.1 (PG 59, 98) in transl. Burgundionis (*Rech. de théol. anc. et méd.* 19 [1952], pp. 100-102). non...sine medio : cf. Thomas *Super Sent. IV* d.49 q.2 a.1 ad 15. 139 communiter dicitur : cf. Thomas *De verit.* q.12 a.6, *II-II* q.173 a.1. 141 § 3 (PG 3, 180; Dion. 811).

[2] Seraphim stabant super illud ; sex ale uni et sex ale alteri : duabus uelabant faciem eius et duabus uelabant pedes eius et duabus uolabant.

aliquid est ex Deo auctore, qui est fons luminis, sicut in demonstratiuis tota uirtus luminis uel manifestationis est ex primis principiis. Unde dicit Gregorius in Glosa super tertium capitulum Exodi « Angelus qui Moysi apparuisse describitur, modo Dominus, modo angelus nuntiatur. Angelus, quia exterius loquendo seruit ; Dominus, quia interius presidens loquendi efficaciam tribuit. Cum enim loquens ab interiori regitur, et per obsequium angelus, et per inspirationem Dominus memoratur ».

Ad secundum dicendum quod hoc dicitur propter eminentissimum modum clare uisionis quo Moyses super alios prophetas uidit, sicut dicitur Num. XII[6-8].

Ad tertium dicendum quod speculum eternitatis non dicitur ipse Deus, sed ipse species que sunt in anima prophete ; et dicuntur speculum in quantum resultat in eis dispositio sapientie eterne.

Seraphim stabant. Hic ponit ministrorum officium. Et primo describit ministrorum ordinem ; secundo eorum laudem : *Et clamabant : Sanctus.* Circa primum ponit tria. Primo ponit ministrorum gradum, dicens *Seraphim stabant super illud*, scilicet templum, eo quod hic ordo inter omnes supremus est, sicut dicit Dyonisius in Glosa hic. Item nota quod Seraphim scriptum per ' m ' pluralis numeri est et masculini generis, et significat plures de ordine illo ; scriptum uero per ' n ', pluralis numeri est et neutri generis, et significat totum agmen illius ordinis ; sed Seraph singularis numeri est et masculini generis, et significat unum tantum de ordine illo. Infra LXII[6] « Super muros tuos, Ierusalem, constitui custodes : tota die et nocte perpetuo non tacebunt ». Et dicit *stabant*, erecti per contemplationem quasi assistentes. Secundo ponit ministrorum ornatum in senario numero alarum : *sex ale*. Tertio alarum usum : *duabus <uelabant> faciem eius*. In hebreo est ambigue dictum, et potest exponi quod uelabant faciem Dei, et sic accipit Ieronimus ; uel quod uelarent faciem suam, et sic accipit Dyonisius, secundum quem est sensus quod caput erat uelatum et pedes et medium corpus, *duabus uolabant*, scilicet mediis ; Ez. I[23] « Unumquodque duabus alis uelabat corpus suum », et infra eodem « Et aud ebam sonum alarum, quasi sonum aquarum multarum ».

Huius uisionis significatum tripliciter accipitur. Hebreus dicit quod per duodecim alas intelliguntur duodecim reges qui prefuerunt populo ab Ozia, sub quo uisio incepta est, et deinceps ; quorum quatuor tantum iusti fuerunt, scilicet Ozias, Ioatham, Ezechias et Iosias : et ideo quatuor alis uolabant. Alii autem uerecundabantur ante conspectum Dei, et ideo uelabant faciem ; quorum quatuor libere regnum possederunt, scilicet Achaz, Manasses, Amon et Ioatham, qui a populo reges constituti sunt : et hii significantur per alas que erant in capite. Alii uero quatuor regnum sub seruitute aliorum possederunt, unde et ab aliis, et non a populo, reges constituti sunt, sicut Ioachim a Pharaone, Iechonias et Sedechias et Godolias, de quo Ier. XLI[2] dicitur quod « Hismael et decem uiri qui erant cum eo interfecerunt Godoliam, quem prefecerat rex Babilonis terre ». Predicti enim tres ultimi constituti sunt a Nabuchodonosor rege Babilonis.

Ieronimus dicit quod dicuntur alati, uel quia superius commorantur, uel propter uelocitatem ministerii ; et intelligit per duodecim alas ministerium perfectionis, quod commendatur in duodenario, sicut duodecim gemme in diademate sacerdotis, et sic de aliis. *Et duabus uolant*, etc., quia ea que fuerunt ante mundum uel post mundum, nobis celant, et ostendunt que fiunt sex etatibus mundi ; uel quia preterita et futura nobis ignota sunt, sed presentia scimus : ut sic hoc referatur ad actum ministerii, et quod dixit *stabant* ad hoc quod Deo assistunt.

Dyonisius aliter exponit in XIII cap. Celestis

163 auctore] actore Fπ luminis uel *om.* Fπ 172 et...Dominus *hom. om.* π Dominus F] angelus Bo *def.* π 174-178 hoc... dicendum quod *hom. om.* π 185 ponit[a] *om.* Fπ 186 super illud *coni.*] subter illud BoF *om.* π 193 Seraph] seraphin F 201 <uelabant> *suppl.*] *om. codd.* 218 libere regnum *inv.* Fπ 233 quod F] qui *cet.* 237 fiunt] fuerit Fπ 238 F] *om. cet.* 242 XIII] iii Fπ

166 *Glossa marg.* super Exodi III[4] ex Greg. *Moral.* Praefatio cap.1 (PL 75, 517 C). 188 Cf. *De cael. hier.* cap.7 § 1 (PG 3, 205 B ; Dion. 836) ; *Glossa marg.* « Quidam dicunt seraphim virtutes in caelo deo assistentes ». nota... : cf. *Glossa marg.* super Is. VI[6] et expositores ex Hier. (96 B ; 88). 203 PL 24, 93 B-C ; CCL 73, 85 ; cf. Hugo hic. 204 *De cael. hier.* cap.13 § 4 (PG 3, 305 A ; Dion. 965). 208 eodem : Ez. I[24]. 211 Hebreus : apud Hier. *Epist. 18* n.10 (PL 22, 368 ; CSEL 54, 86-87), ut referunt *Glossa marg.* et Hugo. 230 PL 24, 94 B ; CCL 73, 86 ; cf. *Glossa marg.* 232 intelligit... : cf. *Glossa marg.* ex *Epist. 18* n.6 (PL 22, 365 ; CSEL 54, 82). 238 uel quia... : cf. *Glossa interlin.* et *Glossa marg.* ex Hier. (94 A ; 86) ; vide etiam Origenis *In visionem Isaiae* hom. 4 sec. transl. Hier. (PL 24, 913 A). 242 § 4 (PG 3, 304 D ; Dion. 965), cf. *De eccles. hier.* cap.4 § 7 (PG 3, 481 A ; Dion. 1294).

[3] Et clamabant alter ad alterum et dicebant : Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria eius. [4] Et commota sunt superliminaria cardinum a uoce clamantis, et domus impleta est fumo. [5] Et dixi : Ve michi quia tacui, quia uir pollutus labiis ego sum et in medio populi polluta labia habentis ego habito et regem Dominum exercituum uidi oculis meis.

ierarchie et IV Ecclesiastice, et dicit quod dicuntur alati quia ad similitudinem uolantis altam contemplationem et liberam habent. Describitur autem triplex binarius alarum : quia Seraphim uident ea que ad ipsos pertinent qui sunt de prima ierarchia, et que ad alias duas eminentius quam illi : ita quod per unam alam intelligatur capacitas nature et per aliam lumen participatum a Deo, quia hiis duobus eleuantur. Ea autem que ad ierarchias pertinent sunt a Deo sicut a principio et in Deum ordinantur sicut ad finem ; et utroque modo non possunt perfecte intelligi ab angelis : quod significat uelatio. Et sunt etiam in ipsis quasi media inter principium et finem, et sic habent perfectam cognitionem de ipsis et liberam, et ideo duabus mediis uolabant.

Et clamabant. Hic ponit eorum laudem : et circa hoc tria facit. Primo ponit laudandi modum quantum ad deuotionem, quia *clamabant* ex magnitudine affectionis ; quantum ad concordiam, quia uterque ; et quantum ad ordinem, quia *ad alterum* : unus enim accipit ab alio, ut uult Dyonisius, Iob XXXVIII[4,7] « Ubi eras, cum me laudarent simul astra matutina et iubilarent omnes filii Dei ? ».

Secundo ponit laudis canticum, ibi *Sanctus, sanctus, sanctus.* Et tria laudant : personarum trinitatem : *Sanctus, sanctus, sanctus* ; unitatis maiestatem : *Dominus Deus exercituum*, qui omnibus preest, Apoc. IV[8] « Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui est et qui erat et qui uenturus est » ; prouisionis liberalitatem : *Plena est omnis terra gloria eius*, quia usque ad ultimas creaturas, que per terram intelliguntur, et extendit diffusionem sue bonitatis, Ier. XXIII[24] « Numquid non celum et terram ego implebo, ait Dominus ». Et hoc secundum Dyonisium, VII cap. Celestis ierarchie. Ieronimus : *Plena est omnis terra*, per notitiam fidei, Eccli. XLII[16-17] « Gloria Domini plenum est opus eius. Nonne Dominus fecit sanctos enarrare omnia mirabilia sua, que confirmauit Dominus omnipotens stabilis in gloria sua ».

Tertio ibi *Et commota*, ponit laudis effectum, scilicet punitionem peccantium, infra LXV[13-14] « Ecce serui mei comedent, et uos esurietis ; ecce serui mei bibent, et uos sitietis ; ecce serui mei laudabunt pre exultatione cordis, et uos clamabitis pre dolore cordis, et pre contritione spiritus ululabitis ». Et significatur templum diruendum : *commota sunt superliminaria cardinum*, Amos IX[1] « Percute cardinem, et commoueantur superliminaria » ; et comburendum : *et domus repleta est fumo* combustionis a Romanis post agnitam fidem Christi. Vel per fumum, infidelitates Iudeorum ; per commotionem cardinum, amotionem legalium uel cerimoniarum, que erant quasi umbre claudentes aditum ueritatis.

Et dixi. Hic ponitur sententie denuntiator. Et primo ostenditur eius humilitas ; secundo eius puritas : *Et uolauit* ; tertio auctoritas : *Et audiui.* Humilitas in confessione peccati. Confitetur autem triplex peccatum. Primum in locutione, omissionis : *quia tacui*, non arguendo Oziam regem, et sic deplangit culpam ; *tacui* a laude Dei, et sic deplangit dampnum, infra LVI[10] « Speculatores eius ceci omnes, nescierunt uniuersi, canes muti non ualentes latrare, uidentes uana, dormientes et amantes sompnia », Eccli. XV[9] « Non est speciosa laus in ore peccatoris » ; commissionis : *quia uir pollutus labiis*, Eccli. XXIII[17] « Indisciplinate loquele ne assuescat os tuum, est enim in illa uerbum peccati ». Secundo malorum conuersationis : *et in medio populi*, I Cor. XV[33] « Corrumpunt enim bonos mores colloquia praua ». Tertio peccatum presumptionis : *et regem Dominum exercituum*, quasi dicat : Qui impurus est non potest intrare templum eius, quanto magis nec ipsum uidere, Iudicum XIV « Morte moriemur quia uidimus Dominum » ; et hoc fuit reuerentie. Sed Iacob dixit, Gen. XXXII[30] « Vidi Dominum facie ad faciem, et salua facta est anima mea » ; et hoc est confidentie. Ieronimus : « Felix conscientia que tantum in locutione peccauit, non suo uitio, sed populi polluta labia habentis ».

250 participatum *coni.*] participant(*ante* lumen π) *codd.* 253 non *om.* F 273 liberalitatem F] libertatem *cet.* 282 sanctos] omnes Fπ 296 infidelitates *coni.*] -tatis *codd.* 304 Primum F] *om. cet.* 308 uniuersi] omnes Fπ 318 intrare] in *add.* F

264 *De cael.hier.* cap.10 § 2 (PG 3, 273 B ; Dion. 922), *De eccles. hier.* cap.4 § 9 (PG 3, 481 C ; Dion. 1297). 278 § 4 (PG 3, 212 C-D ; Dion. 867). 279 Cf. Hier. *Epist. 18* n.7 (PL 22, 366 ; CSEL 54, 84) ; expressius Hugo « Christi gloriosa notitia ». 295 Vel...Iudeorum : cf. *Glossa interlin.* 320 Rectius Iud. XIII[22]. 324 PL 24, 95 C ; CCL 73, 88.

6 Et uolauit ad me unus de seraphim, et in manu eius calculus quem forcipe tulerat de altari, 7 et tetigit os meum et dixit : Ecce tetigi hoc labia tua, et auferetur iniquitas tua et peccatum tuum mundabitur. 8 Et audiui uocem Domini dicentis : Quem mittam? et quis ibit nobis? Et dixi : Ecce ego sum, mitte me.

Et uolauit ad me. Hic ostenditur puritas ex peccatorum purgatione. Et circa hoc tria ponuntur. Purgationis minister : *uolauit ad me*. Purgationis instrumentum : *et in manu eius calculus de altari* holocaustorum. Altare interius erat de terra, sicut dicitur Exo. xx[24] « Altare de terra facietis michi » ; circumquaque autem erat de lapidibus, ubi congregabantur ignes sacrificii : et de hiis accepit. *Forcipe*, instrumento habente duo brachia, per quod potest significari uirtus receptiua, et per altare ipsa diuina lux uel bonitas, et per calculum donum receptum ad officium purgationis. Vel per ignem tribulatio, per Seraphim Christus, per forcipe duo testamenta, per calculum caritas que in manu, id est operatione, ipsius est. Tertio purgandi modus : *et tetigit os meum et dixit*, sicut in sacramentis est actio et uerborum forma ; *Ecce tetigi* exprimit actum ; *et auferetur iniquitas*, in homines, *peccatum*, in Deum. Et non dicit ' Auferam ', quia solius Dei est peccatum dimittere, infra xliii[25] « Ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me, et peccatorum tuorum non recordabor ». De omnibus hiis Dan. ix[21-22] « Ecce uir Gabriel, quem uidebam in uisione a principio, cito uolans tetigit me in tempore sacrificii uespertini, et docuit me et locutus est michi ».

Sed contra hoc obicitur quod Dyonisius dicit, quod illi de superioribus ordinibus non mittuntur in ministerium ; sed constat Seraphim supremos esse : ergo non uidetur uerum quod ueniant ad purgationem prophete. — Ad quod dicendum quod Gregorius istam questionem tangit in quadam omelia de centum ouibus, et dimittit sub dubio. Dyonisius autem expresse uult quod tantum inferiores mittantur ad nos, et hoc dicit esse per ordinem diuine legis ut inferiora reducantur per media. Quod autem hic dicitur dupliciter soluit : uno modo quod iste angelus purgans dicatur Seraphim equiuoce, non ab ordine sed ab actu quem tunc exercuit : quia igne purgauit, et Seraphim dicitur incendium ; alio modo soluit quod Seraphim dicatur proprie ille qui est de ordine illo, et dicitur purgare non quia ipse immediate purgat, sed quia eius auctoritate uel percepta ab ipso illuminatione inferior angelus purgauit ; et ponit exemplum : sicut dicitur episcopus absoluere quando alius auctoritate ipsius absoluit. Et ideo propter reuerentiam angelus inferior, qui uisionem formauit, reducit in Deum primo et in Seraphim secundo, ac si diceret : Ego purgo te per lumen receptum a Deo mediante Seraphim. Septuaginta habent *carbunculus*, propter similitudinem ignis : habet enim colorem flammantem.

Et audiui uocem. Hic ostenditur ministri auctoritas ex iniunctione officii : et circa hoc tria facit. Primo queritur mittendi consensus, unde dicit *Quem mittam?*, in quo notatur auctoritas ex parte mittentis, Ro. x[15] « Quomodo uero predicabunt nisi mittantur? » ; *et quis ibit?*, missi uoluntas, *nobis*, acquisitiue, ut non querat uanum honorem et non querat lucrum ; e conuerso, Phil. ii[21] « Omnes enim que sua sunt querunt, non que Ihesu Christi ». *Mittam*, in quo notatur unitas essentie, *nobis*, in quo pluralitas personarum,

Secundo ponitur oblatum obsequium : *Et dixi : Ecce ego, mitte me*, infra l[5] « Ego autem non contradico, retrorsum non abii ». Sed uidetur quod hoc fuerit presumptionis, quia Moyses recusauit, Exo. iii[11] « Quis ego sum ut uadam ad Pharaonem, et educam filios Israel ex Egypto ? », Ier. i[6] « Et dixi : A, a, a, Domine Deus, ecce nescio loqui quia puer ego sum ». — Et dicendum quod, sicut dicit Gregorius in Pastorali, et ponitur in principio Ieremie in Glosa, utrumque fuit ex radice caritatis : ille enim propter dilectionem Dei noluit perdere solatium contemplationis, iste propter dilectionem proximi uoluit mitti ut prodesset ; et tamen nec ille iussus pertinaciter recusauit, nec iste prius quam purgatus aut requisitus esset se optulit.

347 ego sum ipse] ego sum F ipse π 357 ueniant] remaneant F 363 esse per] propter F 365 iste] ille Fπ 369 quod *om.* pBo π 369 Seraphim F] *om. cet.* 391 unitas] ueritas Fπ 398 ex] de Fπ 407 prius F] primum *cet.*

338 Vel... : cf. *Glossa marg.* 354 *De cael. hier.* cap.13 § 2 (PG 3, 300 B-C ; Dion. 945) ; cf. Thomas *Super Sent. II* d.10 a.2, *I Pars* q.112 a.2. 360 *In Evang.* II hom.34 n.13 (PL 76, 1254). 361 *De cael. hier.* cap.4 § 3 (PG 3, 181 A), ut refert Thomas *Super Sent. II* d.10 a.2 sed c. 365 soluit : *De cael. hier.* cap.13 §§ 2-3 (PG 3, 300 B-D ; Dion. 942-48), ut refert Thomas *Super Sent. II* d.10 a.2 ad 2. 368 incendium : cf. *Glossa marg.* in Is. vi[a] ex Hier. *Epist. 18* n.6 (PL 22, 364 ; CSEL 54, 81). 373 ponit exemplum : *De cael. hier.* cap.13 § 4 (PG 3, 305 C ; Dion. 962). 379 Septuaginta : ut refert *Glossa marg.* ex Hier. (96 B ; 88). 401 *Regula pastoralis* pars I cap.7 (PL 77, 20 B). 402 *Glossa marg.* super Ier. i[a].

[9] Et dixit : Vade, et dices populo huic : Audite audientes et nolite intelligere, et uidete uisionem et nolite cognoscere. [10] Exceca cor populi huius et aures eius aggraua et oculos eius claude, ne forte uideat oculis suis et auribus suis audiat et corde suo intelligat, et conuertatur et sanem eum. [11] Et dixi : Vsquequo Domine? Et dixit : Donec desolentur ciuitates absque habitatore et domus sine homine, et terra relinquetur deserta, [12] et longe faciet Dominus homines, et multiplicabitur que derelicta fuerat in medio terre, [13] et adhuc in ea decimatio, et conuertetur,

Tertio iniungitur officium ; quantum ad duplicatum actum predicit discurrere : *Et dixit : Vade*, Matth. x[16] « Ecce ego mitto uos sicut oues in medio luporum » ; *et dices populo huic*, Ier. xv[19] « Si separaueris pretiosum a uili, quasi os meum eris ».

Audite audientes. Hic ponitur sententia. Et primo ponitur sententia obdurationis ; non obdurat autem immittendo malitiam sed non impartiendo gratiam, et hoc quia non se uolunt ad gratiam conuertere. Secundo queritur sententie duratio, ibi *Et dixi.* Circa primum tria facit. Primo ponitur sententie pronuntiatio a Domino quantum ad duos sensus disciplinales : scilicet auditum qui deseruit discipline, unde dicit *Audite*, auribus exterioribus, *audientes* Christum uel alium predicantem, *et nolite intelligere*, quasi : Quia non uultis, non intelligitis. Permissiuum est. Et quantum ad uisum qui seruit inuentioni : *et uidete uisionem*, Christum corporaliter, uel magnalia Dei ; *et nolite cognoscere*, permissiuum est et non imperatiuum, infra xlii[19] « Quis cecus nisi seruus meus? ».

Secundo ponitur sententie acceptatio. Et <est uerbum> prophete, unde dicit : O Domine, ex quo plenitudo gentium intratura est, percute cecitate Israel, Ro. xi[25], *Exceca cor* interius, *et aures aggraua* ne percipiant, *et oculos eius claude* ne cognoscant, Io. ix[39] « In iudicium ego in hunc mundum ueni, ut qui non uident uideant et qui uident ceci fiant ». Vel est uerbum Domini, et est sensus : *Exceca*, id est excecatum predica. Tertio excecationis ratio : *ne forte*, propter bona, *et conuertantur et sanem eos*, cum sanitate sint indigni, Ez. xviii[21-22] « Si autem impius egerit penitentiam ab omnibus peccatis suis que operatus est, et custodierit uniuersa precepta mea et fecerit iudicium et iustitiam, uita uiuet et non morietur, omnium iniquitatum eius non recordabor », infra xxx[15] « Si reuertamini et quiescatis, salui eritis ».

Et dixi. Hic ponitur sententie duratio. Et primo ponitur prophete questio : *Usquequo* excecabuntur?, Dan. viii[13] « Usquequo uisio conculcabitur? » ; secundo Domini responsio : *Et dixit.* Et ponitur duplex terminus : primus quantum ad penam malorum, secundus quantum ad sanctitatem bonorum, ibi *Semen sanctum*, ac si dicat : Quousque qui in sordibus est sordescat, Apoc. ult. « Qui nocet noceat adhuc, et qui in sordibus est sordescat adhuc ». Penam autem tangit triplicem. Primo quantum ad captiuationem, que designatur in desolatione ciuitatum : *Donec desolentur ciuitates*, Ier. xii[10] « Dederunt portionem meam desiderabilem in desertum solitudinis », Tren. i[13] « Posuit me desolatam tota die merore confectam » ; quantum ad culturam agrorum : *terra relinquetur deserta*, supra i[7] « Terra uestra deserta, ciuitates uestre succense igni » ; quantum ad exilium hominum : *et longe faciet Dominus homines*, Ier. xxii[26] « Et mittam te, et matrem tuam que genuit te, in terram alienam in qua nati non estis, ibique moriemini », Ez. xx[38] « Et eligam de uobis transgressores et impios, et de terra incolatus eorum educam eos ».

Secundo quantum ad captiuitatis longitudinem : *et multiplicabitur* gens illa *in medio terre*, in qua captiua tenebitur : tamdiu durabit captiuitas, Ier. xxix[4] « Hec dicit Dominus exercituum Deus Israel omni transmigrationi quam transtulit de Ierusalem in Babilonem : Edificate domos et habitate » in eis, et infra « Et multiplicamini ibi, et nolite esse pauci numero, et querite pacem ciuitatis ad quam transmigrare uos feci ».

Tertio quantum ad iteratam persecutionem : et primo ponit paucitatem : *et adhuc in ea decimatio*, id est uix decima pars relinquetur a Tito in Iudea terra, uel in toto orbe, propter Iudeos interfectos, Deut. xxviii[62] « Et remanebitis pauci numero, qui prius eratis sicut astra celi pre multitudine » ; secundo iteratam destructionem : *et conuertetur* iterum super uos captiuatio sub Adriano imperatore, supra v[25] « In omnibus hiis non est auersus furor eius, sed adhuc manus eius extenta » ;

416 ponitur *om.* Fπ 423 exterioribus *om.* F 428 permissiuum] promissiuum Bo 431 <est uerbum> *suppl.* (*cf.* 438)] *om. codd.* 439 excecatum] excecanter F 448 dixi F] usque *add. cet.* 452 duplex] triplex Fπ 470 et[2] *om.* Fπ 490 auersus] aduersus Fπ

433 percute cecitate : cf. IV Reg. vi[18]. 438 Vel... : cf. Hugo h.l. 455 Apoc. xxii[11]. 478 infra : Ier. xxix[6-7].

et erit in ostensionem sicut terebintus et sicut quercus que expandit ramos suos. Semen sanctum erit id quod steterit in ea.

Exercitus autem tribus inualescit : scilicet multitudine, et quantum ad hoc dicit O *populi* Syrie et Samarie, *congregamini*, ut sitis multi, *et uincemini*, Deo contra uos pugnante per quoscumque suos ministros; et non solum uos, sed *audite* hoc idem, *uniuerse terre*. Et est sarcasmos, quedam species tropi que dicitur esse quedam plena odio atque hostilis irrisio, Ioelis III[11] « Erumpite et uenite omnes gentes de circuitu, et congregamini : ibi occumbere faciet Dominus robustos tuos ». Secundo inualescit pugnantium fortitudine corporis et animi, et quantum ad hoc dicit *Confortamini*, Ioelis III[10] « Infirmus dicat, quia fortis ego sum ». Tertio inualescit armorum munitione : *accingite uos*, quod pertinet proprie ad gladios, sed inde transumitur ad omnia arma, I Mach. IV « Accingimini, et estote filii potentes,

242 id] hoc Fπ 246 et...exercitui F] *hom. om. cet.* 250 unitatem] ueritatem F ydemptitatem π 256 predicit *coni.*] ponit Fπ et primo predicit *post* tribus Bo 263 dominium] diuinum F documentum π infra...aquarum etc. F] *om. cet.* 264 XXVIII *scripsi.*] 38 F 267 urbem] orbem Fπ 273 ostenditur infra F] *om. cet.* 275 Intumuerunt...etc.] *ante* Et ecce F *et suo loco restituimus om. cet.* 277 id est *coni.*] et *codd.* principum] -pium Fπ 307 sarcasmos *scripsi.*] sacrosmos Bo sacromos F *var.* π

238 *Glossa interlin.* 241 quidam : Hebraei, ut refert Hugo; cf. S. Langton « ...sicut infra secundum traditionem hebreorum dicet quedam glosa » (ms. f. 183 ra). 274 Ez. XLVII[2,5]. 287 dixerat : vers. 8. 308 dicitur... : *Glossa interlin.*, cf. Isid. *Etym.* I c.37 n.29 (PL 82, 116 B). 318 Rectius I Mach. III[28].

[10] inite consilium et dissipabitur ; loquimini uerbum et non fiet, quia nobiscum Deus. [11] Hec enim ait Dominus ad me, sicut in forti manu erudiuit me ne irem in uia populi huius, dicens : [12] Non dicatis : Coniuratio ; omnia enim que loquitur populus iste coniuratio est. Et timorem eius ne timeatis neque paueatis. [13] Dominum exercituum ipsum sanctificate ; ipse pauor uester et ipse terror uester ;

et estote parati mane ut pugnetis aduersus nationes has, que conuenerunt disperdere nos et sancta nostra ».

Quantum ad consilium : *inite consilium et dissipabitur*, Iob V[13] « Qui comprehendit sapientes in astutia eorum et consilia prauorum dissipat », Prou. XXI[30] « Non est sapientia, et non est prudentia, non est consilium contra Dominum ».

Quantum ad preceptum dominorum de hiis que post consilium eliguntur : *loquimini uerbum et non fiet*, supra VII[6] « Ponamus regem in medio eius ». Reges enim que eligebant annuntiabant plebi, ut dicit Homerus.

Rationem ponit interpretando nomen Emanuel : *quia nobiscum Deus*, Ro. VIII[31] « Si Deus pro nobis, quis contra nos? », Ier. XV[20] « Et bellabunt aduersus te, et non preualebunt : quia ego tecum sum ut saluem te et eruam te, dicit Dominus ».

Hec enim ait. Hic ponitur populi instructio : et primo docet quid non timendum ; secundo quid timendum : *Dominum exercituum.* Prima diuiditur in duas partes : scilicet in doctrine probationem, et in ipsius traditionem, ibi *Non dicatis.* Probat autem non esse timendos hostes dupliciter. Primo per Domini preceptum, unde dicit : ita uincemini, o hostes, *enim*, id est quia, *hec* que dicta sunt *ait Dominus ad me*, et ideo ne timeatis, Num. XXIII[19] « Non est Deus quasi homo ut mentiatur, neque ut filius hominis ut mutetur ». Secundo suo exemplo : *ait*, dico *ad me* ; *dicens* ad uos que sequentur ad erudiendum uos, *sicut erudiuit me*, id est ne imitarer eos in malitia sua ; et hoc *in manu forti*, id est in tribulatione. Vel non solum docens quid faciendum, sed etiam dans gratiam uirtutis ad complendum, Tren. I[13] « De excelso misit ignem in ossibus meis, et erudiuit me ».

Non dicatis. Hic ponitur ipsa doctrina. Et primo prohibet timoris uerbum : *Non dicatis : Coniuratio* duarum gentium, quasi : nobis timenda est ; *omnia enim que loquitur populus coniuratio est* contra me. Vnde si me sociant uobis in coniuratione, sentient me uobis socium in defensione, Exo. XVI[8] « Non contra nos est murmur uestrum, sed contra Deum » ; infra L[8] « Stemus simul. Quis est aduersarius meus ? Accedat ad me ». Secundo prohibet passionis motum : *et timorem eius ne timueritis.* Timor et pauor differunt secundum magis et minus : timor enim facit motum cordis secundum systolem, sed pauor quasi immobilitat cor, Ps. « Si consistant aduersum me castra ».

Dominum exercituum. Hic instruit eos quomodo timendus sit : et primo ponit legem ; secundo legis absconsionem : *Signa legem.* Circa primum tria facit : primo ponit legis preceptum ; secundo obedientie fructum : *Et erit uobis* ; tertio penam rebellium : *in lapidem autem.* Preceptum autem est ut Deus honoretur : *sanctificate Dominum exercituum*, in uobis ipsis et in sanctitate seruiatis ei ; *ipse pauor uester*, in quantum Dominus, Ps. « Beatus uir qui timet Dominum » ; *ipse terror*, in quantum ultor, Matth. X[28] « Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere ; sed potius timete eum qui potest animam et corpus perdere in gehennam ». Hoc exponit Petrus de Christo, I Petri III[14] « Timorem autem eorum ne timueritis et non conturbemini ». Et uidetur intentio prophete propter ea que sequntur.

Nota super illo uerbo *Sicut in manu forti erudiuit*, quod est manus diuina triplex. Primo est manus diuine potentie, et hec est triplex : primo creantis, Iob X[8] « Manus tue fecerunt me et plasmauerunt me » ; secundo continentis, Ps. « In manu tua, Domine, omnes fines terre » ; tertio protegentis, Ys. XLIX[2] « In umbra manus sue protexit me ». Secunda manus est manus iustitie, et ista est triplex : prima tangentis ad probandum, Iob XIX[21] « Manus Domini tetigit me » ; secunda flagellantis ad purgandum, II Mach. VI[26] « Nam et si in presenti tempore a suppliciis hominum eripiar,

323 comprehendit] apprehendet F 338 secundo quid timendum *hom. om.* F 339 Dominum] ibi *praem.* F 349 sequentur] secuntur F consecuntur π 356 Non *scripsi.* (cf. 341)] ne *codd.* 357 Non] ne F 360 sociant] sociatum Bo 361 socium F] *om. cet.* 374 obedientie F] -entium *cet.* 386 propter] per π 389 diuine potentie *inv.* Fπ 390 tue] domine *add.* Fπ 395 tangentis *scripsi.* cum sBo] protangentis pBo F protegentis π

323 comprehendit *cum* Greg. *Moral.* VI c.18 (PL 75, 745 B) : « apprehendit » Ω et Thomas super h.l. (ed. Leon. XXVI, cap.5, 247). 331 Homerus : apud Arist. *Ethic.* III 9 (1113 a 8). 345 ne timeatis : cf. vers. 12. 367 secundum systolem : sec. Ioh. Damasc. *De fide orth.* III c.23 (PG 94, 1087 ; ed. Buytaert, cap.67, 8) ut refert Thomas *Super Sent. III* d.34 q.2 a.1. 369 Ps. XXVI[3]. 378 Ps. CXI[1]. 387 Cf. vers. 11. 391 Ps. XCIV[4] « In manu eius sunt omnes fines terre » Ω.

14 et erit uobis in sanctificationem, in lapidem autem offensionis et in petram scandali duabus domibus Israel, in laqueum et in ruinam habitantibus Ierusalem. 15 Et offendent ex eis plurimi et cadent et conterentur et irretientur et capientur. 16 Liga testimonium, signa legem in discipulis meis. 17 Et expectabo Dominum qui abscondit faciem suam a domo Iacob et prestolabor eum. 18 Ecce ego et pueri mei quos michi dedit Dominus in signum et in portentum Israelis a Domino exercituum qui habitat in monte Syon.

sed manus Omnipotentis neque uiuus neque defunctus effugiam » ; tertia opprimentis ad condempnandum, Hebr. x[31] « Horrendum est incidere in manus Dei uiuentis ». Tertia manus est manus misericordie, et ista est triplex : prima sanantis, Iob v[18] « Ipse uulnerat et medetur, percutit et manus eius sanabunt » ; secunda pascentis, Ps. « Populus pascue eius et oues manus eius » ; tertia coronantis, Sap. v[17] « Accipient regnum decoris et diadema speciei de manu Domini ».

Et erit uobis. Hic ponit obedientium fructum : *in sanctificationem*, sanctos faciet uos, Leui. xxii[32] « Ego Dominus qui sanctifico uos » ; *in lapidem*, ponit rebellium impedientium penam sub metaphora uiatorum : et primo ponit pene occasionem, secundo pene perceptionem : *Et offendent*. Occasionem autem ponit primo quantum ad populum ; secundo quantum ad principes : *in laqueum*. Primum ostendit sub metaphora lapidis existentis in uia, qui dupliciter impedit uiatorem : scilicet per pedis lesionem, et per casus occasionem ; et similiter Christus fuit incredulis ex Iudeis occasio lesionis et casus, non ex culpa sua sed illorum. Dicit ergo *erit duabus domibus Israel*, id est infidelibus de decem et duabus tribubus, uel scribis et phariseis, *in lapidem offensionis*, quantum ad lesuram, Ro. ix[32] « Offenderunt enim in lapidem offensionis » ; *et in petram scandali*, in qua pes impingit ad casum : scandalon grece, latine pedis impactio, I Cor. i[23] « Nos autem predicamus Christum crucifixum, Iudeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam ».

Et quia principes magis Christo restiterunt, ideo quantum ad eos aggrauat : *et erit habitantibus Ierusalem*, que erat urbs principum, *in laqueum*, — sicut animalia capiuntur laqueo —, et hoc est grauius quam offensio, infra xxxiv « Qui se explicuerit de fouea, incidet in laqueum » ; *et in ruinam*, quod est magis quam casus simplex, Luce ii[34] « Ecce hic positus est in ruinam ».

Et quia occasiones quandoque aliquis deuitat et non incurrit, ideo hoc remouet, et ostendit pene perceptionem et dicit *Et offendent*, contra id quod dixit *offensionis*, per infidelitatem ; contra scandalum, *cadent* a dignitate regni, Matth. viii[12] « Filii autem regni eicientur in tenebras exteriores » ; *conterentur*, quantum ad ruinam pene famis et gladii, Matth. xxi[44] « Qui ceciderit super lapidem istum, confringetur ; super quem uero ceciderit, conteret eum ». Quantum ad laqueum dicit *irretientur*, funibus peccatorum et perplexitatum, que quia non rumpentur, *capientur* a Romanis, Prou. v[22] « Funibus peccatorum suorum constringitur ».

Liga testimonium. Hic ponit legis clausionem, et primo ponitur legis absconsio, ibi *Liga testimonium*, id est inuolue prophetiam de Christo obscuritate, ne uideant Iudei quia indigni sunt. *Signa legem.* Signa duo significat : quandoque claudere sub sigillo, et sic dicit *Signa legem* ueterem sub figuris, *in discipulis meis*, id est quousque discipuli mei aperiant predicando per mundum, Dan. xii[4] « Claude sermones et signa librum usque ad tempus statutum » ; uel *in discipulis meis* absconde. Quandoque significat expressionem figure, Ps. « Signatum est super nos lumen uultus tui Domine » ; et sic *signa*, in anima, *discipulis meis*. Secundo absconditi expectationem : *Expectabo*, Michee vii[7] « Ego autem ad Dominum aspiciam, expectabo Deum saluatorem meum ». Tertio expectati presentationem : *Ecce ego*, Christus scilicet, *et pueri mei*, apostoli, *quos dedit michi Dominus*, Io. xvii[6] « Tui erant, et michi eos dedisti » ; *in signum*, id est ut faciant signa, *et in portentum*, mirum quod sua magnitudine portendit ; et hoc fiet *a Domino qui habitat*, per cultum uel per fidem, *Syon*, Ecclesia, Zach. iii[8] « Audi Ihesu sacerdos magne, tu et amici tui, qui habitant coram te, quia uiri portendentes sunt ».

Quidam exponunt hoc de Ysaia : *et pueri* prophete, secundum hoc infra xx[3] « Sicut ambulauit

405 sanabunt] saluabunt F 409 obedientium] audientium F 418 qui] que Fπ 422 id est] et *add.* Bo 434 animalia] in uia *add.* F 434 est grauius *inv.* Fπ 449 irretientur *scrips.*] ireicientur Bo irreuerenter F *var.* π perplexitatum] -tatem Fπ 453 Hic...testimonium F] *hom. om. cet.* 458 sub *om.* F 461 sermones] uisionem F 477 portendentes *coni.*] portetes Bo potentes Fπ sunt *om.* Fπ

405 Ps. xciv[7]. 423 uel... : cf. *Glossa marg.* ex Hier. (119 A ; 116). 427 scandalon...impactio : sec. Hier. *In Matth.* II super xv[12] (PL 26, 107 B ; CCL 77, 128), ut refert Thomas *I-II* q.43 a.1. 435 Rectius xxiv[18]. 436 incidet in laqueum : « tenebitur laqueo » Ω. 463 Ps. iv[7]. 478 Quidam : Hugo post Haym. (768 A) et Hier. (121 B ; 118).

19 Et cum dixerint ad uos : Querite a phitonibus et a diuinis qui stridunt in incantationibus suis. Nunquid non populus a Deo suo requiret pro uiuis ac mortuis? 20 Ad legem magis et ad testimonium! Quod si non dixerint iuxta uerbum hoc, non erit eis matutina lux ; 21 et transibit per eam, et corruet, et esuriet. Et cum esurierit, irascetur, et maledicet regi suo et Deo suo. Et suspiciet sursum, 22 et ad terram intuebitur. Et ecce tribulatio et tenebre, dissolutio et angustia et caligo persequens, et non poterit auolare de angustia sua.

seruus meus Ysaias nudus et discalciatus, trium annorum signum et portentum erit super Egyptum et super Etyopiam » ; quidam de filiis Ysaie, et hoc falsum.

Et cum dixerint ad uos. Hic remouet diuinorum communicationem ; et circa hoc tria facit. Primo ponitur hostium communicatio : *Et cum dixerint*, hostes uestri, *Querite a phytonibus*, qui uobis predicunt mala et nobis bona. Phyton hebraice os abyssi. Et dicit Ieronimus quod dicuntur ab Apolline phitio, quia hoc genus artis magice inuenit per quod uidentur mortui suscitari et de futuris aliqua predicere, sicut legitur I Reg. XXVIII[8]. Rabanus dicit quod est nomen maligni spiritus ; item Ieronimus dicit quod dicitur phyton qui habet dyabolum in uentre. *Et a diuinis*, quia sibi actum Dei uendicant in predictione futurorum, et precipue quantum ad cultum falsorum deorum ; *qui stridunt*, quasi insani, III Reg. XVIII[28] « Clamabant uoce magna, et incidebant se iuxta ritum suum cultris et lanceolis, donec perfunderentur sanguine », Deut. XVIII[10-11] « Ne sit maleficus neque incantator, neque phytones consulat neque diuinos et querat a mortuis ueritatem : omnia enim hec abhominatur Dominus ».

Secundo docetur responsio : *Numquid non populus* fidelis *a Deo suo* uero, *pro uiuis ac mortuis*, id est pro salute uiuorum ac mortuorum, IV Reg. I[6] « Numquid non erat ». Vel *uiuis et mortuis*, id est loco deorum uestrorum, qui sunt simulacra hominum mortuorum et uiuorum. Vel querimus uisionem pro *uiuis et mortuis* sicut uos, scilicet a diis uestris qui sunt similes mortuis. *Ad legem magis*, que prohibet talia, uel que docet quid est expectandum ; *testimonium*, Scripture.

Tertio ponit inobedientium comminationem : *Quod si non dixerint.* Et facit tria : primo comminatur penam ; secundo in pena impatientiam : *Et cum esurierit*; tertio desperationis tristitiam : *Et suspiciet.* Dicit ergo primo *Quod si non dixerint iuxta hoc uerbum*, respondentes scilicet, uel faciemus, quod *non erit eis matutina lux*, id est Christus tenebras pellens, Io. I[9] « Erat lux uera que illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum ». *Et pertransibit per eam*, congregationem, ad alios, non manens in eis, infra LVIII[9] « Ecce assum », quia misericors sum Dominus Deus tuus ; *et corruet* in dampnationem, *et* uerbum Dei *esuriet*, Amos VIII[11] « Ecce ego mittam famem in terram, non famem panis neque sitim aque, sed audiendi uerbum Dei ». Vel *lux*, consolationis ; *et corruet* in dampnationem, supra III[8] « Ruit enim Ierusalem et Iuda concidit » ; *et esuriet* pane.

Et cum esurierit. Hic comminatur in pena impatientiam, quantum ad iram cordis : *irascetur*, Ps. « Si non fuerint saturati, murmurabunt » ; quantum ad blasphemiam oris : *et maledicet*, Apoc. XVI[11] « Et blasphemauerunt Deum celi pre doloribus et uulneribus ; et non egerunt penitentiam ex operibus suis ».

Et suspiciet sursum. Hic ponit desperationis tristitiam, et primo expectationem auxilii : *suspiciet sursum*, de celo querens auxilium, *et ad terram intuebitur*, ad auxilium de terra ; supra V[30] « Aspiciet in terra, et ecce tenebre tribulationis ». Secundo imminentiam periculi : *et ecce tribulatio*, preuisa, *et tenebre*, quantum ad consilium resistenti, *dissolutio*, contra confortationem, *et angustia*, quantum ad perplexitatem, *et caligo persequens*, quantum ad persecutionem, Apoc. VI « Factum est regnum eius ». Tertio liberationis impossibilitatem, ad similitudinem auis capte : *et non poterit auolare de angustia sua.* E contrario est de iustis, Ps. « Laqueus contritus est, et nos liberati sumus ».

483 et hoc falsum] *post* hostium (486) *codd. ; et hic reponendum duximus (cf. Hugo)* 489 ab F] *om. cet.* 492 predicere] -citur F 498 stridunt] -dent Fπ 506-508 populus(erat *add.*F)...Numquid non F] *hom. om. cet.* 510 simulacra F] simulatus *cet.* 514 quid est *coni.*] quidem Bo quidem ad F quid π 529 terram] terra Fπ 531 enim F] *om. cet.* 532 concidit] cecidit Fπ 533 Hic...pena F] *om. cet.* 536 maledicet *coni.*] -dicent Bo F -diceret π 540 suspiciet] suscipiet Fπ 541 suspiciet] suscipiet F suscipietur π 544 terra] terram F 546 resistenti] -ndi Fπ 549 VI] *spat. vac.* Bo

482 quidam : « quidam nostrorum » sec. Hier. ibid. ; cf. *Glossa marg.* et Hugo « quidam...sed falso ». 488 Phyton... : cf. Hugo ex Hier. *Liber interpr. hebr. nom.* (PL 23, 849 ; CCL 72, 148). 489 Ieronimus : rectius Isid. *Etym.* VIII c. 9 n. 21 (PL 82, 313) ut refert Thomas *II-II* q. 95 a. 3. 493 Rabanus... spiritus : ut asserunt S. Langton (ms. f. 184 va), Hugo, Albertus (ed. Col. p. 132, 74) ; cf. Rabanus *In IV Reg.* I c. 29 (PL 109, 67 B) allegans August. *De div. quaest. ad Simplicianum* II q. 2 (PL 40, 162). 494 Ieronimus... : ut hic refert Hugo ; cf. Hier. « ventriloquos, quos pythones intelligimus » (123 B ; 120). 508 Vel... : cf. Hugo. 510 Vel... : cf. *Glossa interlin.* 535 Ps. LVIII[16]. 549 Rectius Apoc. XVI[19]. 552 Ps. CXXIII[7].

CAPITVLVM IX

[1] Primo tempore alleuiata est terra Zabulon et terra Neptalim, et nouissimo aggrauata est uia maris trans Iordanem Galilee gentium. [2] Populus qui ambulabat in tenebris uidit lucem magnam ; habitantibus in regione umbre mortis, lux orta est eis. [3] Multiplicasti gentem, non magnificasti letitiam. Letabuntur coram te sicut qui letantur in messe, sicut exultant uictores capta preda quando diuidunt spolia. [4] Iugum enim oneris eius superasti et uirgam humeri eius et sceptrum exactoris eius sicut in die Madian.

Primo tempore alleuiata est terra. Hic ponit destructionis modum et ordinem : et primo secundum diuersitatem punitorum ; secundo secundum diuersitatem penarum, ibi *Verbum misit.* Prima in tres, secundum tres persecutiones factas ab Assyriis in terram promissionis.

Primo enim Teglathphalasar, regnante Phacee in Samaria, captiuauit duas tribus et dimidiam que erant ultra Iordanem respectu Ierusalem, et de tribu Zabulon et Neptalim, que erant citra Iordanem, tantum quod posset equiparari dimidie tribui. Et quantum ad hoc dicit *Primo tempore*, id est tempore prime captiuitatis, *terra Zabulon et terra Neptalim alleuiata*, id est minorata habitatoribus suis, quod forte remanentibus non fuit multum graue, quia remanserunt eis plures possessiones. Et de hoc dicitur IV Reg. xv[29].

Secundo uenit Salmanasar nono anno Osee et captiuauit residuos ex decem tribubus qui erant citra Iordanem respectu Iudee. Et quantum ad hoc dicit *nouissimo*, id est in ultima captiuitate generali decem tribuum ; *uia maris*, id est regio per quam itur ad mare Genesareth ; *Galilee*, id est que est in Galilea, *gentium*, que est trans Iordanem respectu Assyriorum, quamuis citra respectu Iudee ; *aggrauata*, id est graui pondere tribulationis pressa. Est autem duplex Galilea : una in tribu Zabulon, alia in tribu Neptalim, uicina Tyriis, et dicitur *gentium* ista uel propter multas gentes que habitabant ibi, uel propter dominium, quia dederat eam Salomon regi Tyri, IV Reg. xvii.

Tertio uenit Sennacherib et ciuitates Iuda cepit et Ierusalem obsedit, sicut dicitur IV Reg. xviii[13,17]. Et de ista tertia persecutione loquitur hic propheta dicens *Populus*, et promittit Iudeis salutem. Unde duo facit : primo promittit salutis gratiam, secundo assignat causam : *Zelus Domini exercituum.* Circa primum tria facit : primo promittit salutem ; secundo prosequitur saluationis ordinem, ibi *Multiplicasti* ; tertio describit ipsum Saluatorem, ibi *Paruulus.*

Promittit autem eis salutem contra duo : contra perplexitatem, et quantum ad hoc dicit *Populus*, Iudee, *qui ambulabat*, id est procedebat in negotiis suis, *in tenebris* dubietatis, uidit *lucem magnam*, diem consolationis ; contra pene grauitatem : *habitantibus in regione umbre mortis*, id est Iudee, que propter grauem persecutionem erat similitudo mortis, *lux orta est eis*, diuine consolationis, infra LX[1] « Surge, illuminare Ierusalem, quia uenit lumen tuum et gloria Domini super te orta est ».

Multiplicasti gentem. Hic ponit saluationis processum et ordinem quantum ad quatuor. Primo quantum ad hostium frustrationem, et quantum ad hoc dicit *Multiplicasti gentem*, in exercitu Sennacherib, *et non magnificasti* eis *letitiam* ut implerent quod proposuerant, Iob v[13] « Consilia prauorum dissipat ». Secundo hostium spoliationem, quod fuit quando, illis interfectis ab angelo, sicut dicitur infra xxxvi, populus egressus est ad colligenda eorum spolia ; unde comparatur messoribus et uictoribus : *Letabuntur*, infra xxxv[10] « Gaudium et letitiam obtinebunt et fugiet ab eis dolor et gemitus ». Tertio seruitutis liberationem : tyrampni enim honerant preceptis, et quantum ad hoc dicit *Iugum enim oneris eius*, Sennacherib, quod deposuit ; affligunt penis, et quantum ad hoc dicit *et uirgam humeri eius*, id est qua humeros uerberabant ; spoliant rebus, et ideo dicit *sceptrum*

4 ibi F] *om. cet.* 7 regnante *om.* F 11 dimidie F] medie *cet.* 19 qui] que Fπ(-OmZ) 60 fuit] uel *add.* Bo 68 deposuit] imposuit F

4 Vers. 8. 7-12 Teglathphalasar...tribui : cf. Petrus Comestor *Hist. schol.* IV Reg. c.23 (PL 198, 1404 C). 18 uenit...Osee : cf. IV Reg. xvii[6]. 27 duplex Galilea : cf. *Glossa marg.* 29-31 dicitur... : cf. *Glossa interlin.* et Hugo. 31 Rectius III Reg. ix[11]. 37 Vers. 7. 58 Consilia : ita Gregorius *Moral.* VI c.18 (PL 75, 745 A) ; « consilium » Ω Vulg. et Thomas *Super Iob* cap.5, 249. 61 infra... : rectius Is. xxxvii[36].

[5] Quia omnis uiolenta predatio cum tumultu, et uestimentum mixtum sanguine erit in combustionem et cibus ignis. [6] Paruulus enim natus est nobis et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum eius. Et uocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, deus, fortis, pater futuri seculi, princeps pacis. [7] Multiplicabitur eius imperium, et pacis non erit finis. Super solium Dauid et super regnum eius sedebit, ut confirmet illud et corroboret in iudicio et iustitia, amodo et usque in sempiternum.

exactoris eius, infra XIV[4] « Quomodo cessauit exactor, quieuit tributum? »; ita faciliter hoc fiet *sicut in die Madian*, id est sicut Gedeon Madianitas deiecit, Iudicum VII[19-22]. Quarto quantum ad hostium punitionem: et hec euenient *quia omnis uiolenta predatio*, id est uiolenti predatores, quantum ad nocumentum quod inferebant in rebus, *et uestimentum mixtum sanguine*, eorum quos occidebant, quantum ad nocumentum inflictum in personis, *erit in combustione*, ad litteram enim combusti fuerunt, infra X[16] « Et subtus gloriam eius ardebit succensa quasi combustio ignis ».

Paruulus enim natus est nobis. Hic describit Saluatorem. Et primo quantum ad receptionem; secundo quantum ad nominationem, ibi *et uocabitur*; tertio quantum ad potestatem, ibi *Multiplicabitur eius imperium*. Recepimus enim eum in natura nostra in natiuitate: *Paruulus natus est nobis*, Luce II[10-11] « Euangelizo uobis gaudium magnum quod erit omni populo, quia natus est uobis hodie saluator, qui est Christus Dominus, in ciuitate Dauid ». Recepimus in notitiam nostram in Patris attestatione, Matth. XVII[5] « Hic est filius meus dilectus, in quo michi bene complacui: ipsum audite »; Bernardus: « Puer leuiter placari potest, facile condonat: pauperes sumus et parum dare possumus, tamen pro illo paruulo possumus reconciliari erga Christum paruulum si uolumus »: *et filius datus est*. Recepimus etiam eum in diuina reuerentia per passionem, « ut in nomine Ihesu omne genu flectatur, celestium, terrestrium et infernorum », Phil. II[10]: *et factus est principatus*, id est crux, per quam in principatum exaltatus est, Io. XIX[17] « Et baiulans sibi crucem, exiuit in eum qui dicitur Caluarie locus ».

Et uocabitur. Hic ponit eius nominationem, et primo nomen exprimens sapientiam diuinam: *ammirabilis*, Ps. « Mirabilis facta est scientia tua ex me »; unde omnia opera eius mirabilia fuerunt et precipue in unione naturarum in una persona; quantum ad humanam: *consiliarius*, consilia preceptis superaddens, Eccli. VI[6] « Consiliarius tibi sit unus de mille ». Exprimens potentiam diuinam: *deus*, infra XLV[15] « Vere tu es Deus absconditus »; humanam: *fortis* in uirtute, Iob IX[4] « Sapiens corde est et fortis robore ». Tertio nomen exprimens bonitatis affluentiam quantum ad diuinam: *pater futuri seculi*, id est generans filios in gloriam, Hebr. II[10] « Decebat enim eum propter quem omnia et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummari », infra XXII[21] « Et erit quasi pater habitantibus Ierusalem »; quantum ad humanam: *princeps pacis*, inquantum est mediator: « Ipse enim pax nostra, qui fecit utraque unum », Eph. II[14], Gen. XXIII[6] « Princeps Dei es apud nos » etc.

Multiplicabitur. Hic describit eius potestatem, et primo quantum ad regni magnitudinem; secundo quantum ad regni nobilitatem: *super solium*; tertio quantum ad eternitatem: *amodo et usque*. Circa primum duo ponit: primo regni magnitudinem: *Multiplicabitur eius imperium*, Dan. VII[27] « Et omnes reges seruient et obedient ei »; quantum ad pacis quietem: *et pacis non erit finis*, infra XXVI[3] « Seruabis pacem, quia in te sperauimus ».

Super solium Dauid. Hic describit regni nobilitatem. *Super solium Dauid*, id est super Ecclesiam, que significatur in regno Dauid, Luce II « Dabit ei Dominus Deus sedem Dauid patris eius »; quantum ad effectum regni: *ut confirmet* ad resistendum, *et corroboret* etiam ad impugnandum, *in iudicio*, id est per iudicium, Ier. XXIII[5] « Regnabit rex, et faciet iudicium et iustitiam in terra »; quantum ad eternitatem: *amodo*, id est a tempore

81 Et...gloriam] gloria F subtus *scripsi*.] sutus Bo succus π *om.* F 82 succensa *om.* F 85 ibi F] *om. cet.* 87 enim eum F] autem *cet.* 90 uobis] nobis Fπ 91 Dominus *om.* Fπ 92 Recepimus F] recipimus *cet.* 94 complacui F] -cuit *cet.* 97 tamen] cum π cum *add.* F 99 Recepimus F] -ipimus *cet.* etiam *om.* Fπ 120 et per quem omnia *hom. om.* Fπ 121 adduxerat] -uxit F 127 es] est Fπ 141 regno] domo Fπ

95 *Sermones de tempore*, In Epiph. Domini sermo I n.4 (PL 183, 144 B) 108 Ps. CXXXVIII[4]. 140 id est...regno Dauid: ante haec supple ' et super regnum eius '; cf. *Glossa interlin.* et Hugo. 141 Rectius Luc. I[32].

Zelus Domini exercituum faciet hoc. [8] Verbum misit Dominus in Iacob et cecidit in Israel. [9] Et sciet omnis populus Ephraim et habitantes Samariam, in superbia et magnitudine cordis dicentes :

incarnationis, *et usque in sempiternum*, Dan. VII[14] « Potestas eius potestas eterna que non auferetur, et regnum eius non corrumpetur ».

Vltimo ponit motiuum ad dandum : *Zelus*, id est amor, *Domini*, Patris, Io. III[16] « Sic Deus dilexit mundum ut filium suum unigenitum daret ». Iudei exponunt hoc de Ezechia. Sed patet quod regnum eius non fuit corroboratum in eternum ; nec nomina conueniunt sibi que significant diuinam eminentiam. Propter quod Septuaginta subticuerunt et posuerunt loco illorum « Magni consilii angelus ».

Notandum super illo uerbo *Paruulus natus est*, quod Christus dicitur paruulus primo in natiuitate propter etatem, Matth. II[11] « Intrantes domum, inuenerunt puerum cum Maria matre eius » ; secundo possessione propter paupertatem, II Cor. VIII[9] « Scitis gratiam Domini nostri Ihesu Christi, quoniam propter uos egenus factus est cum esset diues » ; tertio corde propter humilitatem, Matth. XI[29] « Discite a me quia mitis sum et humilis corde » ; quarto morte propter mortis uilitatem, Sap. II[20] « Morte turpissima condempnemus eum ».

Notandum super illo uerbo *datus est nobis*, quod Christus datus est nobis primo in fratrem, Cant. VIII[1] « Quis michi det te fratrem meum sugentem ubera matris mee? » ; secundo in doctorem, Ioelis II[23] « Filii Syon, exultate et letamini in Domino Deo uestro, quia dedit uobis doctorem iustitie » ; tertio in speculatorem, Ez. III « Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel » ; quarto in propugnatorem, Ys. XIX[20] « Mittet eis saluatorem et propugnatorem qui liberet eos » ; quinto in pastorem, Ez. XXXIV[23] « Et suscitabo super eas pastorem unum qui pascet eas » ; sexto in exemplum operationis, Io. XIII[15] « Exemplum enim dedi uobis, ut quemadmodum ego feci, ita et uos faciatis » ; septimo in cibum peregrinationis, Io. VI[52] « Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi uita » ; octauo in pretium redemptionis, Matth. XX[28] « Filius hominis non uenit ministrari sed ministrare, et dare animam suam redemptionem pro multis » ; nono in premium remunerationis, Apoc. II[17] « Vincenti dabo edere manna absconditum ».

Item notandum super illo uerbo *super humerum eius*, quod Deus posuit super humerum Christi primo peccata, sicut supra satisfactorem, Ys. LIII[6] « Dominus posuit super eum iniquitatem omnium nostrum » ; secundo clauem, sicut supra sacerdotem, Ys. XXII[22] « Et dabo clauem domus Dauid super humerum eius, et aperiet et non erit qui claudat » ; tertio principatum, sicut supra dominatorem, Ys. IX[6] « Factus est principatus super humerum eius » ; quarto gloriam, sicut supra triumphatorem, Ys. XXII[24] « Et suspendam super eum omnem gloriam domus patris eius ».

Verbum misit Dominus in Iacob. Hic exequitur ordinem punitionis secundum diuersitatem penarum. Et primo commemorat culpam, secundo exequitur penam : *Et eleuabit.* Arguit autem in eis culpam dupliciter. Primo quantum ad transgressionem diuini precepti, unde dicit *Verbum misit Dominus in Iacob*, id est in Iuda, uel in toto populo, ut de Iuda constituerentur duces, Gen. penult. « Non auferetur sceptrum de Iuda, et dux de femore eius », Iudicum IX, I Reg. XV ; *et cecidit in Israel*, id est frustratum est in Israel, id est in decem tribubus que dimiserunt domum Dauid, III Reg. XII[19-20]. Vel uerbum legis uniuersaliter, Osee IV[15] « Si fornicaris tu, Israel, non delinquat saltem Iuda ».

Secundo quantum ad excusationem facti, inquantum dicebant se bene fecisse cecati superbia, quia tumor mentis obstaculum est ueritatis, et ideo dicit *Et omnis populus Ephraym*, id est decem tribuum, *et habitantes Samariam*, quantum ad principes populi, *sciet*, id est recognoscet se et culpam suam in pena, quia oculos quos culpa claudit, pena aperit. *Dicentes in superbia et magni-*

151 dandum F] causandum *cet.* 156 nomina F] omnia *cet.* 157 Septuaginta] illorum *add.* Fπ 158 subticuerunt] substituerunt π substiterunt F 166 uos] nos F F²Z 174 te F] *om. cet.* 177 uobis] nobis Fπ 179 Fili] filii Fπ 180 quarto...saluatorem *om.* π 183 eas...eas] eos...eos F 191 redemptionem *om.* Fπ 192 premium] pretium F 197 Dominus] deus Fπ 201 erit] est Fπ 207 diuersitatem penarum *inv.* Fπ 208 secundo...penam *om.* π 217 que] qui Bo 219 delinquat *coni.*] delinquatur F derelinquat *cet.* 221 excusationem F] executionem *cet.*

160 Paruulus... : cf. vers. 6. 172 Cf. vers. 6. 178 Rectius Ez. XXXIII[7]. 194 Cf. vers. 6. 197 super eum : « in eo » Ω *Vulg.* et Thomas alibi, e.g. *Super Sent. IV* d.4 q.2 a.1 qc.2 ad 1. 213 Gen. XLIX[10]. 215 Rectius Iud. XX[18], I Reg. XVI[12-13]. 216 frustratum... : cf. *Glossa interlin.* et Hugo. 223 tumor...ueritatis : Gregorius *Moral.* XXIII c.17 n.31 (PL 76, 267 C), ut refert Thomas *II-II* q.162 a.3 arg.1. 227 oculos...aperit : cf. Gregorius *Moral.* XV c.51 n.58 « impiorum oculos culpa claudit sed in extremum poena aperit » (PL 75, 1111 B).

10 Lateres ceciderunt, set quadris lapidibus edificabimus ; sicomoros succiderunt, set cedros immutabimus. 11 Et eleuabit Dominus hostes Rasin super eum, et inimicos eius in tumultum uertet. 12 Syriam ab oriente et Phylistiim ab occidente, et deuorabunt Israel toto ore. In omnibus hiis non est auersus furor eius, set adhuc manus eius extenta. 13 Et populus non est reuersus ad percutientem se, et Dominum exercituum non inquisierunt. 14 Et disperdet Dominus ab Israel caput et caudam, incuruantem et deprauantem in die una. 15 Longeuus et honorabilis ipse est caput, et propheta docens mendacium ipse cauda est. 16 Et erunt qui beatificant populum istum seducentes, et qui beatificantur precipitati. 17 Propter hoc super adolescentulis eius non letabitur Dominus et pupillorum eius et uiduarum non miserebitur, quia omnis ypocrita est et nequam,

tudine cordis, inquantum in corde suo super alios se extimabant, *et magnitudine*, quantum ad presumptionem magnorum que proponebant. *Lateres*, id est reges de Iuda qui erant infirmi, *ceciderunt* a nobis, *sed quadris lapidibus*, id est fortibus regibus ex nobis, *edificabimus* regnum nostrum. *Succiderunt*, scilicet hostes, ut Syri, *sycomoros*, id est reges Iude infructuosos ; *cedros*, id est sublimes ex nobis, *immutabimus*, id est ponemus loco illorum, supra VII[6] « Ponamus regem in medio eius filium Tabeel ». De superbia eorum infra XXVIII[1] « Ve corone superbie ebriis Ephraym ».

Et eleuabit. Hic exequitur diuersitatem penarum quantum ad tria in quibus confidebant. Primo comminatur contra federationem uicinorum ; secundo contra utilitatem personarum quas se extimabant habere : *Et disperdet Dominus* ; tertio contra multitudinem populorum : *Succensa est*. Circa primum duo facit : primo ponitur punitio, secundo ulterioris pene preparatio : *In omnibus*. Comminatur autem duo : primo futuram destructionem : *Et leuabit Dominus hostes Rasim*, id est Assyrios, *in tumultum* belli, de quo IV Reg. XVI[9] ; secundo persecutionis impugnationem : et adducet Dominus *Syriam ab oriente*, secundum situm terre, qui erant amici, *et Philistiim ab occidente*, qui Iudam impugnabant, *et deuorabunt Israel*, destruent, *toto ore*, id est toto affectu, Abacuc III[14] « Exaltatio eorum sicut eius qui deuorat pauperem in abscondito ».

In omnibus hiis non est auersus furor eius. Hic ponitur pene preparatio, et secundo assignatur ratio : *Et populus*. Preparatio autem ponitur in uoluntate : *non est auersus furor*, IV Reg. XXIII[26] « Verumptamen non est auersus Dominus ab ira furoris sui magni, quo iratus est furor eius contra Iudam » ; et quantum ad potestatem : *manus eius*, loquitur more humano, supra I[25] « Et conuertam manum meam ad te et excoquam ad purum scoriam tuam ». Ratio addendi penam pene est incorrigibilitas populi, et hoc est quod dicit *Et populus non est* etc., Ier. II[30] « Frustra percussi filios uestros, disciplinam non receperunt ».

Disperdet Dominus. Hic comminatur contra confidentiam de utilitate personarum ; et primo ponitur punitio, secundo ulterioris pene preparatio : *In omnibus hiis*. Persone autem utiles uidebantur uel ad defensionem, et contra hos primo ; uel ad diuine misericordie prouocationem, et contra hos ibi *Propter hoc super*. Circa primum tria facit. Primo ponitur dignitas et culpa, et culpa sub metaphora : *incuruantem*, quantum ad principem, contra rectitudinem iustitie ; *deprauantem* uel *refrenantem*, scilicet prophetam, Ez. XIII[19] « Et uiolabant me ad populum meum ». Secundo exponit metaphoram : *Longeuus, docens mendacium*, Ez. XXII[28] « Prophete autem eius liniebant eos absque temperamento, uidentes uana et diuinantes eis mendacia ». Tertio ponit penam : *Et erunt seducentes qui beatificant*, et seducti, *qui beatificantur*, supra III[12] « Populo meus, qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt », Osee IV[5] « Corrues hodie, et corruet etiam propheta tecum ».

Propter hoc. Hic contra personas utiles ad misericordiam prouocandam, uel propter carnis integritatem : *adolescentulis*, scilicet uirginibus ; uel propter etatem : *et pupillorum* ; uel propter infirmitatem : *uiduarum*. Et primo ponitur punitio : *non miserebitur* ; secundo ponitur ratio quantum ad simulationem in opere : *ypocrita* ; quantum ad

223 tumor mentis] timor mortis Fπ 227 pena] penam Fπ(-Om) 232 infirmi *coni. ex Glossa*] firmi *codd.* 235 sycomoros] -ores F sichomoros Bo sic homerus π 241 eleuabit F] -auit *cet.* 250 leuabit F] -auit *cet.* Rasim] rasym Fπ 251 Reg. XVI *om.* F 254 Philistiim] -stim F -stini *cet.* qui Iudam] qui iudea F quidam π 259 auersus] aduersus Fπ *et sic inde* 265 Iudam] iudea F iudeam π 273 confidentiam] fidentiam F 274 ulterioris] ultionis Bo 279 et culpa[2] *om.* Fπ 288 seducti] et *add. codd. ; et delevimus* 290 ipsi] ipse Bo

232 infirmi : sic utraque *Glossa* et expositores ; cf. Hier. « ruentibus quasi lateribus... » (130 A ; 129). 256 Exaltatio : « exultatio » Ω *Clem.* 281 deprauantem uel refrenantem : ita Ω[8] ; cf. *Glossa interlin.* « deprauantem : alias refrenantem ».

et uniuersum os locutum est stultitiam. In omnibus hiis non est auersus furor eius, set adhuc manus eius extenta [18] Succensa est enim quasi ignis impietas, ueprem et spinam uorabit, et succendetur in dempsitate saltus et conuoluetur superbia fumi. [19] In ira Domini exercituum conturbata est terra, et erit populus quasi esca ignis : uir fratri suo non parcet. [20] Et declinabit ad dexteram et esuriet, et comedet ad sinistram et non saturabitur ; unusquisque carnem brachii sui uorabit : Manasses Ephraim et Ephraim Manassen, simul ipsi contra Iudam. [21] In omnibus hiis non est auersus furor eius, set adhuc manus eius extenta.

malitiam in corde : *et nequam* ; quantum ad falsitatem in ore : *et uniuersum os*, Iob VIII[13] « Spes ypocrite peribit ».

In omnibus : ut supra exponitur.

Succensa. Hic comminatur contra confidentiam de multitudine populi seditionem, deinde pene ulterioris preparationem : *In omnibus.* Circa primum duo facit : primo ponitur metaphora ignis, secundo famis : *Et declinabit ad dexteram.* Circa primum duo facit : primo ponit metaphoram, secundo expositionem : *In ira Domini.*

Comminatur autem penam seditionis sub metaphora combustionis ; unde primo ponit causam combustionis efficientem : *Succensa est*, ac si dicat : Impietas uestra est sicut ignis accensus ad comburendum uos, infra L[11] « Ecce omnes uos accendentes ignem, accincti flammis ambulate in lumine ignis uestri » ; secundo materialem : *uepres*, id est populum uitiosum, supra V[6] « Ascendent uepres et spine super eam ». Secundo ipsam combustionem : *succendetur in densitate saltus*, id est in silua in qua sunt multe arbores, et significatur multitudo populi ; et effectus : *conuoluetur superbia*, id est altitudine, *fumi :* fumus enim ascendens ex igne inuoluit cacumina arborum, et tribulatio seditionis obtenebrat uisum hominum, Ioelis I[19] « Ignis comedit speciosa deserti et flamma succendit omnia ligna regionis ». *In ira*, que est quasi ignis, Naum I[6] « Indignatio eius effusa est ut ignis » materialis ; *et erit populus*, infra L[11] « Ambulate in lumine ignis uestri » ; *uir fratri suo* : hoc exponitur quantum ad ipsam combustionem.

Et declinabit ad dexteram. Hic comminatur eandem penam sub metaphora famis. Et primo ponit metaphoram : *declinabit*, quasi facta uideantur, *ad dexteram*, per quam amici, *esuriet* adhuc malum facere ; *ad sinistram*, inimicos ; *carnem brachii*, consanguineos. Secundo exponit quantum ad consanguineos : *Manasses Ephraym et Ephraym Manassen*, qui ambo filii fuerunt Ioseph. Tertio quantum ad hostes : *simul ipsi contra Iudam*, Ier. IX[4] « Omnis frater supplantans supplantabit, et omnis amicus fraudulenter incedet », supra III[5] « Et irruet populus uir ad uirum, unusquisque ad proximum suum ».

In omnibus non est auersus furor eius sed manus etc. : expone omnia ut supra.

319 densitate *coni.*] -tatem *codd.* 328 materialis *coni.*] -alem *codd.* 337 Secundo...consanguineos *hom.om.* F 338 Manasses] et *add.* Fπ 338 et...Manassen *om.* Fπ 339 filii fuerunt *inv.* Fπ eius *coni.*] meus *codd.*

302 supra : vers. 12 et lin. 259-268. 343 irruet *cum* Ω^{M} : « corruet » ΩJ^{8} et supra cap. 3, 101 et 108. 346 supra : cf. vers. 12 et lin. 259-268.

CAPITVLVM X

[1] Ve qui condunt leges iniquas et scribentes iniustitiam scripserunt, [2] ut opprimerent in iudicio pauperes et uim facerent cause humilium populi mei, ut essent uidue preda eorum, et pupillos diriperent. [3] Quid facietis in die uisitationis et calamitatis de longe uenientis? Ad cuius confugietis auxilium? Et ubi derelinquetis gloriam uestram? [4] Ne incuruemini sub uinculo, et cum interfectis cadatis. Super omnibus hiis non est auersus furor eius, set adhuc manus eius extenta. [5] Ve Assur, uirga furoris mei et baculus ipse est, in manu eorum indignatio mea.

Ve qui condunt leges. Hic incipit comminari contra hostes corporaliter persequentes alienigenas : et primo contra uastantes, secundo contra uastitati congaudentes, in fine XIV cap. « *In anno quo mortuus est rex Achaz.* Prima in duas : in prima contra Assyrios captiuantes decem tribus et affligentes duas ; in secunda contra Babilonios captiuantes duas, XIII cap. *Honus Babilonis.* Prima in tres : in prima comminatur hostium destructionem ; in secunda promittit populi reintegrationem, cap. XI <*Et egredietur* ; in tertia ponit gratiarum actionem, cap. XII> *Confitebor.*

Hoc autem capitulum diuiditur in duas partes : in prima comminatur contra principes duarum tribuum qui in Assyriorum auxilio confidebant, scilicet Achaz sub quo hec uisio scripta est, ut legitur IV Reg. XVI[7] ; in secunda contra ipsos Assyrios : *Ve Assur.* Tamen aliqui incipiunt ibi decimum capitulum, et tunc esset facilior quia sic hec pars esset incondiuisa precedenti.

Prima diuiditur in duas : in prima ponitur comminatio, in secunda ostenditur ulterioris pene preparatio : *Super omnibus.* Prima in duas : in prima arguit culpam, in secunda comminatur penam : *Quid facietis?* Culpam principum arguit quantum ad duo. Quantum ad peruersam legislationem : *Ve qui condunt leges iniquas*, secundum quod lex firmatur principis edicto, *et scribentes*, secundum quod confirmatur scripto, Ro. X[3] « Ignorantes enim Dei iustitiam et suam querentes statuere, iustitie Dei non sunt subiecti », Matth. XV[2] « Quare transgreditur » etc. Secundo quantum ad intentionem opprimendi impotentes, uel propter paupertatem : *pauperes*, uel propter ignobilitatem : *humilium*, Abacuc II « Conterent sicut puluerem » etc. ; uel propter sexus infirmitatem : *uidue* ; uel propter etatem : *pupillos*, supra I[23] « Pupillo non iudicant » etc.

Quid facietis? Hic comminatur penam, et primo aufert euasionis remedium. Et hoc triplex : confidentie secundum propriam potentiam : *Quid facietis in die* etc. ; *de longe uenientis*, quantum ad premunitionem hostium, uel quantum ad predictionem prophetarum, Osee IX[5] « Quid facietis in die solempni, in die festiuitatis Domini? », Naum I[6] « Ante faciem indignationis eius quis stabit? ». Secundo quantum ad potentum amicitiam : *Ad cuius confugietis auxilium?*, Iob VI[13] « Ecce non est auxilium michi in me, necessarii quoque mei recesserunt a me ». Tertio quantum ad diuitiarum gloriam : *et ubi derelinquetis gloriam uestram?* quasi dicat : que uobis non proderit, Sap. V[8] « Quid nobis profuit superbia, aut quid diuitiarum iactantia contulit nobis? ».

Secundo exprimit pene modum, et primo captiuitatis : *Ne incuruemini*, supra II[17] « Et incuruabitur sublimitas hominum et humiliabitur altitudo uirorum » ; secundo interfectionis : *et cum interfectis cadatis*, Ez. XXXII[24] « Omnes hii interfecti ruentes gladio ».

Super omnibus hiis. Hic ponitur ulterioris pene preparatio : ut supra exponatur.

Ve Assur. In parte ista comminatur contra ipsos Assyrios, et diuiditur in duas partes : in prima ponitur hostium opprimentium comminatio, in secunda populi oppressi confortatio : *Propter hoc hec dicit.* Prima in tres : in prima arguit culpam ; in secunda comminatur penam : *Propter*

1 comminari] -are Bo 3 secundo *coni.*] in *praem.* F in *est.* 7 Babilonios] -ilonis Fπ 11 < Et egredietur...cap. XII > *suppl.*] *om. codd.* 22 ulterioris] ultionis Bo 28 firmatur] confirmatur Fπ 32-38 Matth....iudicant etc. *scripsit cum* F (*qui add.* : Quid facient etc. ut supra)] *om. cet.* 40 triplex] scilicet *add.* F 42 uenientis] -ntes Fπ 47 potentum] -tium F -tem π 53 quid *post* iactantia Fπ 65 ponitur F] *om. cet.* 67 hec *om.* Fπ

4 Is. XIV[28]. 18 Vers. 5. aliqui : cf. *Correctorium Iac.* ad vers. 5 « Secundum correctiones hic debet incipere capitulum ubi materia uisionis mutatur ». 35 Rectius Amos II[7] « Conterunt super puluerem... », ut habet Hugo. 62 supra : cap. 9, 259-268. 67 Vers. 24. 68 Vers. 16.

[6] Ad gentem fallacem mittam eum et contra populum furoris mei mandabo illi, ut auferat spolia et diripiat predam et ponat illum in conculcationem quasi lutum platearum. [7] Ipse autem non sic arbitrabitur et cor eius non ita estimabit, set ad conterendum erit cor eius et ad internicionem gentium non paucarum. [8] Dicet enim : [9] Nunquid non principes mei simul reges sunt? Nunquid non ut Charcamis sic Calanno, et ut Arfad sic Emath? Nunquid non ut Damascus sic Samaria? [10] Quomodo inuenit manus mea regna ydoli, sic et simulachra eorum de Ierusalem et de Samaria. [11] Nunquid non sicut feci Samarie et ydolis eius sic faciam Ierusalem et simulachris eius? [12] Et erit cum impleuerit Dominus cuncta opera sua in monte Syon et in Ierusalem,

hoc immittet; in tertia ostendit pene effectum : *Et erit*. Culpa autem consistit in transgressione precepti uel abusu auctoritatis; unde diuiditur prima pars in tres : in prima ponitur auctoritatis commissio, in secunda auctoritatis abusio : *Ipse autem non sic*, in tertia abutentis elatio : *Et erit cum impleuerit*.

Circa primum tria facit : primo committitur flagellandi officium; secundo designat flagellis dignum : *Ad gentem fallacem*; tertio imponit flagellationis modum : *ut auferat spolia*. Circa primum tria designat : flagellantem : *Ve*, tibi imminet, *Assur*, qui es *uirga furoris mei*; flagellandi potestatem : *baculus*, per quem ego flagello, *in manu eorum*, id est in potestate, id est in executione; et flagellationem : *indignatio mea* complebitur per eos, infra XIV[5-6] « Contriuit Dominus baculum impiorum, uirgam dominantium cedentem populos in indignatione ».

Ad gentem fallacem. Hic describit flagellis dignum, et quantum ad culpam : *gentem fallacem*, quia non seruat promissum, Exo. XIX[8] « Cuncta que locutus est Dominus faciemus »; et quantum ad sententiam : *populum furoris*, id est quem iam adiudicaui puniendum, *mittam*, inspirabo uos esse puniendos, IV Reg. XVIII[25] « Dominus dixit michi : Ascende ad terram hanc et demolire eam »; *ad*, id est contra.

Vt auferat. Hic ponit flagellationis modum quantum ad detractionem rerum : *auferat spolia*; ad detentionem : *diripiat*; quantum ad hominum oppressionem : *ponat quasi lutum*, pre uilitate, Ps. « Vt lutum platearum delebo eos ».

Ipse autem. Hic ponitur abusio potestatis concesse inquantum excessit fines mandati; et primo ponitur eius propositum, secundo ponitur propositi motiuum : *Dicet enim*. Circa primum duo facit : primo dimittit prefixam mensuram et quantum ad rationis iudicium : *non sic arbitrabitur*, et quantum ad cordis propositum : *non ita extimabit*, hoc est taxabit penam; secundo adauget penam, et quantum ad modum : *ad conterendum*, hoc est omnia disperdendum, et quantum ad numerum : *gentium*, imo plurium, non solum ad illos ad quos mittebatur, Abacuc II[10] « Cogitasti confusionem domui tue, concidisti populos multos et peccauit anima tua ».

Dicet enim. Hic ponitur motiuum; et primo assumit, secundo concludit : *Sic faciam Ierusalem et simulacris*. Circa primum primo assumit seruitutem regum : *Numquid non reges simul et principes mei?*, Abacuc I[10] « Ipse de regibus triumphat et tyrampni ridiculi eius erunt ». Secundo subiugationem ciuitatum : *Numquid non ut Carchamis?*, infra XXXVII[18] « Vere enim Domine, desertas fecerunt reges Assyriorum terras et regiones earum ». Tertio destructionem deorum : *Quomodo inuenit manus mea regna ydoli*, ammiratiue, quasi dicat : Quomodo fuit hoc quod dii illi non restiterunt michi, IV Reg. XVIII[35] « Quinam illi sunt in uniuersis diis terrarum, qui eruerunt regionem suam de manu mea, ut possit Deus eruere Ierusalem de manu mea? ».

Sic faciam Ierusalem et simulacris eius. Hic concludit primo a gentibus ad totum populum Israel : *Sic et simulacra*, secundo ex decem tribubus ad duas : *Numquid non sicut*. De Samaria uerum dicit quia colebant ydola, sed de Ierusalem abstulerat Ezechias, IV Reg. XVIII[4]; et forte aliqua remanserunt occulte, que inuenit in parte ciuitatis quam tradidit ei Sobna scriba; uel uocat simulacra arcam et alia que erant in ornatum templi, Ez. XXXV « Ecce sicut omnes gentes » etc.

Et erit cum impleuerit. Hic arguit eius superbiam. Et primo ponitur superba gloriatio, secundo gloriandi occasio : *Dixit enim*, tertio gloriantis increpatio : *Numquid gloriabitur*. Dicit ergo *Et erit cum impleuerit Dominus cuncta opera sua*, penas

79 flagellationis *coni.*] flagellis Bo F flagelli π 97 flagellationis *coni.*] flagellis Bo F flagelli π 111 et *om.* Fπ 125 Quomodo *suppl.*] numquid non *codd.* 139 quam...scriba *om.* π 141 Ez....etc. F] *om. cet.* 144 occasio] actio Fπ 145 Dicit] dixit Fπ

70 Vers. 18. 73 Vers. 7. 74 Et erit... : vers. 12. 101 Ps. XVII[42]. 125 earum *cum* Ω; « eorum » *Vulg.* 141 Rectius Ez. XXV[8].

Nota super illo uerbo *In medio tui Sanctus Israel*, quod Christus est in medio : primo quasi lux ad illuminandum, Eccli. L[6] « Quasi stella matutina in medio nebule »; secundo quasi mediator ad reconciliandum, Luce ult. « Stetit Ihesus in medio discipulorum et ait illis : Pax uobis »; tertio quasi minister ad distribuendum, Luce XXII[27] « Ego autem in medio uestrum sum sicut qui ministrat ».

73 Sancto...Dei *om.* π potest] poterit F 76 in sBo] ex pBo e^{ff} π exemplum *praem.* F 85 illam *om.* Fπ

76 Ier. VI : rectius II[13]. 80 Cf. vers. 4. 89 Cf. vers. 6. 93 Luc. XXIV[26].

CAPITVLVM XIII

[1] Onus Babylonis, quod uidit Ysaias filius Amos. [2] Super montem caliginosum leuate signum et exaltate uocem, leuate manum, et ingrediantur portas duces. [3] Ego mandaui sanctificatis meis et uocaui fortes meos in ira mea exultantes in gloria mea. [4] Vox multitudinis in montibus quasi populorum frequentium, uox sonitus regum gentium congregatarum. Dominus exercituum precepit militie belli [5] uenientibus de terra procul ; a summitate celi Dominus et uasa furoris eius, ut disperdat omnem terram. [6] Vlulate, quia prope est dies Domini ; quasi uastitas a Domino ueniet. [7] Propter hoc omnes manus dissoluentur, et omne cor hominis tabescet [8] et conteretur ; tortiones et dolores tenebunt, quasi parturiens dolebunt ;

Onus Babilonis. Hic comminatur contra Babilonios qui duas tribus captiuauerant. Et diuiditur in partes duas : in prima comminatur hostium destructionem, in secunda promittit ex hoc Iudeorum consolationem, cap. XIV *Prope est.* Prima diuiditur in duas. Primo ponitur comminationis titulus, et increpatio : *Onus*, id est misetia opprimens, Ier. XXIII[23] « Si interrogauerit populus iste, uel propheta aut sacerdos, dices quod est onus Domini ». Secundo ponitur ipsa comminatio : *Super montem.* Et diuiditur in partes tres : in prima ponit uastantis exercitus conuocationem, scilicet Medorum et Persarum sub Cyro et Dario, qui ceperunt Babilonem, sicut legitur Dan. V[30-31] ; in secunda ostendit pene afflictionem : *Vlulate* ; in tertia subsequentem eius desolationem : *Et erit.* Circa primum tria ponit. Primo conuocat exercitum ; secundo describit uocatorum aduentum, ibi *Vox multitudinis* ; tertio indicitur uenientibus preceptum : *Dominus exercituum.*

Circa primum duo facit. Primo ponit conuocationem ; et conuocat ad aggrediendum et obsidendum : *Leuate signum*, id est uexillum, *super montem*, Babilonis, *caliginosum*, propter fumum incendii quando combusta fuit ; uel *super montem* ciuitati adiacentem, *caliginosum*, propter altitudinem nubibus opertum, uel caligare facientem uisum. Ad exclamandum : *exaltate uocem*, ut hostes conueniant. Ad congrediendum : *leuate manum*, ad pugnandum. Ad capiendum : *et ingrediantur*, Ier. LI[12] « Leuate signum super muros Babilonis ». Secundo ponit uocatorum condicionem quantum ad ydoneitatem propter officii iniunctionem : *sanctificatis meis*, quasi : quos ad hoc officium peragendum sanctificaui ; et quantum ad potestatem : *fortes* ; et quantum ad iocunditatem : *exultantes*, Soph. I[7] « Sanctificauit Dominus uocatos suos ».

Vox multitudinis. Hic describit uocatorum aduentum, et primo quantum ad minores : *Vox multitudinis* ; secundo quantum ad maiores : *uox sonitus regum*, Ier. L[42] « Vox eorum quasi mare sonabit », infra XLIII « Tumultus turbarum ».

Dominus exercituum. Hic indicit preceptum. Et primo ponit diuinum preceptum : *Dominus precepit*, secundo diuinum auxilium ad complendum : *a summitate celi*, quasi ad adiuuandum ; *et uasa*, quelibet arma.

Vlulate. Hic describit pene afflictionem. Et circa hoc tria ponit : primo puniendorum timorem ; secundo afflictionem : *Ecce dies* ; tertio punientium ferocitatem : *Ecce ego suscitabo.* Timor autem exprimitur primo quantum ad gemitum oris : *Vlulate*, Ez. XXX[2-3] « Vlulate, ue, ue diei : quia iuxta est dies, et appropinquabit dies Domini, dies nubis, tempus gemituum erit ». Secundo quantum ad remissionem operis : *Propter hoc omnes*, Ier. L[43] « Audiuit famam eius rex Babilonis, et dissolute sunt manus eius ». Tertio quantum ad turbationem cordis, quod turbatur tripliciter. Secundum interiorem statum, uel quantum ad iocunditatem : *tabescet* ; uel quantum ad magnanimitatem : *et conteretur*, quasi in parua diuisum ; uel quantum ad securitatem, per timoris angustias : *torsiones*, Ps. « Ibi dolores ut parturientis ». Secundo turbatur quantum ad auxilii defectum :

7 increpatio] interpretatio F Om 22 Leuate *scripsit cum Vulg.*] leua *codd.* montem] montes *codd.* 38-40 Vox...maiores *hom. om.* F 42 turbarum] ueniet *add. codd. ; et delevimus* 50 afflictionem] pene *praem.* F

14 Vers. 6. 15 Vers. 19. 42 XLIII : rectius XVII[13]. 50 Vers. 9. 51 Vers. 17. 64 Ps. XLVII[7].

unusquisque ad proximum suum stupebit, facies combuste uultus eorum. [9] Ecce dies Domini ueniet crudelis et indignationis plenus et ire furorisque, ad ponendam terram in solitudinem et peccatores eius conterendos de ea. [10] Quoniam stelle celi et splendor earum non expandent lumen suum, obtenebratus est sol in ortu suo et luna non splendebit in lumine suo. [11] Et uisitabo super orbis mala, et contra impios iniquitatem eorum, et quiescere faciam superbiam infidelium et arrogantiam fortium humiliabo. [12] Pretiosior erit uir auro et homo mundo obrizo. [13] Super hoc celum turbabo, et mouebitur terra de loco suo, propter indignationem Domini exercituum et propter diem ire furoris eius. [14] Et erit quasi dammula fugiens et quasi ouis, et non erit qui congreget, unusquisque ad populum suum conuertetur, et singuli ad terram suam fugient. [15] Omnis qui inuentus fuerit occidetur, et omnis qui superuenerit cadet in gladio; [16] infantes eorum allidentur in oculis eorum, diripientur domus eorum, et uxores eorum uiolabuntur. [17] Ecce ego suscitabo super eos Medos, qui argentum non querant nec aurum uelint,

stupebit ad proximum suum, quasi pre stupore non poterunt auxilium ferre. Quantum ad exterius signum : *facies combuste*, propter pallorem timoris ; uel ad litteram quia tali morte sunt interfecti, Tren. x « Denigrata est super carbones facies eorum », Naum II[10] « Facies omnium » etc.

Ecce dies. Hic describit penam afflictorum. Et circa hoc tria ponit : primo pene magnitudinem : *indignationis*, quantum ad misericordie subtractionem ; *ire*, quantum ad pene delectationem ; Philosophus : ' Irati contristantur, punientes uero gaudent ' ; *furoris*, quantum ad impetuosam ultionem, quia furor est ira accensa, ut dicit Gregorius, infra XXX[27] « Ardens furor eius et grauis ad portandum ». Exprimitur etiam in consolationis subtractione : *Quoniam stelle*, uel ad litteram quantum ad eorum reputationem, quia afflictis omnia uidentur tenebrosa ; uel *stelle*, principes ; *sol in ortu suo*, rex ; *luna*, regina, Apoc. VI[12] « Sol factus est quasi saccus cilicinus ».

Secundo ponit equitatem, ordinans penam contra culpam quam committebant in se ipsis : *uisitabo*, uindicabo, *super orbis mala*, id est Babilonem, quia erat in ea monarchia, uel propter multitudinem undique concurrentium ; et quantum ad culpam quam committebant in subditis per malorum oppressionem : *et contra impios* ; uel pactorum irritationem : *infidelium* ; per meliorum molestationem : *arrogantiam*, qua presumebant omnes subiugare, supra II[12] « Dies Domini super omnem » etc.

Tertio ponit punitionis moderationem. Et ponit quatuor : primo defendentium paucitatem : *Pretiosior*, id est rarior, I Reg. III[1] « Sermo Dei erat pretiosus », et *uir*, qui possit defendere per potentiam, *et homo*, qui possit defendere per consilium, *obrizo*, id est auro rubro quod optimum est, supra X[19] « Reliquie saltus ligni eius pre paucitate numerabuntur ».

Secundo elementorum commotionem : *Super hoc*, quantum ad litteram potuit esse tempestas in aere et terremotus in terra ; uel est yperbole pre magnitudine malorum, Ier. IV[23] « Aspexi terram, et ecce uacua erat et nichili ; et celos, et non erat lux in eis ».

Tertio quantum ad fugientium dispersionem, tam ciuium et bellatorum quam etiam captiuorum : *damula*, uelox animal, Prou. VI[5] « Eruere quasi damula de manu », Ez. XXXIV[6] « Super omnem faciem terre » etc.

Quarto quantum ad remanentium oppressionem, que fuit in tribus : in nece hominum : *Omnis qui inuentus fuerit*, quantum ad ciues, *superueniet*, quantum ad extraneos, *infantes*, quantum ad pueros, Ier. LI[22] « Collidam in te senem et puerum » ; secundo fuit in rerum direptione : *diripientur*, Tren. ult. « Hereditas nostra uersa est ad alienos, domus nostre ad extraneos » : tertio quantum ad uiolationem mulierum : *uxores eorum*, Tren. ult. « Mulieres eorum in Syon humiliauerunt ».

Ecce ego. Hic describit hostium ferocitatem, que nec placatur muneribus : *qui argentum*, nec flectitur

71 Naum...etc. F] *om. cet.* 72 afflictorum] -ctionum F 76 Philosophus] meth[us] *add.* F ps. *praem.* LOmZ 92 contra] circa Fπ
95 supra...etc. F] *om. cet.* 114 Ez....etc. F] *om. cet.* 123 extraneos] exteros Fπ

69 uel ad litteram... : cf. Hugo ex Haym. (787 A). 70 Tren. x : rectius IV[8]. 76 Cf. Arist. *Ethic.* III 17 (1117 a 5), vel *Rhetor.* I c.11 (1370 b 30-32) ut refert Thomas *I-II* q.32 a.6 arg.3. 79 Gregorius : huic istam furoris diffinitionem tribuit Albertus *De cael. hier.* cap.2 § 9 (B 14, 51 b) ; cf. *Moral.* V c.45 (PL 75, 725 C). 83 afflictis...tenebrosa : *Glossa interlin.* uel...regina : cf. *Glossa interlin.* 89 uel... : cf. Hugo. 106-108 potuit...malorum : cf. Hugo. 122 Thren. V[2]. 124 Thren. V[11].

[18] set sagittis paruulos interficient et lactantibus uteris non miserebuntur, et super filios non parcet oculus eorum. [19] Et erit Babilon illa gloriosa in regnis, inclita in superbia Chaldeorum, sicut subuertit Deus Sodomam et Gomorram. [20] Non habitabitur usque in finem et non fundabitur usque ad generationem et generationem, nec ponet ibi tentoria Arabs, nec pastores requiescent ibi. [21] Set requiescent ibi bestie, et replebuntur domus eorum draconibus, et habitabunt ibi structiones, et pilosi saltabunt ibi. [22] Et respondebunt ibi ulule in edibus eius, et sirene in delubris uoluptatis.

misericordia : *sed sagittis paruulos*, nec impotentibus uiribus : *et lactantibus*, nec filiis paruulis : *et super filios*, Ier. LI[64] « Ecce ego adducam super eam et dissoluetur ».

Et erit Babilon. Hic describit subsequentem desolationem. Et primo ciuitatis destructionem : *uersa*, id est subuersa, sicut Sodoma, de qua Apoc. XVIII[10] « Ve, ue, ciuitas illa Babilon, ciuitas illa fortis, quoniam una hora uenit iudicium tuum ». Secundo quantum ad eius perpetuam solitudinem : *Non habitabitur*, Ier. LI[8] « Non habitabit qui tendet arcum suum, et non ascendet loricatus ». Tertio quantum ad solitudinis horrorem qui ostenditur ex fuga pastorum : *nec ponet ibi tentoria <arabs>*, qui certas mansiones non habet sed per desertum uagatur, *nec pastores* ouium ; quantum ad habitationem bestiarum et mortuorum : *sed requiescent ibi bestie* solitudinem amantes. *Draconibus*, qui secundum quosdam sunt serpentes alati magni, secundum alios sunt pisces magni habentes humidas squamas, secundum alios serpentes cubitales comedentes alios serpentes et ex hoc flatu oris inficientes. *Strutiones*, animalia que habent pennas sed non uolant, imo pedibus gradiuntur, Iob XXXIX[13] « Penna strutionis similis est pennis herodii ». *Pilosi*, id est animalia pilosa ut uulpes, lupi et huiusmodi ; uel homines siluestres, pilosi et hispidi, qui a quibusdam dicuntur non ueri homines sed figuram hominis habere uel demonis in tali figura assumentis corpora : domos desertas tales frequentantes sunt, qui et ambulant per noctem et inquietant homines diuersis modis. *Vlule*, aues quantitatis coruine maculis consperse, ex hoc dicte quod uocem habeant ad modum ululantium luporum. *Syrene*, secundum quosdam serpentes cristati et alati, uel pisces marini ad similitudinem mulierum, uel aues dulciter cantantes ; *in delubris uoluptatis*, id est locis in quibus luxuriabantur, infra XXXIV[13-14] « Et erit cubile draconum et pascua strutionum et occurrent demonia, honocentaurus et pilosus ».

Nota super illo uerbo *Super montem caliginosum*, quod est multiplex caligo : prima ignorantie, Tren. II[1] « Quomodo obtexit caligine in furore suo Dominus filiam Syon » ; secunda culpe, Ps. « Caligo sub pedibus eius » ; tertia presentis pene, Tren. IV[1] « Quomodo obscuratum est aurum, immutatus est color optimus » ; quarta future miserie, Matth. XXII[13] « Ligatis manibus et pedibus mittite eum in tenebras exteriores », et Luce « Inter nos et uos chaos magnum firmatum est, ut hii qui uolunt hinc transire ad uos non possint ».

129 lactantibus] -entibus F 139 et...loricatus *om.* π 142 < arabs > *suppl.*] *om. codd.* 147 alati magni *inv.* Fπ 157 demonis... assumentis] *sic codd. ; an legendum* demones...assumentes ? 160 coruine] cornicule π 166 luxuriabantur] -buntur F 174 pene] uite Fπ 176 XXII π] *spat. vac.* Bo F pedibus et manibus Fπ 178 Luce] *spat. vac. add.* Bo F

154-158 uel homines...corpora : cf. Hugo. 160-162 Vlule...luporum : cf. Hugo. 162-165 Syrene... : cf. Hugo et *Glossa marg.* 166 in quibus luxuriabantur : *Glossa interlin.* 169 Cf. vers. 2. 172 Ps. XVII[10]. 178 Luc. XVI[26].

CAPITVLVM XIV

[1] Prope est ut ueniat tempus eius, et dies eius non elongabuntur. Miserebitur enim Dominus Iacob et eliget adhuc de Israel et requiescere eos faciet super humum suam. Adiungetur aduena ad eos et adherebit domui Iacob, [2] et tenebunt eos populi et adducent eos in locum suum; et possidebit eos domus Israel super terram Domini in seruos et ancillas, et erunt capientes eos qui se ceperant et subicient exactores suos. [3] Et erit in die illa, cum requiem dederit tibi Deus a labore tuo et a concussione tua et a seruitute dura qua ante seruisti, [4] sumes parabolam istam contra regem Babilonis et dices : Quomodo cessauit exactor, quieuit tributum? [5] Contriuit Dominus baculum impiorum, uirgam dominantium, [6] cedentem populos in indignatione plaga insanabili, subicientem in furore gentes, persequentem crudeliter. [7] Conquieuit et siluit omnis terra, gauisa est et exultauit. [8] Abietes quoque letate sunt super te et cedri Libani.

Prope est ut ueniat. In parte ista promittit Iudeis liberationem per Babilonis destructionem quam supra comminatus est. Et diuiditur in partes tres : in prima promittit liberationem; in secunda predicit liberatorum contra oppressorem insultationem : *Et erit in die*; in tertia ponit insultationis confirmationem : *Non uocabitur.*

Circa primum tria ponit : temporis breuitatem : *Prope est* dies Domini cui omnia sunt presentia, uel post nostram captiuationem, *dies eius*, captiuationis, Deut. XXXII[35] « Iuxta est dies perditionis et adesse festinant tempora ». Secundo ponit liberationis modum et ordinem, et primo quantum ad releuationem miserie : *Miserebitur*, Mich. VII[19] « Reuertetur et miserebitur nostri »; quantum ad recuperationem diuine gratie : *et eliget*, aliquos scilicet, Deut. VII[6] « Te elegit Dominus »; quantum ad restitutionem patrie : *et requiescere*, Ez. XXXIV[13] « Inducam eos in terram suam, et pascam eos in montibus Israel ». Tertio describit liberatorum dignitatem quantum ad extraneorum adhesionem : *Adiungetur*, Iac. IV[8] « Appropinquate Deo et ipse appropinquabit uobis »; quantum ad honorificam retentionem : *tenebunt eos*, scilicet Iudeos, *populi* apud quos erant captiui, quasi portando in ulnis, infra XLIX[22] « Et afferent filios tuos in ulnis et filias tuas super humeros portabunt »; uel aliter, quantum ad eorum qui adheserunt deductionem : *populi*, scilicet Iudei, *tenebunt*, id est retinebunt, *eos* secum ducendos qui sibi adheserunt; quantum ad hostium subiectionem uel eorum qui adheserunt : *et possidebit eos*, uersa uice, Ioelis III[7] « Conuertam retributionem uestram in caput uestrum ».

Et erit. Hic ponitur insultatio populi liberati contra captiuantem iam destructum. Et primo ponitur titulus siue inscriptio continens tria : tempus, *cum requiem dederit a laboribus*, quo laborasti bellando; *concussione* captiuitatis, qua tenebantur carcere; *seruitute*, qua oppressa es in terra captiuitatis. *Sumes parabolam*, id est sermonem similitudinarium, qui aliud dicit et aliud significat : per ea enim que dicuntur significatur condicio Nabuchodonosor quantum ad potentiam, culpam et penam, propter que potuerunt hec contingere etsi non contigerunt, *circa regem Babilonis*; Mich. II[4] « In die illa sumetur super uos parabola, et cantabitur canticum cum suauitate », Abacuc II[6] « Numquid non omnes isti super eum parabolam sument? ».

Secundo ponitur ipsa insultatio : *Quomodo*, et primo uiuorum, secundo mortuorum : *Infernus*. Insultatio uiuorum tria continet : eius destructionem cum culpa quam commisit in exactione tributorum : *Quomodo cessauit*; in punitione hominum per penas : *Contriuit*, quasi solutio premisse questionis; in impugnatione regnorum : *subicientem*, Ier. L[23] « Quomodo confractus est et contritus malleus uniuerse terre? ». Secundo continet subsecutam pacem : *Conquieuit* ab illo tumultu, *siluit* a fletu, *gauisa est* in tui destructione, *et exultauit* in sua liberatione, Ps. « Letabitur iustus cum uiderit uindictam ». Tertio continet principum alacritatem : *Abietes quoque*, per quas

5 oppressorem] -orum Fπ 19 XXXIV] XXIV π 24 etc. F 28 eorum] eos Fπ 34 in caput uestrum *om.* π

3 supra : cf. cap. 13, 3. 6 Vers. 3. 7 Vers. 20. 62 Ps. LVII[11].

Ex quo dormisti, non ascendit qui succidat nos. [9] Infernus subtus conturbatus est in occursum aduentus tui, suscitabit tibi gigantes. Omnes principes terre surrexerunt de soliis suis, omnes principes nationum. [10] Vniuersi respondebunt et dicent tibi : Et tu uulneratus es sicut et nos, nostri similis effectus es ; [11] detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadauer tuum ; subter te sternetur tinea, et operimentum tuum erunt uermes. [12] Quomodo cecidisti de celo Lucifer, qui mane oriebaris ? corruisti in terram, qui uulnerabas gentes ? [13] qui dicebas in corde tuo : in celum conscendam, super astra celi exaltabo solium meum ; sedebo in monte testamenti in lateribus aquilonis ; [14] ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. [15] Verumptamen ad infernum detraheris in profundum laci. [16] Qui te uiderint ad te inclinabuntur teque prospicient :

significantur sublimes in dignitate ; simile habetur Ez. XXXI[8] « Cedri non fuerunt altiores illo in paradiso Dei ». *Dormisti*, sompno mortis ; *succidat nos*, id est occidat.

Infernus. Hic ponitur insultatio mortuorum contra Nabuchodonosor, et primo principum et potentum, secundo aliorum : *Qui te uiderint*. Circa primum duo facit. Primo ponit infernalium occursum quantum ad ministros penarum siue officiales : *Infernus*, id est dyabolus qui prepositus est inferis, *subtus*, quia infernus deorsum est, *conturbatus est*, id est in tumultum uersus, quasi hoc potuit fieri, infra XXX. Item quantum ad alios potentes decurrentes : *suscitabit tibi gigantes*, quasi secum tibi assurgere ; *gigantes*, quantum ad fortes corpore, infra XXVI[14] « Morientes non uiuant, et gigantes non resurgant ». *Omnes principes terre*, quantum ad reges quorum est sedere in soliis ; *principes nationum*, quantum ad alios potentes ; sed *surrexerunt*. *Vniuersi*, scilicet infernales gigantes, *respondebunt*, quasi conuenisses eos, uel quasi flenti.

Secundo ponit eorum improperium. Et improperant tria : scilicet penam quam inuenit, et quantum ad mortem : *uulneratus es* morte, ui diuine potentie, Ps. « Tu humiliasti sicut uulneratum superbum » ; tum quantum ad mortui humiliationem, et in anima : *detracta est*, et in corpore : *concidit cadauer*, mortis ; tum etiam quantum ad mortui afflictionem in inferno : *subter te sternetur* ; <*uermes*>, in quibus omnes pene inferni, Iudit ult. « Dabit ignem et uermes in carnes eorum, ut urantur et sentiant usque in sempiternum ».

Secundo improperant gloriam quam amisit, tum quantum ad dignitatem regni : *Lucifer*, pulcer inter omnes alios reges, *mane*, ante omnes alios monarchus ; et quantum ad potentiam belli : *corruisti in terram*, Dan. II[38] « Tu es caput aureum, o rex, et post te surget aliud regnum minus te ».

Tertio improperant superbiam cordis quam habuit, quantum ad tria : quantum ad superbam cogitationem, secundo quantum ad peruersam intentionem : *Ero similis*, tertio quantum ad propositi frustrationem : *Verumptamen*. Cogitatio autem erat superba quia cogitabat usurpare que Dei sunt, secundum errorem gentilium qui credebant homines in deos mutari et ex principibus fieri stellas, sicut dicitur II Mach. XI[23] « Patre nostro inter deos translato » ; cogitabat etiam usurpare diuinum locum : *conscendam in celum super astra celi*, quasi : sicut sum super alios principes in terra, ita ero super alias stellas in celo ; et diuinum cultum : *sedebo*, sicut recipiens sacrificia, *in monte testamenti*, id est in templo Dei, quod erat in monte Syon in quo erat testamentum legis, *in lateribus aquilonis*, id est in Ierusalem, que erat ad aquilonarem partem montis ; et diuinum actum : *Super altitudinem nubium*, quasi dicat : ut tonem et fulminem. Vel per nubes prophetas, per celum regnum Iudeorum, per astra Iudei fulgentes Dei cognitione.

Similis, ecce peruersa intentio, Ez. XXVIII[9] « Numquid dicens loqueris : Deus ego sum ? ».

Verumptamen, ecce frustratio intentionis ; *in profundum laci*, id est in durissimis penis, Iob XXI[13] « Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt ».

Qui te uiderint. Hic ponitur insultatio aliorum, communium personarum. Et primo describit eorum occursum : omnes alii *qui te uiderint* in penis *ad te inclinabuntur*, quasi dicat : tantum eris infra alios quod oportebit eos inclinari ad hoc quod te

73 ad] a Bo 76 uersus *ante* in tumultum Fπ 77 XXX(XX Fπ)] peccasti *et spat. vac. add.* Bo peccasti *add.* π Item F] tertio *cet.* 94 < uermes > *suppl.*] *om. codd.* 96 in[1] *coni. cum* V] et *cet.* 104 improperant F] -rat *cet.* 112 fieri stellas *inv.* Fπ 124 astra... fulgentes] actum fidei fulgentes in F 132 aliorum] -arum F 136 eos] alios Fπ

71 Vers. 16. 77 infra XXX : forsan respiciebatur « Sperastis...in tumultu » (XXX[18]), ut coniecit B. Spina. 89 Ps. LXXXVIII[11]. 95 Iudith XVI[21]. 123-125 Vel...cognitione : cf. Hugo.

Nunquid iste est uir qui conturbauit terram, qui concussit regna, [17] qui posuit orbem desertum et urbes eius destruxit, uinctis eius non aperuit carcerem? [18] Omnes reges gentium uniuersi dormierunt in gloria, uir in domo sua; [19] tu autem proiectus es de sepulcro tuo quasi stirps inutilis, sicut sanie pollutus et obuolutus cum hiis qui interfecti sunt gladio et descenderunt ad fundamenta laci quasi cadauer putridum. [20] Non habebis consortium neque cum eis in sepultura; tu enim terram tuam disperdidisti, tu populum tuum occidisti. Non uocabitur in eternum semen pessimorum; [21] preparate filios eius occisioni in iniquitate patrum eorum; non consurgent nec hereditabunt terram nec implebunt faciem orbis ciuitatum. [22] Et consurgam super eos, dicit Dominus exercituum, et perdam Babilonis nomen et reliquias et germen et progeniem, ait Dominus;

uideant, Sap. VI[7] « Potentes potenter tormenta patientur ».

Secundo ponit eorum improperium, et tria improperant. Primo culpam quam commisit : *conturbauit* in bellis, *concussit* mutando dominia, *posuit orbem desertum* exulando homines, *urbes*, subuertendo ciuitates, *uinctis non aperuit* ut possent lumen uidere, Ez. XXXII[25] « Dederunt terrorem in terra uiuentium ». Secundo improperant sepulturam qua caruit, quia extumulatus a filio suo qui discerpsit cadauer in ducentas partes et alligauit totidem auibus de diuersis terris congregatis, ne posset resurgere : *pollutus*, sanguine eorum quos occidisti, Ier. XXXII « Sepultura asini sepelietur ». Tertio improperant dampnum quod regno suo intulit : *perdidisti*, quia Caldei plus tenuissent regnum nisi fuissent peccata Nabuchodonosor; punitur enim populus pro culpa principis, sicut patet Prou. ult., cuius ratio est quia populus solet imitari culpam regis, Prou. XXIX[12] « Princeps qui libenter audit uerba mendacii omnes ministros habet impios ».

Totum istud mistice exponitur de dyabolo : *concutit regna*, quasi minister pene et incentor culpe; cuius potentia per Christum diminuta est, et in die iudicii ex toto in inferno detrahetur qui uoluit in celum conscendere et ad equalitatem maiestatis diuine uenire, secundum quod exponitur in Glosa.

Nota super illo uerbo *super astra Dei*, quod sancti comparantur stellis : primo propter numerum, Ps. « Qui numerat multitudinem stellarum », Dan. VII[10] « Milia milium ministrabant ei et decies milies centena milia assistebant ei »; secundo propter situm, Eccli. XLIII[10] « Species celi gloria stellarum », Phil. III[20] « Nostra autem conuersatio in celis est »; tertio propter gradum, I Cor. XV[41] « Stella a stella differt in claritate »; quarto propter splendoris rutilum, Dan. XII[3] « Et qui ad iustitiam erudiunt plurimos quasi stelle in perpetuas eternitates »; quinto propter ordinatum motum, Iudicum V[20] « Stelle manentes in ordine et cursu suo aduersus Sisaram pugnauerunt », I Cor. XIV[40] « Omnia honeste et secundum ordinem fiant in uobis »; sexto propter uisum, Eccli. L[6] « Quasi stella matutina in medio nebule », I Io. III[2] « Nondum apparuit quid erimus »; septimo propter figure circulum, Apoc. XII[1] « Mulier apparuit in celo et in capite eius corona stellarum duodecim », in quo significatur perfectio glorie.

Non uocabitur. Hic confirmat insultationem, et primo per prophete uaticinium, secundo per diuinum propositum : *Et consurgam*, tertio per diuini propositi firmamentum : *Dominus exercituum*. Circa primum comminatur tria. Et primo regni amissionem : *semen pessimorum*, id est filii Nabuchodonosor et filiorum suorum, *non uocabitur in eternum*, id est non supererit nomen eius in honore regni. Secundo filiorum occisionem a Medis et Persis : *preparate in iniquitate*, id est pro iniquitate. Tertio impossibilem recuperationem : *non consurgent*; *faciem orbis*, id est Babilonis, que supra dicta est orbis, Exo. XX[5] « Ego sum Deus zelotes, uisitans peccata patrum in filios », Sap. IV[6] « Ex iniquis nascetur iniquitas ».

Et consurgam. Hic ponitur diuinum propositum ad complendum. Et primo ad destruendam Babilonem, quantum ad destructionem hominum : *super eos*, scilicet filios Nabuchodonosor, *nomen Babilonis*, id est famam potentie sue, *reliquias*, filios, *et progeniem*, nepotes et deinceps, Iob XVIII[19] « Non erit semen eius, neque progenies in populo suo ». Quantum ad bestiarum habitationem :

146 caruit sBo] corruit *cet.* 166 Nota] notandum F super] supra F OmV 175 XII] 13 F xiij π 176 plurimos] multos *cum Vulg.* F 184 XII *suppl.*] *spat. vac.* BoF *om.* π 189 prophete] -cie Fπ 195 supererit] superuenerit F 207 reliquias] et *praem.* F

146-149 extumulatus... : Hugo et *Glossa marg.* ex Haymone (792 D). 150 Rectius Ier. XXII[19]. 165 *Glossa interlin.* et expressius Hugo. 166 Cf. vers. 13. 168 Ps. CXLVI[4]. 190 Vers. 22. 191 Vers. 27. 200 supra : cf. XIII[11] cum commento (13, 88).

[23] et ponam eam in possessionem ericii et in paludes aquarum; et scopabo eam in scopa terens, dicit Dominus exercituum. [24] Iurauit Dominus exercituum dicens : Si non ut putaui ita erit et quomodo mente tractaui, [25] sic eueniet ut conteram Assyrium in terra mea et in montibus meis conculcem eum; et auferetur ab eis iugum eius, et onus illius ab humero eorum tolletur. [26] Hoc consilium quod cogitaui super omnem terram, et hec est manus extenta super uniuersas gentes. [27] Dominus enim exercituum decreuit, et quis poterit infirmare? Et manus eius extenta, et quis auertet eam? [28] In anno quo mortuus est rex Achaz factum est onus istud : [29] Ne leteris Philistea omnis tu, quoniam comminuta est uirga percussoris tui. De radice enim colubri egredietur regulus, et semen eius absorbens uolucrem. [30] Et pascentur primogeniti pauperum, et pauperes fiducialiter requiescent; et interire faciam in fame radicem tuam et reliquias tuas interficiam.

ponam eam, infra XXXIV[15] « Ibi habuit foueam ericius, et enutriuit catulos, et circumfodit, et fodit in umbra eius ». Quantum ad destructionem murorum : *scopabo*, ut nichil remaneat nisi pauimentum, sicut in domo quando purgatur scopa.

Secundo ponit propositum de destructione Assyriorum, ut sit in exemplum. Et primo ponitur iuramentum : *Iurauit*, id est immobiliter statuit, *si non ut putaui*, id est statui, Ps. « Iurauit Dominus; et non penitebit ». Secundo destructionis locum : *In terra mea*, quia iuxta Ierusalem destructus est exercitus Sennacherib, infra XXV[6] « Faciet Dominus in monte hoc conuiuium pinguium ». Tertio describit pene fructum : *auferetur*, supra IX[4] « Iugum enim honeris eius et uirgam humeri eius et sceptrum exactoris eius superasti ».

Tertio ponit propositum de destructione omnium popularium : *Hoc consilium quod cogitaui super omnem terram* destruendam, quantum ad deliberationem; *manus eius*, id est potentia, quantum ad executionem, Ier. XXV[15] « Sume calicem uini furoris huius de manu mea ». Vel *omnem terram*, protegendam ab Assyriis; *et hec manus extenta*, que destructa est. Et sic erit fructus pene in omnibus gentibus.

Dominus exercituum. Hic ostendit diuini propositi stabilimentum, et quantum ad decretum sapientie : *decreuit*, et quantum ad expletionem potentie : *Et manus eius*, Iob XXIII[13] « Ipse solus est, et nemo potest auertere cogitationem eius; et anima eius quodcumque uoluerit hoc fecit ».

In anno. Hic comminatur contra hostes de afflictione Iudeorum gaudentes, et primo contra Philisteos qui gaudebant de minoratione eorum per mortem Ezechie, secundo contra Moabitas qui gaudebant de eorum destructione per Assyrios uel Caldeos, cap. XV[1] *Honus Moab*. Prima in duas. In prima ponitur tempus comminationis : *In anno*, cuius tempore Philistei occupauerant quasdam ciuitates de regno Iudeorum, ut dicitur II Paral. XVIII, et tamen Achaz eis resistebat, et ideo in morte eius letabantur quasi licentius Iudeos infestaturi. Secundo ponitur comminatio : *Ne leteris*. Et primo comminatur afflictionem quam passi sunt ab Ezechia, secundo destructionem quam passi sunt sub Assyriis : *Vlula*.

Circa primum tria facit. Primo enim excludit stultum gaudium : *Ne leteris*, de hoc scilicet quoniam *uirga*, id est potestas, *percussoris tui*, id est Achaz, *comminuta est* per mortem, Eccl. II[2] « Risum reputaui errorem ». Secundo comminatur pene augmentum : *De radice enim*, quasi dicat : Sicut regulus — qui et basiliscus — plus nocet quam alius coluber, qui etiam uisu et flatu interficit non solum animalia sed etiam aues uolantes, ita Ezechias filius Achaz plus ceteris uos affliget, III Reg. XII[11] « Pater meus imposuit uobis honus graue; ego superaddam ». Tertio predicit pene effectum, et in cunctis quantum ad terre ubertatem : *Et pascentur primogeniti*, id est Iudei de quibus Exo. IV[22] « Primogenitus meus Israel »; et quantum ad pacis securitatem : *fiducialiter*, infra XXXII[18] « Sedebit populus meus in pulcritudine pacis, in tabernaculis fiducie »; et effectum in Philisteis per contrarium, scilicet famis, contra primum : *interire radicem*, id est eos etiam qui aliis nutrimenta ministrare debebant; et occisionis contra secundum : *et reliquias*, ab Ezechia, *inter-*

220 et non penitebit *om.* π 228 popularium] populorum Fπ 249 quasdam ciuitates *coni.*] quosdam timentes *codd.* 252 licentius Iudeos *inv.* F 256 sub] ab Fπ 260 mortem] eius *add.* F 263 et] est F 268 ego] ergo F eius π 273 XXXII] 22 F XXXIIJ π

219 Ps. CIX[4]. 242 Cf. supra cap. 10, 4. 251 XVIII : rectius XXVIII[18]. 256 Vers. 31. 263-266 Sicut...affliget : cf. Hugo ex Haymone (794 C).

31 Vlula porta, clama ciuitas, prostrata est Philistea omnis ; ab aquilone enim fumus ueniet, et non est qui effugiat agmen eius. 32 Et quid respondebitur nuntiis gentis ? Quia Dominus fundauit Syon, et in ipso sperabunt pauperes populi eius.

ficiam per Assyrios et Caldeos, infra LV « Serui mei comedent, et uos esurietis ; serui mei bibent, et uos sitietis ».

Vlula. Hic comminatur destructionem per Assyrios. Et primo comminatur eorum destructionem, secundo Iudeorum liberationem : *Et quid respondebitur ?* Circa primum tria ponit. Primo comminatur uniuersalem destructionem : *porta*, id est iudices sedentes in portis, Ier. III[21] « Vox in uiis audita est, ploratus et ululatus filiorum Israel » ; et hostium multitudinem : *fumus*, excitatus ex multitudine exercitus propter puluerem, *ab aquilone*, propter situm Assyriorum ad Philisteos, Ier. I[14] « Ab aquilone pandetur malum super omnes habitatores terre » ; tertio euasionis impossibilitatem : *et non erit*, Tren. II[22] « Non fuit in die furoris » etc.

Et quid respondebitur. Hic promittit liberationem. Et primo ponit interrogationem : *nuntiis*, angelis prepositis diuersis prouinciis, uel de eorum statu sollicite inquirentibus ; uel *nuntiis* missis ad consulendum Ysaiam, sicut legitur de Ieremia XXVII[3]. Secundo ponitur responsio : *Quia Dominus fundauit*, id est sua protectione firmauit, infra XLIV « Ecce sternam ».

286 uniuersalem F] naturalem *est.* 295 etc. *coni.*] recordatus scabellum(*sic*) pedum eius *codd.*(*ex* Thren. II[1])

279 infra LV : rectius LXV[12]. 302 infra XLIV : rectius LIV[11].

CAPITVLVM XV

[1] Onus Moab. Quia nocte uastata est Ar Moab conticuit; quia nocte uastatus est murus Moab conticuit. [2] Ascendit domus et Dibon ad excelsa in planctum, super Nabo et super Medaba Moab ululabit. In cunctis capitibus eius caluitium, et omnis barba radetur. [3] In triuiis eius accincti sunt sacco, super tecta eius et in plateis eius omnis ululatus descendet in fletum. [4] Clamabit Esebon et Eleale, usque Iasa audita est uox eorum. Super hoc expediti Moab ululabunt, anima eius ululabit sibi.

Honus Moab. In parte ista comminatur contra Moabitas, — qui descenderunt a Moab primogenito Loth, Gen. XIX[37] —, propter hoc quod gauisi sunt de destructione filiorum Israel ab Assyriis et Caldeis, a quibus tamen ipsi sunt destructi, quamuis post. Et diuiditur in partes duas : in prima comminatur destructionem, in secunda destructionis condicionem : *Emitte*, cap. XVI. Prima in duas : in prima comminatur destructionem per Assyrios, in secunda per Babilonios : *Ad torrentem.* Prima in tres : in prima designat ex dolore pene magnitudinem ; in secunda pene modum et ordinem : *Vectes* ; in tertia magnitudinis rationem : *Secundum magnitudinem.*

Magnitudinem autem doloris ostendit quantum ad tria, scilicet per stuporis silentium, per doloris fletum : *Ascendit*, per compassionem hostium : *Cor meum.* Stupor autem contingit ex priuatione eorum in quibus aliquis confidit. Confidebant autem in regia ciuitate a qua sperabant auxilium, et in munitionibus : et ideo dicit *Honus Moab*, id est hec est uisio de honere Moab, id est prouincia Moabitarum ; *conticuit* pre stupore *quia Ar*, ciuitas regia, *uastata est nocte*, ad litteram, uel propter grauem tribulationem ; *et quia nocte uastatus est murus* munitionum, *Moab conticuit*, Abd. « Si fures intrassent ».

Ascendit. Hic ostendit magnitudinem pene ex magnitudine fletus, et tria ponit. Primo predicit fletum, et quantum ad flentes : *domus*, scilicet regia, *Edibon*, nobilis quedam ciuitas ; et quantum ad locum : *Ascendit* ; *in planctum*, id est ad flendum, *ad excelsa*, in quibus ydolis immolabant, ut plangendo auxilium quererent ; et quantum ad materiam : *Moab*, tota prouincia, *ululabit super Nabo et super Medaba*, quedam ciuitates que destructe fuerant, Ioelis II « Luctum unigeniti fac tibi ».

Secundo describit plangendi modum, secundum morem antiquorum, qui nutrientes tempore letitie barbam et comam, tempore tristitie deponebant, sicut habetur Iob II « Tonso capite corruit in terram » : *In cunctis capitibus*, supra III[24] « Et erit pro crispanti crine caluitium ».

Tertio excludit fletus terminum, et quantum ad diuersitatem locorum : quia *omnis*, id est omnibus modis, *ululatus* erit *super tecta eius*, que plana habebant ad sedendum, *et in plateis eius descendet in fletu*, ab excelsis in que flens ascenderat, ut in montibus et uallibus fletus sit. *Esebon clamabit* flens *et Eleale*, que sunt ciuitates que in imo terre regni Moab ; *uox eorum audita est usque Iasa*, que est alia ciuitas eius. Et quantum ad diuersitatem flentium : *Super hoc* malum *expediti*, scilicet ad pugnandum, non tantum senes et etiam simul cum aliis, sed etiam *sibi*, quando stat solitarius ; *anima*, quia planctus procedit ex intimis cordis, Ier. XLVIII[38] « Super omne tectum Moab et in plateis eius omnis planctus ».

Nota super illo uerbo *Nocte uastatus est murus*, quod nox habet obscuritatem, et primo originalis macule, Iob III[3] « Pereat dies in qua natus sum et nox in qua dictum est : conceptus est homo » ; secundo actualis culpe, I Tess. V[7] « Qui dormiunt nocte dormiunt » ; tertio infidelis ignorantie, Ro. XIII[12] « Nox precessit, dies autem appropinquauit ».

Secundo nox habet horrorem : primo opprimentis desperationis, Iob XXVII[20] « Nocte opprimet eum tempestas » ; secundo presentis afflictio-

19 priuatione *coni. cum* sBo] ploratione *cet.* 23 est[2] *om.* Fπ 25 propter] per Fπ 32 nobilis] -iles *codd.* 42 Tonso] tunso Bo 43 III sBo] 2 *cet.* 51 que in imo *coni.*] quin uno F quinimo *cet.* terre regni *inv.* F

11 Vers. 7. 13 Vers. 5. 14 Vers. 7. 27 Abd. vers. 5. 32 Edibon *cum* Ω^{M}. 38 Luctum...tibi : cf. Ier. VI[26] ; forsan scripserat Thomas : « Ioelis II[1] Vlulate etc. ». 42 Iob II : rectius I[20]. 51 in imo... : cf. Hugo : « a principio prouincie... ». 60 Cf. vers. 1.

[5] Cor meum ad Moab clamabit. Vectes eius usque ad Segor uitulam conternantem ; per ascensum enim Luith flens ascendet, et in uia Oronaim clamorem contritionis leuabunt ; [6] aque enim Nemrim deserte erunt, quia aruit herba, defecit germen, uiror omnis interiit. [7] Secundum magnitudinem operis et uisitatio eorum. Ad torrentem salicum ducent eos. [8] Quoniam circumiit clamor terminum Moab, usque ad Gallim ululatus eius, et usque ad puteum Helim clamor eius, [9] quia aque Dimon replete sunt sanguine. Ponam enim super Dibon additamenta, hiis qui fugerint de Moab leonem et reliquiis terre.

nis, Prou. ult. « Non extinguetur in nocte lucerna eius » ; tertio eterne dampnationis, Sap. XVII[2] « Vinculis tenebrarum et longe noctis compediti perpetue prouidentie placuerunt ».

Tertio nox habet quietem contemplationis, in qua primo est feruentis amoris desiderium, infra XXVII « Anima mea desiderabit te in nocte » ; secundo debite confessionis sacrificium, Ps. « Media nocte surgebam ad confitendum tibi » ; tertio diuine consolationis silentium, Sap. XVIII[14] « Cum enim quietum silentium contineret omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus Domine exiliens de celo a regalibus sedibus uenit ».

Cor meum. Hic ostendit magnitudinem pene ex compassione hostium, quia ipse propheta condolebat : *ad Moab*, id est pro afflictione Moab, Ier. XLVIII[31] « Super te euigilabo ».

Vectes. Hic describit pene modum et ordinem, et ponit tria. Primo terre uastationem : *Vectes*, id est fortitudo uel termini, *eius*, Moab, deserti sunt *usque ad Segor*, una de quinque urbibus destructis, Gen. x, que erat in terris Moab, *uitulam*, propter luxuriam, *conternantem*, id est trium annorum, quando sunt animalia in suo robore et fortitudine ; uel *conternantem*, quia tertia concussione terremotus corruit, recedente Loth, Ier. XLVI[20] « Vitula elegans atque famosa Egyptus ». Secundo hominum captiuitatem : *per ascensum enim Luit*, quidam cliuus, uel quidam uicus unde ducebantur captiui, *ascendet* Moab captiuus ductus. *Et in uia Oronaim*, cuiusdam ciuitatis de Moab, per quam transibant, *leuabunt clamorem contritionis*, Naum II[7] « Miles captiuus ductus est ». Tertio agrorum sterilitatem : *Aque enim*, id est terra Moab ita erit sterilis sicut locus iuxta oppidum *Nemrim*, quod est iuxta mare, propter aquas salsas et amaras ; non quidem propter aquas, sed Dei iudicio, *herba* iam nata *aruit* ; *germen*, quantum ad ea que erant in pullulatione ; *uiror*, arborum iam natarum, Ps. « Posuit flumina in desertum ».

Secundum magnitudinem. Hic ponitur ratio magnitudinis pene : *operis*, peccati ; *uisitatio*, ultio, Deut. XXV[2] « Pro mensura peccati erit et plagarum modus ».

Ad torrentem. Hic comminatur destructionem per Babilonios. In qua quidam fuerunt captiuati, et quantum ad hoc dicit : Caldei *ducent eum*, Moab, *ad torrentem*, Euphratem iuxta Babiloniam, *salicum*, qui iuxta fluuium crescunt, Ps. « Super flumina Babilonis illic sedimus et fleuimus ». Quidam fuerunt interfecti, et quantum ad hoc dicit : *Quoniam circuit clamor*, flentium, uel pugnantium Caldeorum, *quia aque Dibon*, nomen ciuitatis, in quibus propter amenitatem locorum suas luxurias exercebant, IV Reg. III « Incurrerunt Moabite aquas Dibon ». Quidam residui fuerunt, diuersis persecutionibus afflicti : *Ponam, Dibon*, ad quam Iudei confugerant, hec *additamenta* penarum, *hiis qui fugerint de Moab*, ab Assyriis ; *et reliquis terre*, quos dimiserunt Assyrii ; *leonem*, ad litteram bestias eos interficientes, uel hostem seuientem, scilicet Caldeum, supra IX[12] « In omnibus hiis non est auersus furor meus ».

91 termini eius Moab] muri π muri *add.* F 94 conternantem *scripsi.*] consternantem *codd.* 100 cliuus *coni.*] cliuis *codd.* 102 Et *om.* Fπ 102 Oronaim *coni.*] aronaim *codd.* 103 leuabunt] -bant Fπ 109 nata] non nata Fπ 111 uiror] et uiror Fπ 118 in qua... captiuati *om.* π 120 Moab F] *om. cet.*

71 Prov. XXXI[18]. 77 infra XXVII : rectius XXVI[8]. 79 Ps. CXVIII[62]. 93 Gen. X : rectius XIV[2] et XIX[22]. 96 quia...corruit : cf. Hugo et *Glossa marg.* ex Haym. (797 B). 100 cliuus : *Glossa marg.* ex Hier. (169 C ; 178). 111 Ps. CVI[23]. 121 Ps. CXXXVI[1]. 125 aque Dibon... exercebant : cf. Hugo et *Glossa marg.* ex Haym. (798 B). 127 Cf. IV Reg. III[20-27].

CAPITVLVM XVI

[1] Emitte agnum Domine dominatorem terre de Petra deserti ad montem filie Syon. [2] Et erit sicut auis fugiens et pulli de nido auolantes ; sic erunt filie Moab in transcensu Arnon. [3] Ini consilium, coge concilium. Pone quasi noctem umbram tuam in meridie, absconde fugientes, et uagos ne prodas. [4] Habitabunt apud te profugi mei, Moab esto latibulum eorum a facie uastatoris. Finitus est enim puluis, consummatus est miser, defecit qui conculcabat terram. [5] Et preparabitur in misericordia solium, et sedebit super illud in ueritate in tabernaculo Dauid iudicans et querens iudicium et uelociter reddens quod iustum est.

Emitte agnum. Hic describit pene condicionem, et ponit duas condiciones : primo equitatem ex parte iudicantis, secundo deceptionem ex parte patientis : *Et erit cum apparuerit.* Equitas autem pene disponitur ex culpa precedente, et ideo ordinat culpam. Ponit autem duplicem culpam : primo contra contemptum promissi beneficii, secundo contra contemptum salubris dati consilii : *Ini consilium.*

Circa primum duo facit. In primo promittit beneficium Christi nascituri de eorum gente, ut ex hoc aliquam consolationem accipiant. Ruth enim Moabites nupsit Booz, ex quo concepit Obeth patrem Iesse, patris Dauid, de quo natus est Christus, ut dicitur Ruth ult. Et ideo dicit : O *Domine*, Pater, *agnum*, Christum, Io. I ; *de petra deserti*, de Ruth gentili, cuius populus lapideus est, deos lapideos adorans, et ob hoc a Deo desertus ; *ad montem*, Ierusalem, in quo occisus est et surrexit, uel Ecclesiam ; *dominatorem*, Apoc. V « Sedenti super tronum ». Secundo ponit penam contempnentium : *Erit sicut auis fugiens*, unde fugerant, uel captiui ducebantur, supra x^{14} « Inuenit quasi nidum manus mea fortitudinem populorum ».

Alii hoc uolunt, licet extorte, ad litteram exponere de tributo agnorum quod rex Moab subtraxerat a rege Israel, sicut dicitur IV Reg. XV, quod per prophetam predicitur restituendum regi Ierusalem : *dominatorem*, in signum dominii ; *de Petra deserti*, locus in quo nutriebantur oues.

Ini consilium. Hic ordinat penam contra contemptum dati consilii. Et diuiditur in tres : in prima ponit consilium, in secunda consilii contemptum : *Audiuimus*, in tertia penam contempnentium : *Idcirco.* Circa primum tria ponit. Primo hortatur ad deliberationem : *Ini consilium*, quasi : Delibera qualiter saluari possis. Consilium est ipsa questio que uertitur inter consiliantes ; concilium, congregatio consiliatorum. *Coge*, quasi strictum consilium habens, Prou. xi^{14} « Salus ubi multa consilia », Eccli. $xxxii^{24}$ « Omnia fac cum consilio, et post factum non penitebis ».

Secundo ponit consilii tenorem : *Pone quasi noctem*, in quo hortatur ad duo. Ad receptationem Iudeorum fugientium, ut locum absconsionis preparent : *Pone quasi noctem*, id est prepara te ad occultandos eos ita in die ac si in nocte ; uel *in meridie*, aperta persecutione, ut *fugientes* celet, *absconde*, ut abscondens non reueles *uagos*. Hortatur etiam ut receptos amicabiliter sustentet : *Habitabunt*, infra $xxxii^{2}$ « Et erit uir ».

Tertio assignat rationem : *Finitus.* Et primo quantum ad hostium destructionem ne eorum timore dimittant : *Finitus est puluis*, multitudo exercitus Sennacherib, *consummatus est*, id est occisus a filiis, *miser*, Sennacherib, infra xxxviii, *defecit*, quantum ad potentiam, supra xiv. Secundo quantum ad Iudeorum restaurationem, ut libentius faciant ; quantum ad regni preparationem : *preparabitur in misericordia*, Dei uel regis misericordis, *solium*, regum Iuda ; quantum ad regis potestatem : *sedebit*, quasi quiete regnabit ; quantum ad iudicii equitatem : *in ueritate* ; *iudicans*, quantum ad sententie prolationem ; *querens*, quantum ad causarum discussionem ; *reddens*, quantum

7 promissi beneficii *inv.*F 10 primo π] -ma *cet.* 13 enim] ii Fπ 26 hoc uolunt *inv.* F 45 receptationem F] reptationem Bo receptionem π 50 reueles] -let Fπ 55 timore *coni.*] -rem *codd.* 58 supra xiv F] *om. cet.*

1 condicionem : cf. supra cap.15, 8. 4 Vers. 12. 9 Vers. 3. 15 Ruth iv^{10-22}. 16 Cf. Ioh. i^{28}. 20 Apoc. iv^{9}. 26 Alii... : v.gr. Andreas de S.V. (ms. f.68 rb) et Hugo de S. Charo ' iuxta sensum litteralem '. 26 extorte : cf. Guerricus « Hanc expositionem dicit Gaurricus extorsionem littere et detractionem prophetie » (ms. f.57 ra). 28 xv : rectius iii^{4-5}. 35 Vers. 6. 36 Vers. 7. 49 aperta persecutione : Hugo et *Glossa interl.* ex Haym. (799 D). 57 xxxviii : rectius $xxxvii^{38}$.

[6] Audiuimus superbiam Moab, superbus est ualde : superbia eius et arrogantia eius et indignatio eius plus quam fortitudo eius. [7] Idcirco ululabit Moab ad Moab, uniuersus ululabit. Hiis qui letantur super muros cocti lateris loquimini plagas suas, [8] quoniam suburbana Esebon deserta sunt, et uinea Sabama domini gentium exciderunt flagella eius ; usque ad Iazer peruenerunt, errauerunt in deserto ; propagines eius relicte sunt, transierunt mare. [9] Super hoc plorabo in fletu Iazer et uineam Sabama ; inebriabo te lacrima mea, Esebon et Eleale, quoniam super uindemiam tuam et super messem tuam uox calcantium irruit.

ad sententie executionem. Et hoc potest exponi de Ezechia uel de Christo, supra x « Super solium Dauid et super regnum eius sedebit ».

Nota super illo uerbo *Emitte agnum*, quod Christus dicitur agnus, primo propter uite puritatem, Exo. XII[5] « Erit agnus sine macula, agnus anniculus » ; secundo propter mortis mansuetudinem, infra LIII[7] « Quasi agnus coram tondente se non aperuit os suum » ; tertio propter peccati expiationem, Io. I[29] « Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi ».

Nota super illo uerbo *De petra deserti*, quod beata Virgo dicitur petra, primo propter gratie firmitatem, Eccli. XXXVI « Fundamenta eterna » ; secundo propter continentie frigiditatem, infra XXXII[2] « Sicut umbra petre prominentis in terra deserta » ; tertio propter fructus ubertatem, Iob XXXIX « Petra fundebat riuos olei ». Et nota quod ista petra fuit singularis deserti, quia precipua quantum ad primum, Cant. IV[7] « Tota pulcra es, amica mea » ; secundo quia prima quantum ad secundum, Cant. II « Curremus in odorem unguentorum tuorum » ; uirgo quantum ad tertium, supra VII[14] « Ecce uirgo concipiet et pariet filium ».

Nota super illo uerbo *Emitte*, scilicet tu, Pater, Filium, primo sicut sol radium, Eccli. XLVI « Tripliciter sol exurens montes » ; secundo sicut fons fluuium, Eccli. XXIV[41] « Ego quasi fluuius Doris » ; tertio sicut pater filium, Io. III[16] « Sic Deus dilexit mundum ut unigenitum daret ».

Audiuimus. Hic ponit contemptum consilii ex superbia procedentem. Unde describit eorum superbiam quantum ad tria : quantum ad diuulgationem : *Audiuimus*, quasi publicum ; quantum ad quantitatem : *superbus est ualde* ; quantum ad hoc quod excedit eius dignitatem : *superbia eius*, qua de bonis habitis se extollit, *arrogantia*, qua non habita pretendit, *indignatio*, qua uindictas presumptuose proponit, *plus quam* etc.

Idcirco. Hic ponit penam contempnentium. Et primo puniendorum fletum : *Moab ad Moab*, id est ad inuicem, de quo supra XV satis dicitur. Secundo describit pene modum : *hiis qui letantur* ; et ponuntur tria. Primo indicitur pene denuntiatio prophetis uel nuntiis : *qui letantur*, gloriantur et confidunt de munitionibus ex muris lateritiis, Ez. XXXVI « Si speculator uiderit » etc.

Secundo ponitur pene descriptio quantum ad destructionem terrarum : *Esebon*, ciuitas in cuius terris habundabat triticum ; *Sabama*, ciuitas uicina in qua habundabat uinum. Quantum ad hostium fortitudinem : *domini gentium*, id est Assyrii uel Caldei, multis gentibus dominantes ; *flagella*, id est palmites qui sunt in summitate uitis, per quos metaphorice significantur principes et sublimes ; *usque ad Iazer* destruendo — que est in ultimis finibus —, quantum ad afflictionem hominum, *domini gentium errauerunt*, Ps. « Errauerunt in solitudine, in inaquoso » ; uilitatem remanentium : *propagines*, que remanent in uinea excisis flagellis, sine fructu et decore, Dan. IV[12] « Germen radicum eius in terra sinite » ; elongationem captiuorum : *transierunt mare* Moabiticum, ducti captiui in Babilonem. Vel *mare*, id est Euphraten, secundum consuetudinem Hebreorum, Ioelis III[8] « Venumdabunt eos Sabeis, genti longinque » ; uel exponitur de Assyriis mare transeuntibus et uenientibus ad destruendum.

Tertio ponitur prophete compassio. Et primo ponitur compassio : *Super hoc*, scilicet malum Moab, *plorabo in fletu Iazer*, id est deflens illam ciuitatem Moab, et similiter etiam *uineam Sabama*, *et Eleale*. Secundo ponitur compassionis ratio quantum ad hostium impetum : *calcantium*, id est

68 solium] sedem F 69 regnum *scripsi*.] solium *codd.* 77 tollit] -lis Bo 90 et...filium] etc. π 91 uerbo *om.* Bo 95 Doris] dorix F odoris π 110 et...letantur F] *hom. om. cet.* 113 etc.] *spat. vac.* Bo *om.* π 122 destruendo] domini gentium *(corr. ex marg. intrusa ?) add. codd.* 124 domini *coni. ex praecedenti*] errorem *codd.* 129 Moabiticum] moabicie π ; *fort. lege* Moabite

68 supra X : rectius IX[7]. 70 Cf. vers. 1. 78 Cf. vers. 1. 80 XXXVI : rectius XXVI[24]. 83 XXXIX : rectius XXIX[6]. 88 Cant. II : rectius I[3]. 91 Cf. vers. 1. 92 Rectius Eccli. XLIII[4] 113 Rectius Ez. XXXIII[6]. 122 in ultimis finibus : cf. Hugo et Albertus (224, 85). 124 Ps. CVI[4]. 129-134 ducti...destruendum : cf. Hugo.

[10] Et auferetur letitia et exultatio de Carmelo, et in uineis non exultabit neque iubilabit. Vinum in torculari non calcabit qui calcare consueuerat, uocem calcantium abstuli. [11] Super hoc uenter meus ad Moab quasi cythara sonabit, et uiscera mea ad murum cocti lateris. [12] Et erit, cum apparuerit quod laborauit Moab super excelsis suis, ingredietur ad sancta sua ut obsecret, et non ualebit. [13] Hoc uerbum quod locutus est Dominus ad Moab ex tunc. [14] Et nunc locutus est Dominus dicens : In tribus annis, quasi anni mercennarii, auferetur gloria Moab super omni populo multo, et relinquetur in eo sicut racemus paruus et modicus, nequaquam multus.

Assyriorum deuastantium, et quantum ad sublatum ab eis gaudium quod habebant de habundantia frumenti : *de Carmelo*, id est de fertilitate, — Carmelus enim non est in Moab, sed utuntur Iudei nominibus propriis pro appellatiuis — ; et gaudium quod habebant in habundantia uini : *in uineis*, Ier. XLVIII[33]. Tertio infertur quasi ex ratione conclusio : *Super hoc* infortunio, *uenter*, id est sensus, *meus*, *quasi cythara* faciens sonum ad planctum, uel quia cythara auget gaudium letis et tristitiam tristibus, uel propter concordiam uirtutum prophete.

Et erit. Hic ostendit frustrationem eorum, et de ydolis quibus sacrificabant in excelsis, et quibus sacrificabant in templis quando erant in timoribus, Deut. XXXII[37] « Vbi sunt dii eorum in quibus habebant fiduciam? ».

Hoc uerbum. Hic est epilogus. *Ex tunc*, a morte regis Achaz.

Et nunc. Hic ostendit breuitatem temporis : *in tribus annis*, qui erunt usque ad destructionem uestram, et a morte Achaz — suo tempore fuit uisio huius secundi uerbi — ; uel in quibus durabit uestra persecutio uel impugnatio ; *anni mercennarii*, quia post hos Dominus reddet uobis mercedem pro peccatis uestris ; uel qui uidentur magni, mercennarii sunt et Domino parui, Iob VII[1] « Militia est uita hominis super terram, et quasi mercennarii dies eius ».

147 Ier.XLVIII F] *om. cet.* 166 pro] de F

145 Iudei... : cf. supra cap.8, 154-156 cum notis.

CAPITVLVM XVII

[1] Onus Damasci. Ecce Damascus desinet esse ciuitas, et erit sicut aceruus lapidum in ruina. [2] Derelicte ciuitates Aroer gregibus erunt et requiescent ibi, et non erit qui exterreat. [3] Et cessabit adiutorium ab Ephraim, et regnum a Damasco, et reliquie Syrie sicut gloria filiorum Israel erunt, dicit Dominus exercituum. [4] Et erit in die illa, attenuabitur gloria Iacob, et pinguedo carnis eius emarcescet. [5] Et erit sicut congregans in messe quod restiterit, et brachium eius spicas leget; et erit sicut querens spicas in ualle Raphaim.

Honus Damasci. Hic incipit comminari contra illos qui preparabant populo Dei occasionem peccandi, dum per confidentiam auxilii ipsorum de Deo confidere non curabant. Et diuiditur in duas : in prima contra Syros qui populo decem tribuum auxilium conferebant; in secunda contra Egyptios qui duabus tribubus, cap. XVIII *Ve terre*. Prima in tres : in prima comminatur destructionem Syrorum auxilium promittentium; in secunda decem tribuum in premisso auxilio confidentium : *Et erit in die illa*; in tertia Assyriorum utrosque destruentium : *Ve multitudini*.

Circa primum duo : primo comminatur destructionem; in secunda describit destructionis effectum : *Et cessabit*. Destructionem autem comminatur primo quantum ad regiam ciuitatem : *desinet esse ciuitas*, per depopulationem hominum; *erit sicut*, per destructionem murorum, Mich. III[12] « Syon erit quasi ager ». Secundo quantum ad adiacentem regionem : *Aroer*, id est illius regionis Syrie in qua multe ciuitates sunt; uel *Aroer*, mirica, quasi : sicut loca in quibus habundant mirice sterilia sunt et derelicta in pastum gregum, ita ciuitates Syrie; *non erit qui exterreat*, quia propter solitudinem etiam latrones non erunt ibi; uel quia non erunt ad alium fructum utiles, sicut exterrentur greges a uineis et locis cultis, infra XXXIV[13] « Orientur in domibus eorum urtice ».

Et cessabit. Hic ponitur effectus destructionis, et primo in decem tribubus : *ab Ephraym*; secundo quantum ad regiam ciuitatem : *et regnum a Damasco* cessabit et non erit ulterius caput regni; tertio quantum ad totam regionem : *et reliquie Syrie*, yronice, id est erunt ignominiosi sicut filii Israel, infra XXXI[8] « Dominus inclinabit manum suam, et corruet auxiliator ».

Et erit in die illa. Hic comminatur destructionem decem tribuum in eorum auxilio confidentium, et primo quantum ad oppressionem hominum; secundo quantum ad desolationem ciuitatum : *In die illa ciuitates*; tertio quantum ad sterilitatem agrorum : *Propterea plantabis*. Circa primum duo facit : primo comminatur penam, secundo ostendit pene fructum : *In die illa inclinabitur*. Comminatur autem penam in hominibus, primo contra elationis gloriam : *attenuabitur*, id est ad modicum et quasi ad nichilum redigetur *gloria*, destructis hiis in quibus gloriabantur. Secundo contra diuitiarum opulentiam : *et pinguedo*, id est diuitie quibus carnem deliciose nutriebant, supra X[16, 33] « Mittet dominator Dominus, confringet lagunculam in terrore ». Tertio contra populi habundantiam comminatur hominum paucitatem, quam describit sub triplici metaphora, secundum quod in tribus habundantia Iacob benedictio fuit, Gen. XXVII[28] « Habundantiam frumenti, uini et olei ».

Quantum ad primum ponit paucitatem spicarum post messionem, que uel congregantur ab ipso messore, et sic *Et erit* paucitas reliquiarum decem tribuum, sicut quando aliquis est *congregans in messe quod restiterit* a prima messione, *et brachium eius* de congregatis *spicas leget*, id est colliget. Et iste congregans fuit Ezechias, qui conuocauit reliquias decem tribuum, sicut legitur II Paral. XXXI. Vel etiam que congregantur ab aliquo paupere, sicut dixit Ruth II[2] « Vadam in agrum colligere spicas »; et quantum ad hoc dicit *sicut querens spicas in ualle Raphaym*, quedam uallis fertilissima.

Contra habundantiam uini ponit paucitatem

3 ipsorum] eorum F 5 Syros] syrios F 9 Syrorum] -riorum F 13 duo] facit *add.* Fπ 19 ad *om.* Bo F L 26 ibi...erunt *hom. om.* F 56 habundantia F] in *praem. cet.* XXVII] 28 Bo 26 F XXXVI π 57 Habundantiam] -tia Fπ 67 dixit] dicit Fπ

11 Vers. 4. 12 Vers. 12. 35 yronice... : cf. Hier. (174 C; 184) et expositores. 42 Vers. 9. 43 Vers. 10. 45 Vers. 7. 64 fuit Ezechias... : cf. Hugo. 65 XXXI] rectius XXX^{1-6}. 66 paupere : cf. Hugo ' Mystice ' et Hier. (175 D; $_{18}$5-86).

[6] Et relinquetur in eo sicut racemus et sicut excussio olee duarum aut trium oliuarum in summitate rami, siue quatuor aut quinque in cacuminibus eius fructus eius, dicit Dominus Deus Israel. [7] In die illa inclinabitur homo ad factorem suum, et oculi eius ad Sanctum Israel respicient; [8] et non inclinabitur ad altaria que fecerunt manus eius et que operati sunt digiti eius; non respiciet lucos et delubra. [9] In die illa erunt ciuitates fortitudinis eius derelicte sicut aratra et segetes, que derelicte sunt a facie filiorum Israel; et eris deserta, [10] quia oblita es Dei saluatoris tui et fortis adiutoris tui non es recordata. Propterea plantabis plantationem infidelem et germen alienum seminabis; [11] in die plantationis tue labrusca, et mane semen tuum florebit; ablata est messis in die hereditatis; et dolebit grauiter. [12] Ve multitudini populorum multorum ut multitudo maris sonantis et tumultus turbarum sicut sonitus aquarum multarum. [13] Sonabunt populi sicut sonitus aquarum inundantium.

uuarum post uindemiationem : *Et relinquetur*, Mich. VII[1] « Ve michi, quia factus sum sicut qui colligit in autumpno racemos uindemie ». Contra habundantiam olei ponit paucitatem oliuarum post excussionem *olee*. Olea, ut dicit Papias, est fructus oliuarum; sed hic, secundum expositionem Glose, uidetur poni pro ipsa arbore, in cuius cacumine remanent aliqui pauci fructus ad quos colligans non potuit attingere; de ista paucitate, Deut. XXVIII[62] « Remanebitis pauci numero ».

Nota super illo uerbo *Et pinguedo carnis*, quod diuitie dicuntur pinguedo, primo propter sterilitatem, Matth. XIII[22] « Fallacia diuitiarum »; secundo propter uentositatem, I Tim. ult. « Diuitibus huius seculi precipe non sublime sapere, nec sperare in uento diuitiarum »; tertio propter inutilitatem, Ez. XVI[49] « Hec fuit iniquitas Sodomie » etc., Eccl. V[12] « Diuitie conseruate in malum domini sui ».

In die illa. Hic ponit pene fructum : *inclinabitur*, exhibendo debitum seruitutis cultum, *homo*, de decem tribubus quicumque fuerit ad Ezechiam; *respicient*, expectando aliquod auxilium; *delubra*, templa in quibus erant fontes quasi ad abluendum, infra XXXI[7] « In die illa » etc.

In die illa. Hic comminatur desolationes ciuitatum, et primo comminatur ipsam desolationem : *sicut aratra*. Tangitur id quod habetur Iosue VI et VII, quod ad aduentum filiorum Israel Amorrei fugerunt, relinquentes omnia in agris, supra I[7] « Terra uestra deserta, ciuitates uestre succense igni ». Secundo ponit desolationis rationem : *et eris deserta*, Deut. XXXII[18] « Deum qui te genuit dereliquisti, et oblitus es Domini creatoris tui ».

Propterea plantabis. Hic comminatur sterilitatem fructuum, et circa hoc tria facit. Primo ostendit cultus inutilem laborem, quantum ad uineas : *plantationem infidelem*, quia non reddet fructum secundum laborem; uel *fidelem* yronice, quasi dicat : An propter mala que fecisti erit plantatio tua fidelis? Quantum ad agros : *germen alienum*, quod alii colligent, supra V[10] « Decem iugera uinearum facient lagunculam unam ». Secundo quantum ad fructus perditionem : *In die plantationis tue*, id est quando de plantatione fructum sumere debebas, et hoc quantum ad uineas; quantum ad agros : *mane semen tuum florebit*, id est primo pulcrum erit, ut magis doleas, uel quia ante tempus florebit et inutile erit, Prou. XX[21] « Hereditas ad quam festinatur in principio, in nouissimo benedictione carebit ». *Ablata est*, ab hostibus, *in die hereditatis*, quando in horreo debuit recondi quasi fructus hereditatis, Ier. XII[13] « Seminauerunt triticum, et messuerunt spinas ». Tertio comminatur pro amissione dolorem : *dolebit* qui seminauit; uel *dolebis* tu.

Ve multitudini. Hic comminatur Assyriorum destructionem, et circa hoc tria ponit. Et primo describit exercitus multitudinem quantum ad strepitum incedentium : *Ve multitudini populorum* uenientium cum Sennacherib; quantum ad tumultum colloquentium : *tumultus*, qui est locutio confusa precipue multorum; quantum ad clamorem pugnantium : *Sonabunt populi*, in pugna, supra VIII[7] « Ecce adducet Dominus super eos aquas fluminis fortes et multas », Ier. VI[23] « Vox

72 sicut] quasi colligens recemos(!) post uindemiam *praem.* Bo *(et del. alia manus)* 76 expositionem Glose] glo. F 77-79 in cuius...de ista F] *om. cet.* 82 diuitie dicuntur *inv.* F 84 Diuitibus] ue uobis (*ex* Luc. VI[24]) *praem. codd.*; *et delevimus* 87 Ez....ctc. F] *om. cet.* 92 fuerit] fugerit F ad Ezechiam] *supple* uocatus (*cf. Hugo*) 95 etc. *coni.*] percutiam *codd.*(*et spat. vac. add.* Bo); *cf.* XXVII[12] 98 id] hic π 99 VII F] iiij *cet.* 104 et...tui *om.* π 110 An *coni.*] aut *codd.* 128 tria ponit *inv.* F 130 incendentium Bo

75 Papias sub hoc v. : « Olea et oliua pro fructu sacpe posita sunt » (p. 233). 77 *Glossa marg.* et expositores. 81 Cf. vers. 4. 84 I Tim. VI[17]. 98 Tangitur... : cf. Hugo. 108 infidelem : sic Ω^{M} et Hugo ' alia littera '. 109 fidelem yronice : expositores cum Hier. (176 C; 187).

Et increpabit eum et fugiet procul ; et rapietur sicut puluis montium a facie uenti et sicut turbo coram tempestate. [14] In tempore uesperi et ecce turbatio ; in matutino et non subsistet. Hec est pars eorum qui uastauerunt nos et sors diripientium nos.

eius quasi mare sonabit », Apoc. XVII[15] « Aque multe, populi multi ».

Secundo comminatur destructionem. Circa quam primo ponitur ipsa destructio : *et increpabit*, occidendo exercitum per angelum, *et fugiet procul*, in terram suam cum paucis, ut supra X[18] habetur, Ps. « Increpasti gentes ». Secundo ponitur similitudo respondens condicioni, quia superbus erat : *rapietur sicut puluis*, Ps. « Tamquam puluis », que proicitur *a facie uenti* ; et respondens tempori : *sicut turbo*, quia de nocte fuit percussus exercitus eius, quem uocat tempestatem, cuius preambulum in puluere est turbo ex uentis qui sunt causa pluuie, IV Reg. XIX[35] « In nocte illa uenit angelus et percussit exercitum ». Tertio ponitur destructionis consummatio : *et non subsistet*, quia ipsemet interfectus fuit, Ez. XXIV « Nichil factus es ». Quarto ponitur destructionis ratio : *Hec est pars eorum qui uastauerunt nos*, possessiones, *et diripientium*, res mobiles, Ps. « Ignis, sulphur, et spiritus procellarum pars calicis eorum ».

Nota super illo uerbo *Et oculi eius ad Sanctum Israel*, quod oculi debent inclinari ad Deum, primo per fidei adhesionem, infra XXX[20] « Oculi tui uidebunt preceptorem tuum » ; secundo propter spei expectationem, Ps. « Oculi omnium in te sperant, Domine » ; tertio propter amoris contemplationem, Iob XXXIX[29] « Inde contemplabitur escam et de longe oculi eius respiciunt » ; quarto propter glorie fruitionem, Matth. XIII[16] « Beati oculi ».

Nota super illo uerbo *plantatio infidelis*, quod est primo auari, Eccl. V[9] « Qui amat diuitias fructum non capiet ex eis » ; secundo luxuriosi, Ro. VI[21] « Quem fructum habuistis tunc in quibus nunc erubescitis ? » ; tertio superbi, Sap. V[8] « Quid nobis profuit superbia nostra ? ».

139 quam] quod Fπ 140 primo ponitur *inv.* Fπ 155 qui] que Fπ nos] et *add.* F 162 omnium] hominum Bo 167 oculi] qui uident que uos uidetis(*ex* Luc. X[23]) *add. codd.*

137 Aque...multi : ita Hier. *Tract. de Ps. 76* (PL 26, 1042 A ; CCL 78, 60) referens Apoc. XVII[15]. 143 Ps. IX[6]. 145 Ps. I[4]. 153 Ez. XXIV : rectius XXVIII[19]. 156 Ps. X[7]. 158 Cf. vers. 7. 162 Ps. CXLIV[15]. 168 Cf. vers. 10.

CAPITVLVM XVIII

[1] Ve terre cymbalo alarum, que est trans flumen Ethiopie, [2] qui mittit in mari legatos et in uasis papiriis super aquas. Ite angeli ueloces ad gentem conuulsam et dilaceratam, ad populum terribilem post quem non est alius, gentem expectantem, expectantem et conculcatam, cuius diripuerunt flumina terram eius, ad montem nominis Domini exercituum montem Syon. [3] Omnes habitatores orbis qui moramini in terra, cum eleuatum fuerit signum in montibus uidebitis et clangorem tube audietis. [4] Quia hec dicit Dominus ad me : Ego quiescam et considerabo in loco meo, sicut meridiana lux clara est, et sicut nubes roris in die messis.

Ve terre cymbalo. Hic comminatur contra Egyptios. Et primo comminatur eorum penam per comparationem ad pene meritum; in secunda exequitur pene modum, cap. XIX *Honus Egypti*; in tertia designat pene tempus, cap. XX *In anno*. Circa primum tria ponit : primo designat culpam que est meritum pene; in secunda comminatur penam : *Omnes habitatores*; tertio ostendit pene fructum : *In tempore illo*.

Circa primum duo facit. Primo describit situm terre in quo superbe confidebant, dicens *Ve*, scilicet imminet, *terre*, Egypto, *cymbalo alarum*, propter sonitum Nili cuius uelocitas comparatur motui alarum propter uelocitatem, uel propter multitudinem populorum, uel propter protectionis auxilium quod populo duarum tribuum insonabant; *que est trans flumen Etyopie*, id est ultra Nilum qui uenit de Etyopia, Ez. XXIX[3] « Ecce ego ad te, Pharao rex Egypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum ». Hoc tamen Iudei exponunt de Gog, qui habitant ultra Etyopiam, contra quos testatur propheta Ezechiel XXXVIII.

Secundo describit auxilium quod duabus tribubus promittebant. Et primo describit nuntiandi modum, dicens *qui*, scilicet populus Egyptius, *mittet legatos*, id est nuntios, duabus tribubus, *in mari*, id est per mare, *et super aquas*, fluminis uel maris, *in uasis papiriis*, genus iunci de quo fiebant capselle ad portandas litteras, uel arundines tam magne quod de eis fiebant naues, ut legitur in hystoria Alexandri : a pyr, quod est ignis.

Secundo ponit legationis preceptum, in quo determinat duo. Primo nuntiandi modum, dicens hoc : O *angeli*, id est o nuntii mei, *Ite, ueloces*, id est uelociter. Secundo motiuum : *ad gentem*, scilicet duarum tribuum, quam ostendit miserabilem ex quatuor. Primo ex afflictionis magnitudine : *conuulsam*, a propria firmitate per subiugationem, *et dilaceratam*, per penarum afflictionem. Secundo ex pristina dignitate : *terribilem* quondam, *post quem non est alius* potentie comparandus, nunc autem *expectantem* alienum auxilium, *conculcatam*, quasi in uilitate redactam. Tertio ex hostium potestate uel iniquitate : *cuius diripuerunt* iniuste *flumina* reges Assyriorum. Quarto ex loci sanctitate : *ad montem*. Sunt autem puniti, quia eos a cultu Dei retrahebant, Ez. XXIX[16] « Non erunt ultra domui Israel ».

Omnes habitatores orbis. Hic comminatur penam, et circa hoc duo facit. Primo ostendit pene euidentiam : *uidebitis*, id est notum erit uobis, *signum*, uexillum Nabuchodonosor, Ier. XLVI[12] « Audierunt gentes ignominiam tuam, et ululatus tuus repleuit terram »; uel hostium copiam *uidebitis*, existentes in exercitu eius, Ez. III « Fortissimi gentium adducentur ».

Secundo aufert defensionis diuine confidentiam : *Quia hec dicit Dominus*. Et primo quia subtrahet eis auxilium sue defensionis : *quiescam*, quasi nichil uos adiuuans; *considerabo*, uidebo quid uos possitis facere, Deut. XXXII[20] « Considerabo nouissima eorum ». Secundo quia hostibus prebebit auxilium impugnationis, quantum ad consilium in dubiis : *sicut meridiana lux*, ita euidenter ostenditur eis quid sit eis agendum; quantum ad releuamentum in laboribus : *sicut nubes*, Ps. « Exaltasti dexteram deprimentium ».

6 ponit] facit Fπ 7 meritum pene *inv.* Fπ 21 qui...Etyopiam *om.* π 23 Ezechiel *om.* Fπ 29 papiriis] -reis Fπ 41 post quem] postquam Fπ 44 uilitate] -tem F 56 fortissimi *coni. cum Vulg.*] -mus *codd.* 57 adducentur] -cetur Fπ

8 Vers. 3. 9 Vers. 7. 12-17 cymbalo...insonabant : cf. *Glossa marg.* ex Haym. (805 B-C). 21 Iudei... : cf. Hugo ' Mystice '. 31 legitur... : cf. Haymo (805 D) apud Hugonem hic. 32 a pyr... : cf. Papias ad v. ' papyrus ' (p. 245 b). 56 Ez. III : rectius XXX[11]. 67 Ps. LXXXVIII[48].

[5] Ante messem enim totus effloruit et immatura perfectio germinauit, et precidentur ramusculi eius falcibus ; et que derelicta fuerint abscidentur et excutientur ; [6] et relinquentur simul auibus montium et bestiis terre, et estate perpetua erunt super eum uolucres, et omnes bestie terre super illum hiemabunt. [7] In tempore illo deferetur munus Domino exercituum a populo diuulso et dilacerato, a populo terribili post quem non fuit alius, a gente expectante, expectante et concultata, cuius diripuerunt flumina terram eius, ad locum nominis Domini exercituum montem Syon.

Tertio, *Ante messem*, describit pene metaphoram, scilicet per destructionem fructus in agro, et ponit tria. Primo quantum ad fructus perditionem, qui perditur in flore quando nimis cito incipit florere : *Ante messem enim totus* ; similiter Egyptus antequam potentiam haberet florem sue glorie ostentabat : de qua infra XL[6] « Omnis gloria eius quasi flos agri ». Perditur etiam in germine quando nondum maturus est humor de quo fieri debet fructus : *et immatura* ; similiter Egyptus ultra potentiam quam habebat presumebat. Perditur etiam in fructu quando rami in quibus sunt fructus absciduntur : *precidentur*, ante fructus maturationem, Iob XV[33] « Ledetur quasi uinea in primo flore », Prou. XIII[11] « Substantia festinata minuetur », eodem XX[21] « Hereditas ad quam festinat ». Secundo ponit fructus remanentium ablationem : *que derelicta fuerint* perfecta Egyptiis ab Assyriis, *abscidentur* a propria firmitate, *et excutientur* de loco suo per Caldeos, infra XXIV[13] « Quomodo si pauce oliue que remanserunt excutiantur ex olea ». Tertio ponit ipsius agri desertionem : *Et relinquetur* sicut ager incultus, in quo significatur cedes hominum, postquam multe bestie fuerunt in terra Egypti, Ez. XXXIX[17] « Hec dicit Dominus Deus : Dic omni uolucri ».

In tempore illo. Hic ponitur pene fructus, scilicet quod populus duarum tribuum confidentes de Deo et ipsius auxilium inuocabunt cum munerum oblatione, supra X[20] « In die illa non adiciet residuum Israel, et hii qui fugerint de domo Iacob, inniti super eo qui percutit eos ; sed innitetur super Dominum sanctum Israel ».

Nota super illo uerbo *Immatura perfectio germinauit*, quod est perfectio multiplex : prima nature, Gen. II[1] « Igitur perfecti sunt celi » ; secunda scientie, Iob XXII[2] « Numquid Deo comparari potest homo, etiam cum perfecte fuerit scientie ? » ; tertia gratie, I Io. IV[18] « Perfecta caritas foras mittit timorem » ; quarta glorie, I Cor. XIII[10] « Cum uenerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est ».

Nota super illo uerbo *Germen eius* quod est germen primo praue prelationis, Eccl. X[16] « Ve tibi terra cuius rex est puer et principes mane comedunt » ; secundo doctrine erroris, Iude « Hii ea que ignorant blasphemant » ; tertio presumptuose opinionis, Ro. XII[3] « Vnicuique sicut » ; <quarto> presentis consolationis, Luce XVI[25] « Recordare quia recepisti bona in uita tua ».

Nota super illo uerbo *Deferetur munus*, quod est munus multiplex : primo feruentis dilectionis, Prou. XXI[14] « Munus absconditum » ; secundo deuote orationis, Ps. « Ascendat oratio mea sicut incensum in conspectu tuo » ; tertio perfecte operationis, Mal. I[10] « Munus non suscipiam de manu uestra » ; quarto debite oblationis, Ps. « Vouete et reddite Domino Deo uestro, omnes qui in circuitu eius offertis munera ».

74 potentiam haberet *inv.* Fπ 81 abscinduntur F 84 eodem...festinat F] *om.cet.* XX...quam *scripsi.*] 22...quem F *def.cet.* 86 fuerint] -runt Fπ 89 oliue] olee uel *praem.codd.* 93 bestie fuerunt *inv.* F 99 residuum] tribus *add.* F fugerint] -runt F 111 Germen eius] *sic codd.; an* germinauit *legendum ?* 115 ea que F] qui *cet.* 117 <quarto> *suppl.*] *spat.vac.* Bo *om.cet.* 119 Deferetur] defertur F defectum π 126 omnes *om.* F 127 offertis *scripsi.cum Vulg.*] offertur Bo F *var.err.* π

102 Cf. vers. 5. 111 Cf. vers. 5. 114 Iude vers. 10. 119 Cf. vers. 7. 122 Ps. CXL[2]. 125 Ps. LXXV[12].

CAPITVLVM XIX

[1] Onus Egypti. Ecce Dominus ascendet super nubem leuem et ingredietur Egyptum, et mouebuntur simulacra Egypti a facie eius, et cor Egypti tabescet in medio eius. [2] Et concurrere faciam Egyptios aduersum Egyptios, et pugnabit uir contra fratrem suum, et uir contra amicum suum, ciuitas aduersus ciuitatem, regnum aduersus regnum. [3] Et disrumpetur spiritus Egypti in uisceribus eius, et consilium eius precipitabo, et interrogabunt simulachra sua et diuinos suos et phitones suos et ariolos.

Honus Egypti. In parte ista comminatur destructionem Egyptiorum, prosequens modum et ordinem. Et diuiditur in partes tres : in prima describitur pene preparatio ; in secunda ipsa destructio : *Et tradam Egyptum* ; in tertia utilitatis consecutio, ibi *In die illa erunt quinque ciuitates*. Preparatio autem pene describitur quantum ad quatuor. Primo quantum ad dispositionem hostium : *ascendet*, inspirando, *super nubem*, ex qua tempestas, *leuem*, propter agilitatem et promptitudinem, Ps. « Nubes et caligo in circuitu eius ».

Secundo quantum ad stuporem gubernantium deorum : *et mouebuntur*, quia confracti sunt ab Assyriis, uel quia dare responsum non potuerunt, uel quia nec eodem die apparuerunt, Ez. VI[4] « Confringentur » etc. ; hominum, *cor Egypti*, id est rex et principes, ex quibus totus uigor Egypti, supra I[5] « Omne caput languidum, et omne cor merens ».

Tertio quantum ad dissensionem resistentium — quantum ad exteriorem contrectationem — : *Et concurrere*, quantum ad extraneos : *Egyptios* ; quantum ad consanguineos : *pugnabit uir* ; quantum ad notos et amicos : *et uir contra amicum suum* ; quantum ad diuersos populos : *ciuitas*. Ponit uoluntatum diuersitatem : *dirumpetur*, id est diuidetur, *spiritus*, id est uoluntas, *in uisceribus eius*, id est incolis terre, Matth. XII[25] « Omne regnum in se ipsum diuisum desolabitur ».

Quarto quantum ad errorem consiliantium hominum : *et consilium*, Iob V[13] « Apprehendit sapientes in astutia eorum et consilium prauorum dissipat » ; et demonum : *et interrogabunt* frustra, supra VIII[19] « Et cum dixerint ad uos : Querite a phytonibus et a diuinis qui stridunt in incantationibus suis » etc.

Nota super illo uerbo *super nubem*, quod est multiplex nubes : prima assumpte carnis, Iob XXXVIII[4, 9] « Vbi eras cum ponerem nubem uestimentum eius et caligine illud quasi pannis infantie obuoluerem? » ; secunda est uirginalis uentris, III Reg. XVIII[44] « Ecce nubecula parua ascendebat de mari » ; tertia est deuote mentis, Ps. « Magnificentia eius et uirtus eius in nubibus » ; quarta iudiciarie sedis, Ps. « Nubes et caligo in circuitu eius, iustitia et iudicium preparatio sedis eius ».

Item nota quod de prima nube procedit pluuia sacramentalis uel sanctificationis, Io. XIX[34] « De latere Domini continuo exiuit sanguis et aqua » ; de secunda procedit cibus consolationis, Sap. XIX[7] « Nubes castra obumbrabat, et ex aqua que ante erat terra apparuit arida », et infra « Videntes tua mirabilia et monstra : tamquam enim equi depauerunt escam » ; de tertia procedit coruscatio predicationis, Iob XXXVII[11] « Frumentum desiderant nubes, nubes spargunt lumen suum » ; de quarta procedit tempestas dampnationis, Num. V « Ecce quasi nubes », Ps. « Virtus eius in nubibus».

Item nota super illo uerbo *nubem leuem*, quod prima dicitur leuis propter eminentie dignitatem, Dan. VII[13] « Ecce in nubibus similis filio hominis ueniebat » ; secunda dicitur leuis propter uirginitatis puritatem, Apoc. XIV[14] « Et ecce nubem candidam, et super nubem sedentem similem filio hominis » ; tertia dicitur leuis propter obedientie uelocitatem, infra LX[8] « Qui sunt isti qui ut nubes uolant? » ; quarta dicitur leuis propter executionis

3 in prima *coni.*] et(in π) primo *codd.* 15 Ez....etc. F] *om. cet.* 17 rex F] res *cet.* 26 Dirumpetur] disrumpetur Fπ 33 et[2] *om.* Bo 35 stridunt] student π *dub.* F 41 obuoluerem] inuoluerem Fπ 45 iudiciarie] -carie Bo 45-47 in...sedis eius] etc. π 50 aqua] 3 Reg. 18. Apoc. 4 *add.* F (*cf. supra* 42) 53 infra] ita Fπ 54 enim] omni Bo 55 escam] supra 18 sicut nu<bem> leuem *add.* F (*cf.* XVIII[4]) 56 XXXVII] 27 Fπ 60 uerbo *om.* Bo

5 Vers. 4. 6 Vers. 18. 11 Ps. XCVI[2]. 14 uel...non potuerunt : cf. *Glossa marg.* ex Haymone (807 D). 37 Cf. vers. 1. 44 Ps. LXVII[35]. 45 Ps. XCVI[2]. 53 infra : ibid. vers. 8-9. 58 Num. V : rectius Ier. IV[13]. 59 Ps. LXVII[35].

4 Et tradam Egyptum in manum dominorum crudelium, et rex fortis dominabitur eorum, ait Dominus Deus exercituum. 5 Et arescet aqua de mari et fluuius desolabitur atque siccabitur; 6 et deficient flumina, attenuabuntur et siccabuntur riui aggerum; calamus et iuncus marcescet. 7 Nudabitur alueus riui a fonte suo, et omnis sementis irrigua siccabitur, arescet et non erit. 8 Et merebunt piscatores, et lugebunt omnes mittentes in flumen hamum, et expandentes rete super faciem aquarum emarcescent. 9 Confundentur qui operabantur linum, plectentes et texentes subtilia. 10 Et erunt irrigua eius flaccentia, omnes qui faciebant lacunas ad capiendos pisces. 11 Stulti principes Taneos, sapientes consiliarii Pharaonis dederunt consilium insipiens. Quomodo dicetis Pharaoni : Filius sapientium ego, filius regum antiquorum? 12 Vbi sunt nunc sapientes tui? Annuntient tibi et indicent quid cogitauerit Dominus exercituum super Egyptum. 13 Stulti facti sunt principes Taneos, emarcuerunt principes Mempheos. Deceperunt Egyptum, angulum populorum eius; 14 Dominus miscuit in medio eius spiritum uertiginis; et errare fecerunt Egyptum in omni opere suo sicut errat ebrius et uomens. 15 Et non erit Egypto opus quod faciat caput et caudam, incuruantem et refrenantem.

facilitatem, Eccli. XLIII[16] « In magnitudine sua posuit nubes et confracti sunt lapides grandinis ».

Et tradam Egyptum. Hic prosequitur ipsam destructionem; et primo quantum ad populi seruitutem; secundo quantum ad terre desolationem : *Et arescet*; tertio quantum ad sapientum stuporem : *Stulti principes. Dominorum :* Assyriorum, Caldeorum, Romanorum, Deut. XVIII « Seruies inimico tuo ». Destructionem autem terre designat per siccitatem aquarum in quibus Egyptus ornata et diues est; uel quia ira Dei preuenit ut aque siccarentur et animalia morerentur; uel loquitur yperbolice, quasi dicat : Tanta erit tribulatio quod uidebitur etiam aquas siccare.

Ponit ergo tria. Primo siccitatis modum : *arescet*, id est minuetur, *fluuius*, Nilus, *flumina*, alia, Ez. XXX[12] « Faciam alueos fluminum aridos ». Secundo ponit siccitatis signum : *calamus et iuncus*, que nutriuntur in aquis, infra XXXV[7] « Orietur uiror calami et iunci ». Tertio ponit siccitatis dampnum : *Nudabitur*; primo agriculture, *a fonte*, id est a principio, uel hoc ad finem, Ps. « Posuit flumina in desertum, et exitum aquarum in sitim »; secundo piscatorum : *merebunt piscatores*, Ez. XXIX[5] « Proiciam te in desertum, et omnes pisces fluminis tui »; tertio diuersorum artificum : *Confundentur qui operantur linum*, quod nascitur in locis humidis, *flaccentia*, id est arentia, *lacunas*, uiuaria.

Stulti principes. Hic ponit hominum stuporem, et primo quantum ad errorem in consiliis, secundo quantum ad timorem in bellis, ibi *In die illa.* Circa primum tria. Primo irridet sapientum stultitiam quantum ad deliberationem : *Stulti principes*, id est philosophi, *Thapneos*, ubi uigebat studium, Ier. LI[17] « Stultus factus est omnis homo »; quantum ad consilii promulgationem : *sapientes*; quantum ad sui commendationem : *Quomodo dicetis Pharaoni?*, id est quomodo poteritis dicere, quando putabit uos male consuluisse, hoc quod unusquisque uestrum solebat dicere ad sui commendationem, ut eius consilio credatur; *Filius sapientum*, quasi dicat : hereditate sapientiam possideo; uel discipulus *regum*, qui antiquitus philosophi erant, Iob XV[10] « Et senes et antiqui sunt in nobis multo uetustiores quam patres tui ».

Secundo irridet regis confidentiam : *Vbi nunc*, et primo questionem, infra XLVII[13] « Stent et saluent te », secundo responsionem : *Stulti emarcuerunt*, id est defecerunt : ut supra.

Tertio irridet populi decepti ignauiam : *deceperunt*. Hic tria facit. Primo ponit sapientum deceptionem : *deceperunt angulum*, id est regnum, in quo multi coniunguntur sicut parietes in angulo, infra XLVII[10] « Sapientia tua et scientia tua decepit te ». Secundo Dei permissionem : *Dominus miscuit*, sepe dicitur metaphorice, *spiritum uertiginis*, id est erroris, ad modum eius qui patitur uertiginem, III Reg. ult. « Dedit Dominus spiritum mendacii in ore omnium prophetarum tuorum ». Tertio ipsius populi errorem : *et errare*. *Caput*, uidelicet neque quoad principium; *caudam*, neque quoad finem; *incuruantem*, quoad senem; *refrenantem*, quoad iuuenem, qui refrenatione indiget, uel lasciuientem, II Tim. III[13] « Mali

69 XLIII] 23 F xliij π 75 Dominorum *coni. cum* Ω *Vulg.*] deorum *codd.* 88 que] qui Fπ 97 arentia] arescentia Fπ lacunas] lasciuias Fπ 102 tria] facit *add.* F ponit *add.* π 116 confidentiam] consilium ibi F 118 Stulti *om.* F 122 regnum F] regno *cet.* 131 neque sBo π] *om. cet.*

75 Vers. 11. 76 XVIII : rectius XXVIII[48]. 81 yperbolice : cf. *Glossa marg.* ex Haym. (809 A). 91 Ps. CVI[35]. 101 Vers. 16. 128 III Reg. XXII[22]. 131-134 Caput...lasciuientem : cf. Hugo et *Glossa interl.*

16 In die illa erit Egyptus quasi mulieres, et stupebunt et timebunt a facie commotionis manus Domini exercituum quam ipse mouebit super eam. 17 Et erit terra Iuda Egypto in pauorem : omnis qui illius fuerit recordatus pauebit a facie consilii Domini exercituum, quod ipse cogitauit super eam. 18 In die illa erunt quinque ciuitates in terra Egypti loquentes lingua Chanaan et iurantes per Dominum exercituum, ciuitas solis uocabitur una. 19 In die illa erit altare Domini in medio terre Egypti, et tytulus Domini iuxta terminum eius. 20 Et erit in signum et testimonium Domino exercituum in terra Egypti ; clamabunt enim ad Dominum a facie tribulantis, et mittet eis saluatorem et propugnatorem qui liberet eos. 21 Et cognoscetur Dominus ab Egypto, et cognoscent Egyptii Dominum in die illa, et colent eum in hostiis et muneribus et uota uouebunt Domino et soluent. 22 Et percutiet Dominus Egyptum plaga et sanabit eam ; et reuertentur Egyptii ad Dominum et placabitur eis et sanabit eos. 23 In die illa erit uia de Egypto in Assyrios ; et intrabit Assyrius Egyptum et Egyptus in Assyrios, et seruient Egyptii Assur. 24 In die illa erit Israel tertius Egyptio et Assyrio ; benedictio in medio terre, 25 cui benedixit Dominus exercituum dicens : Benedictus populus meus Egypti, et opus manuum mearum Assyrio ; hereditas autem mea Israel.

autem homines et seductores proficient in peius ».

In illa die. Hic comminatur timorem robustorum. Et primo ponit timorem : *quasi mulieres* ; infirmi et imbecilles, Ier. LI[30] « Deuoratum est robur eorum, et facti sunt quasi mulieres » ; secundo rationem : *erit terra Iuda*, scilicet memoria malorum que fecerunt eis auertentes eos a cultu Dei, pro quo scient iram Dei se incurrisse, I Mach. VI[12] « Nunc reminiscor malorum que feci in Ierusalem ».

In die illa. Hic ponitur consecutio, uel consolatio, scilicet eorum conuersio. Et primo conuersionis signum triplex ; quorum primum est iuramentum : *iurantes*, infra LXV[16] « Qui iurat etc., iurabit in Deo amen quia obliuioni tradite sunt angustie priores » ; *ciuitas solis*, Heliopolis, *linguam cananeam*, que confinis est lingue Iudeorum, ut in lingua etiam conueniant cum populo Dei ; in hiis enim translati sunt a Nabuchodonosor quidam Syri qui linguam propriam tenuerunt.

Secundum signum est sacrum edificium : *altare Domini* ; *et titulus*, quia multos deos colebant, sicut dicitur Act. XXVII. Hoc dicunt quidam impletum tempore Machabeorum, quando multis Iudeis fugientibus in Egyptum, Onias uolens implere hanc prophetiam, contra preceptum legis edificauit altare. Quod est contra Deut. XII « Non edificabitis michi altare » ; de quo arguitur Dan. XI[14] « Filii quoque preuaricatorum populi tui extollentur ut impleant uisionem, et corruent » ; unde patet quod non est iste intellectus, sed de altari edificando ad cultum christianum.

Tertium signum est quia inuocant Dei auxilium : *clamabunt* ; *saluatorem*, Ihesum, Ps. « Clamauit ad me ».

Secundo ponit conuersionis modum. Et primo quantum ad fidei susceptionem : *Et cognoscetur*, Ier. XXXI[34] « Omnes cognoscent me a minimo usque ad maximum, ait Dominus » ; secundo quantum ad sacrificiorum et uotorum oblationem : *et colent*, Mal. I[11] « In omni loco offertur nomini meo oblatio munda » ; tertio quantum ad peccatorum remissionem : *Et percutiet*, primo per multas penas, *et sanabit* a peccato, Iob V[18] « Ipse uulnerat et medetur, percutit et manus eius sanabunt ».

Tertio ponit conuersionis triplicem effectum, scilicet pacem : *In die illa erit uia*, quod ante non poterat esse propter diuersa regna, que nato Domino iuncta sunt sub Romanis ; *seruient*, in mercimoniis, sibi inuicem ; uel quia milites Syri erant in legionibus Romanorum ad custodiam Egypti, supra I « Non leuabit gens contra gentem gladium ». Secundo promittit secundum effectum, fidei ueritatem : *In die illa* ; *tertius*, simul et equaliter Romanis seruiens, et in unitate fidei, Io. X[16] « Fiet unum ouile et unus pastor », Ro. X[12] « Non est distinctio Iudei et Greci ». Tertio ponit tertium effectum, scilicet benedictionem diuinam : *erit*, scilicet Israel, *benedictio*, quia per apostolos totus mundus benedictionem Dei percepit ; *hereditas*, quia ibi natus et mysteria salutis nostre expleuit, Ps. « Benedixit domui Israel ».

145 consolatio] eorum *praem.* F 146 eorum conuersio *inv.* Fπ 148 Qui iurat etc. F] *om. cet.* 159 Onias] omnias Bo 161 contra *scripts. cum* pBo] contra legem L V *om. cet.* 163 populi] filii Fπ 164 corruent] -uant Fπ 183 nato F] noto Bo unico π 193 tertium effectum *inv.* Fπ

152-154 in hiis...tenuerunt : cf. Hugo. 157 XXVII : rectius XVII. 157-161 quidam...altare : cf. Haymo (811 A-B) quem refert Hugo. 161 Cf. Deut. XII[13]. 165 non est... : cf. Guerricus « Hec expositio non est bona...ostenditur mutatio cultus in egypto » (ms. f. 63 rb - va). 168 Ps. XC[16]. 185 sibi...Egypti : cf. Hugo. 187 supra I : rectius II[4]. 197 Ps. CXIII[12].

CAPITVLVM XX

[1] In anno quo ingressus est Thartan in Azotum, cum misisset eum Sargon rex Assyriorum et pugnasset contra Azotum et cepisset eam, [2] in tempore illo locutus est Dominus in manu Ysaie filii Amos dicens : Vade et solue saccum de lumbis tuis et calciamenta tua tolle de pedibus tuis. Et fecit sic uadens nudus et discalciatus. [3] Et dixit Dominus : Sicut ambulauit seruus meus Ysaias nudus et discalciatus, trium annorum signum et portentum erit super Egyptum et super Ethiopiam ; [4] sic minabit rex Assyriorum captiuitatem Egypti et transmigrationem Ethiopie iuuenem et senem, nudam et discalciatam, discoopertis natibus ad ignominiam Egypti. [5] Et timebunt et confundentur ab Ethiopia spe sua et ab Egypto gloria sua. [6] Et dicet habitator insule huius in die illa : Heccine erat spes nostra, ad quos confugimus in auxilium, ut liberarent nos a facie regis Assyriorum ; et quomodo effugere poterimus nos?

In anno quo. Hic ponitur destructionis tempus, et diuiditur in partes tres. Et primo ponitur designans quoddam, scilicet propheticum factum ; secundo facti significatum : *Et dixit* ; tertio ostendit significati effectum : *Et timebunt.*

Circa primum tria. Primo ponitur prophetie tempus : *In anno. Azotum*, ciuitas Palestinorum, Amos I[7-8], ubi et Gaza, Get, Accaron, Ascalon, Azotus. *Sargon*, qui et Sennacherib secundum Ieronimum, quia sex nomina habuit que sunt Sargon, Sennacherib, Phua, Salmanasar, Teglathphalasar, Asarad ; *in manu*, id est in opere uerbis concordante, Osee XII[10] « In manibus prophetarum assimilatus sum ». Secundo ponit diuinum preceptum : *Vade, et solue*, Ez. XXIV[24] « Erit Ezechiel uobis in portentum ». Tertio precepti complementum : *Et fecit sic*, infra L[5] « Ego autem » etc.

Et dixit Dominus. Hic ponitur significatum predicti facti. Et primo quantum ad tempus quo durauit persecutio : *trium annorum*, per tres dies quibus nudus iuit significatione, Ez. IV[6] « Diem pro anno dedi tibi ». Secundo quantum ad destructionis auctorem : *Sic minabitur rex*, Ez. XXX[9] « In die illa egredientur nuntii a facie mea in trieribus ad conterendam Etyopie confidentiam ». Tertio quantum ad destructionis condicionem, in uniuersalitatem : *iuuenem et senem* ; in uilitatem : *nudam*, scilicet captiuitatem, Ier. XLVI[11] « Sanitas non est tibi ».

Et timebunt. Hic ponit effectum in Iudeis. Primo timorem : *Et timebunt* ; secundo confusionem : *et confundentur* ; tertio utriusque expressionem : *et dicet habitator insule*, id est Ierusalem, que persecutionis fluctibus incessanter tundebatur sicut insula fluctibus maris. *Heccine*, in quo confusio ; *et quomodo*, in quo timor, infra XXX[3] « Erit uobis fortitudo Pharaonis in confusionem ».

1 ponitur] ponit F 2 tres] duas Fπ 6 tria] facit *add.* Fπ 9 qui *om.* π 9-11 et...Sargon *hom. om.* Fπ 11 Phua] phria F phira π 11 Teglathphalasar] tegalphazar F tegalphalarar Bo regalphalasar π 15 XXIV] XXXIV π 28 F 17 infra...etc. F] *om. cet.* 20 predicti] dicti π 26 conterendam] conuertendam Fπ 28 uniuersalitatem *cont.*] utilitatem *codd.* 32 Primo] et primo F 35 tundebatur] tendebatur Fπ

1 tempus : cf. supra cap. 18, 5. 8 Gaza...Azotus : cf. I Reg. VI[17]. 9 secundum Ieronimum : ita *Glossa marg.* 10 sex nomina... : ita apud Hugonem ' Expositor ', scil. S. Langton h.l. (ms. f. 195 ra) ; cf. Hier. *Super Is.* XXXVI[10] (381 A ; 431-32). 12 opere... : *Glossa interlin.* 34 Ierusalem...tundebatur : *Glossa interlin.* 36 sicut...maris : sic Hugo.

CAPITVLVM XXI

[1] Onus deserti maris. Sicut turbines ab Africo ueniunt de deserto uenit, de terra horribili. [2] Visio dura nuntiata est michi : qui incredulus est infideliter agit, et qui depopulator est uastat. Ascende Elam, obside Medaba ; omnem gemitum eius cessare feci. [3] Propterea repleti sunt lumbi mei dolore, angustia possedit me sicut angustia parturientis ; corrui cum audirem, turbatus sum cum uiderem. [4] Emarcuit cor meum, tenebre stupefecerunt me.

Honus deserti maris. Hic comminatur contra hostes qui grauabant eos per rerum subtractionem, qui tamen erant eis aliquo federe iuncti. Et diuiditur in tres partes. Primo contra illos qui erant eis iuncti amicitie federe ; in secunda contra illos qui erant iuncti prelationis iure, cap. XXII *Honus* etc. ; in tertia contra illos qui erant eis iuncti negotiationis societate, XXIII cap. *Honus Tyri.* Prima in duas. In prima contra amicos extraneos, scilicet Babilonios, qui erant amici, et rebus tandem spoliauerunt, sicut patet infra XXXIX ; in secunda contra amicos cognatos : *Honus Duma.*

Circa primum duo facit. Primo ponitur titulus : *Honus maris*, id est Babilonis, propter sonitum multitudinis populorum, ut supra XVII[12] ; *deserti*, quia in solitudinem redigetur, Ier. LI[36] « Desertum faciet Dominus mare eius » ; immittit contra eos comminationem ut modum addat. Secundo ponitur ipsa prophetia, et primo ponitur uisio comminationis, secundo modus accipiende uisionis : *Hec enim dixit.*

Circa primum quatuor designat. Primo tribulationis grauitatem, ponens similitudinem : *Sicut turbines*, uox Babilonis, *ab Africo*, *de deserto*, quod erat ad meridiem, ita *uenit* contra me uastitas *de terra*, scilicet Perside, *horribili* michi, Naum I[3] « Dominus in tempestate et turbine uie eius ». *Visio dura*, in persona Babilonis, Io. VI[61] « Durus est hic sermo ».

Secundo designat uastatorem. Et primo quantum ad ducis condicionem : in infidelitate. Cyrus, *qui incredulus*, id est infidelis domino suo Balthasar, rebellans et Babilonem obsidens, confidens de ipsius efeminatione, *infideliter agit*, id est aget, uidens non posse ciuitatem capi ui, fraude pacem faciens et iurans homagium regi Babilonis ; a quo inuitatus ad conuiuium, — de quo Daniel V —, interfecit eum et cepit ciuitatem, inductis militibus per foramen muri unde fluuius intrabat, aqua ipsius in multas partes diuisa. In crudelitate : *qui depopulator*, unde in penam crudelitatis suffocatus est in sanguine, et dictum est sibi : Sanguinem sitisti, sanguinem bibe ; Abacuc II[4] « Ecce qui incredulus est, non erit recta anima eius in semet ipso ». Secundo quantum ad exitus regionem : *Ascende Elam*, ciuitas Persidis et prouincia ; *Medaba*, ciuitas in Media, *obside* Babilonem : uox Domini, Ier. LI « Ascendite contra eam omnes gentes ». Tertio hostis potestatem : *omnem gemitum eius*, id est Babilonis, ut nec etiam plangere audeat, supra X[14] « Non fuit qui moueret pennam et aperiret os et ganniret » ; uel quia suos gemere faciat.

Tertio designat ipsius prophete compassionem, quam designat quantum ad corpus, ad quod redundant affectiones mentis, et hoc quantum ad doloris sensum : *Propterea repleti sunt lumbi mei dolore*, id est ita doleo sicut qui patitur dolorem in renibus, Ps. « Ibi dolores ut parturientis » ; et quantum ad casum : *corrui* ; et quantum ad turbatum uultum : *turbatus*, Ps. « Turbatus sum et non sum locutus », Ps. « Turbatus sum in exercitatione mea ». Secundo quantum ad affectum : *Emarcuit cor meum*, id est affectus tristitia, Ier. IV[19] « Ventrem meum doleo ». Tertio quantum ad intellectum stupentem : *tenebre*, id est turbationes preuise, ac si essem in tenebris, Ier. L[18] « Omnis qui transibit per Babilonem stupebit, et silebit

3 tamen...eis] cum eis erant F etc. F] *om. cet.* 8 XXIII cap. *inv.* Fπ 15 ut supra xvii F] *om. cet.* 16 solitudinem F] -dine π *dub.* Bo 19 uisio] ipsa *praem.* F 32 Balthasar π] baldasar Bo balcasall F 34 efeminatione] efamacione F estimatione π 35 pacem faciens F] patefaciens *cet.* 38 cepit ciuitatem *inv.* Fπ inductis *coni.*] inducis F inducentis Bo π 40 in] per F qui *om.* F 47 Babilonem *coni.*] babil' *codd.* 54 Tertio pBo] quarto sBo *et cet.* 66 turbationes] -onis Fπ

12 Vers. 11. 21 Vers. 6. 35-40 uidens...diuisa : cf. Hugo referens ' Orosium ' quem legit in S. Langton (ms. f.195 rb). 41 suffocatus... bibe : cf. Hugo super Is. LII[14], ex P. Comestor *Hist. scholastica* Dan. cap. 19 (PL 198, 1474 C). 48 Cf. Ier. LI[25] « Sanctificate contra eam gentes ». 59 Ps. XLVII[7]. 61 Ps. LXXVI[1]. 62 Ps. LIV[5].

Babilon dilecta mea posita est michi in miraculum. [5] Pone mensam, contemplare in specula comedentes et bibentes, surgite principes, arripite clipeum. [6] Hec enim dixit michi Dominus : Vade et pone speculatorem, et quodcumque uiderit annuntiet. [7] Et uidit currum duorum equitum, ascensorem asini et ascensorem cameli ; et contemplatus est diligenter multo intuitu. [8] Et clamauit leo : Super speculam Domini ego sum stans iugiter per diem et super custodiam meam ego sum stans totis noctibus. [9] Ecce iste uenit ascensor uir bige equitum ; et respondit et dixit : Cecidit, cecidit Babilon, et omnia sculptilia deorum eius contrita sunt in terram. [10] Tritura mea et filia aree mee, que audiui a Domino exercituum Deo Israel, annuntiaui uobis. [11] Onus Duma.

super uniuersis plagis eius ». *Babilon dilecta*, tunc temporis, quamuis postea inimica ; *in miraculum*, id est in ammirationem, Apoc. XVII[6] « Ammiratus sum cum uidissem illam ammiratione magna ».

Quarto designat destructionis modum et condicionem, dicens : O Babilon, *pone mensam*, inuitando Cyrum et Darium ad conuiuium, *contemplare*, id est uide, *in specula*, id est in scriptura manus scribentis « Mane », clara luce Domini ; *principes*, scilicet : O Cyre, o Dari, *comedentes et bibentes* cum eo, *surgite*, confortati uisione, *arripite clipeum* et interficite eum, Ier. XLVI[3] « Preparate scutum et clipeum ».

Vel aliter, uerba Domini : O propheta, *pone mensam*, id est ponendam predica, *in specula*, id est in spiritu prophetie, etc. ut supra. Vel uerba Cyri : *pone mensam*, uos Perse, accurrite, date equis annonam ut sitis parati ; tu speculator, *contemplare* quid fiat in tractatu ; uos *principes* mei, *comedentes*. Et hoc stat etiam si non sustineatur quod Cyrus et Darius fuerint in conuiuio, ut quidam dicunt, sustinentes festum fieri in ciuitate et deliciis uacare ; uel propter festum discumbebant, uel propter treugas, uel propter uictoriam semel habitam, uel propter adiutorium quod receperat de nocte aggressi sunt ciuitatem.

Nota super illo uerbo *contemplare in specula*, quod debet homo in speculo mentis contemplari primo peccata que commisit, ut doleat, Ier. XXXI[21] « Statue tibi speculam, pone tibi amaritudines, dirige cor tuum in uiam rectam » ; secundo supplicia que meruit, ut timeat, Mich. VII[4] « Dies speculationis, uisitatio tua uenit » ; tertio beneficia que Deus contulit, ut gratias agat, infra LII[8] « Vox speculatorum tuorum, leuauerunt uocem, simul laudabunt : quia oculo ad oculum uidebunt cum conuerterit Dominus Syon » ; quarto mandata que precepit, ut impleat, Osee X « Speculator Ephraym » ; quinto premia que promisit, ut comprehendat, II Petri I[16-17] « Speculatores facti illius magnitudinis : accipiens enim a Deo Patre gloriam et honorem ».

Hec enim dixit. Hic ponit modum acceptionis huius uisionis, et circa hoc quatuor facit. Primo ponitur diuina iussio : *pone speculatorem*, te ipsum, uel discipulum tuum, — quem Hebrei Abacuc dicunt fuisse — ; *uiderit*, spiritu prophetali, uel corporaliter, Ez. III[17] « Fili hominis, speculatorem posui te domui Israel ».

Secundo ponitur uisio, et primo ponit rem uisam : *Et uidit currum duorum equitum*, qui a duobus equis consueuit trahi, exercitum duorum regnorum significantem ; *ascensorem*, scilicet curruum, *asini*, regni Persarum, quod prius ignobile, *cameli*, Medorum, quod semper altum : quasi hec duo animalia loco duorum equorum currui adiungentem. Secundo uidentis diligentiam : *et contemplatus est*, Ez. XL[4] « Pone cor tuum in omnibus que ego ostendo tibi ».

Tertio ponitur denuntiatio : *Et clamauit leo*, secundum uirtutem animi, qui prius speculator per eminentiam contemplationis. Et primo denuntiat suam diligentiam : *Super speculam Domini*, Abacuc II[1] « Super custodiam meam stabo » ; secundo denuntiat rem uisam : *Ecce uenit*, ut supra ; tertio Babilonis penam : *cecidit*, Ier. L[24] « Capta est et nesciebas ».

Quarto ponitur prophete ad populum denuntiatio : *Tritura mea*, uerba prophete, uel Christi, quia Ierusalem triturata multis tribulationibus ; *filia aree*, id est templi quod situm est in area Ornam, II Reg. ult., Ier. XLII[4] « Omne uerbum quodcumque » etc.

Honus Duma. Hic comminatur contra amicos et

75 Cyrum] tyrum Fπ tyrū cirū Bo 77 principes] *hic ponendum coni. ; post* Dari *codd.* 78 Cyre] tyre Fπ cire Bo (*et sic lin.* 84 88) 78 et] uel F 87 tractatu] ciuitate F mei] mane π 100 meruit F] metuit *cet.* 106 precepit F] -ipit *cet.* 116 Fili] filii Fπ(-V) 117 posui te *inv.* Fπ 122 prius F] primum *cet.* 123 altum F] alter *cet.* 139 templi F] templum *cet.* 140 Ier....etc. *scripsi. cum* F] *om. cet.*

76 in scriptura... : cf. Dan. V[25]. 82-86 Vel aliter...parati : cf. Hugo et S. Langton (ms. f. 195 vb). 89 quidam... : vide supra lin. 35-40. 95 Cf. vers. 5. 106 Osee X : rectius IX[8]. 113 te ipsum : *Glossa interlin.* 114 uel...fuisse : cf. Andreas « Prophete quandoque per se quandoque per discipulos suos futura predicebant...hunc autem prophetam hebrei credunt abacuc fuisse » (ms. f. 73 rb - va). 140 II Reg. XXIV[18-24].

Ad me clamat ex Seyr : Custos qui de nocte, custos quid de nocte? [12] Dixit custos : Venit mane et nox ; si queritis querite, conuertimini et uenite. [13] Onus in Arabia. In saltu ad uesperam dormietis in semitis Dodanim. [14] Occurrentes sitienti ferte aquam, qui habitatis terram austri ; cum panibus occurrite fugienti. [15] A facie enim gladiorum fugerunt, a facie gladii imminentis, a facie arcus extenti, a facie grauis prelii. [16] Quoniam hec dicit Dominus ad me : Adhuc in uno anno quasi in anno mercennarii et auferetur omnis gloria Cedar. [17] Et reliquie numeri sagittariorum fortium de filiis Cedar imminuentur. Dominus enim Deus locutus est.

cognatos. Et primo contra Ydumeos, qui de progenie Esau fratris Iacob, Gen. xxv, qui quandoque amici, sicut IV Reg. III[9], Ez. XXXV[12] « Audiui uniuersa opprobria que locutus es de montibus Israel » ; secundo contra Arabes, qui de genere Ysmaelis qui fuit filius Abraam, Gen. XVI, ibi *Honus in Arabia*. Circa primum duo facit. Primo ponitur inscriptio : *Honus Duma*, id est Ydumee ; secundo comminatio, circa quam tria. Primo ponitur eorum oratio : et sunt uerba Dei hec Ydum eis : *Ex Seir clamat ad me*, liberatis Iudeis post septuaginta annos captiuitatis : *Custos*, qui custodis populum Israel, quasi eis dormientibus, *quid de nocte?*, id est quare nos non liberas de nocte captiuitatis sicut et eos? Et ostendunt magnum desiderium liberationis, et in intentione uerborum et decantatione, Ps. « Ecce non dormitabit neque dormiet qui custodit Israel ».

Secundo ponitur petitionis refutatio : *Et dixit custos*, scilicet Deus, *Venit mane*, liberationis tempus Iudeis, *et nox* captiuitatis adhuc Ydumeis manet, Sap. XVII[20] « Solis autem illis superposita erat grauis nox ».

Tertio adhibet remedium : *Si queritis* me, *querite* toto corde, relinquendo ydola ; uel sicut in tribulatione, et in prosperitate, infra LV[6] « Querite Dominum dum inueniri potest » ; Ioelis II[12] « Conuertimini ad me in toto corde uestro ».

Nota super illo uerbo *Custos*, quod homo debet se custodire per diem prosperitatis a diuitiis : primo ne eas eligat, considerando earum uilitatem, Phil. III[7] « Que michi fuerunt lucra, hec arbitratus sum detrimenta » ; secundo ne in eis confidat, considerando earum uanitatem, Eccl. II[11] « Vidi in omnibus uanitatem » ; tertio ne de eis superbiat, considerando earum imminentem aduersitatem, Eccli. XI[27] « In die bonorum ne immemor sis malorum ».

Item debet se custodire in nocte aduersitatis, ne frangatur : primo considerando percutientis affectum, Prou. III[11] « Disciplinam, fili mi, ne abicias, ne deficias cum ab eo corriperis » ; secundo considerando percussi Christi exemplum, Hebr. XII[3] « Recogitate eum qui talem sustinuit a peccatoribus aduersum semet ipsum contradictionem » ; tertio considerando percussionis fructum, II Cor. IV[17] « Id enim quod in presenti est, momentaneum et leue tribulationis nostre, supra modum in sublimitatem eternum glorie pondus operatur in nobis ».

Honus in Arabia. Hic contra Arabes. Et primo innuit destructionis causam : quia filiis Israel fugientibus panem porrigentes, aquam subtrahebant. Vnde ponit Iudeorum fugam : O uos, Iudei, *in saltu* Arabie, *Dodanim*, nomen loci, Ps. « Errauerunt in solitudine in inaquoso, uiam ciuitatis » etc. Hortatur ad misericordiam : *Occurentes*, uos Arabes ; *terram austri*, id est meridie, infra LVIII[7] « Frange esurienti panem tuum ». Et ponit misericordie causam : *A facie enim*, ut moueantur ad misericordiam, Ier. IV[29] « A uoce equitis et mittentis sagittam fugit omnis ciuitas ».

Secundo, quia hoc facere noluerunt, comminatur penam : *Quoniam hec dicit Dominus*. Et primo per Assyrios, a quibus prelatio uastationis Iudeorum et ipsa uastitas : *quasi in anno mercennarii*, qui sibi uidetur breuis spe mercedis ; secundo per Caldeos : *reliquie*, ab Assyriis derelicte, *imminuentur* a Caldeis ; *Cedar*, filii Ysmaelis ; *sagittariorum*, sequentes artem patris sui, Gen. XXI[20], dicitur de Ysmaele quod factus est uir sagittarius.

145 xxxv] 25 Pπ 151 tria] facit *add.* F 155 quid de *corr.*] quidem F qui de *cet.* 164 illis] istis F 171 Custos F] qui *add.* Bo quasi *add.* F[1]L 172 per diem] in no. *praem.* Bo in no. in die π 174 hec...detrimenta] etc. F 175 secundo...confidat F] *ante* <ui>litatem Bo *post* eligat(173) π 177 tertio...superbiat *ante* fuerunt(174) Bo π 182 ne frangatur F] *om. cet.* 187 aduersum] -sus F 191 eternum] -ne π 195 porrigentes F] -entibus *cet.* 197 Dodanim] -anum(*vel* -amin) *codd.* 206 Quoniam] q[m] Bo π 210 imminuentur] -inentur Fπ

144 Gen. xxv : rectius xxxvi[16]. 159 Ps. cxx[4]. 171 Cf. vers. 11. 194 quia...subtrahebant : cf. Hugo ex Haym. (818 A). 197 Ps. cvi[4]. 200 xlviii : rectius lviii[4]

CAPITVLVM XXII

[1] Onus uallis uisionis. Quidnam tibi quoque est quia ascendisti et tu omnis in tecta, [2] clamoris plena, urbs frequens, ciuitas exultans? Interfecti tui non interfecti gladio nec mortui tui in bello. [3] Cuncti principes tui fugerunt simul dureque ligati sunt; omnes qui inuenti sunt uincti sunt pariter, procul fugerunt. [4] Propterea dixi : Recedite a me, amare flebo; nolite incumbere ut consolemini me super uastitate filie populi mei. [5] Dies enim interfectionis et conculcationis et fletuum a Domino Deo exercituum in ualle uisionis, scrutans murum et magnificus super montem.

Honus uallis. Hic comminatur contra illos qui populo Dei iungebantur prelationis iure, et ipsum tamen rebus spoliabant. Et primo quantum ad illos ad quos pertinebat prelatio in temporalibus, secundo contra illos ad quos pertinebat in spiritualibus : *Hec dicit Dominus.*

Prelatio autem in temporalibus pertinebat ad reges, et ideo comminatur in prima parte contra Ierusalem que erat sedes regni; et circa hoc duo facit. Primo ponitur inscriptio : *uallis*, id est Ierusalem, non propter situm loci, cum sit in monte, sed propter uilitatem, quia ad ipsam sicut ad uallem confluebant sordes undique, dum uicinarum gentium actum sequeretur, Ez. v[5] « Hec est Ierusalem; in medio gentium posui eam »; uel dicitur uallis propter infimam partem ciuitatis que a Sobna tradita fuit Sennacherib. *Visionis*, propter sanctitatem templi : nam in ipso uisiones prophetis fiebant a Domino; uel propter eminentiam loci, quia a remotis uideri poterat; uel propter nomen quod loco illi imposuit Abraam, sicut dicitur Gen. xxii[14] « Appellauitque nomen loci illius, In monte Dominus uidebit ».

Secundo ponitur ipsa comminatio. Et circa hoc tria facit : primo arguit culpam, secundo comminatur penam : *Interfectique tui*, tertio ostendit in ipsa pena obstinationis pertinaciam : *Et congregastis.* Circa primum duo facit. Primo arguit peccatum duplex : ydolatrie : *Quidnam tibi, ascendisti in tecta*, ad sacrificandum ydolis, *et tu*, que speciali actu sancti priuilegii gaudebas, Osee iv[15] « Si fornicaris, Israel, non delinquas saltem Iuda »; et peccatum rixe : *Clamoris plena*, supra v[2] « Expectaui ut faceret uuas, et fecit labruscas ». Secundo ad grauandum peccatum ponitur Dei beneficium duplex, scilicet multitudinis hominum : *urbs frequens*, Tren. i[2] « Quomodo sedet sola ciuitas plena populo? »; et plenitudinis gaudiorum : *ciuitas exultans*, quondam tempore Salomonis pre nimia prosperitate, Ps. « Fundatur exultatione uniuerse terre ».

Interfecti. Hic ponit penam. Et primo comminatur hominum destructionem quantum ad obsessos qui mortui sunt fame : *non interfecti <gladio>*, sed fame et siti, Tren. iv[9] « Melius fuit interfectis gladio quam fame »; quantum ad fugitiuos, principes scilicet qui comprehensi sunt et *ligati*, sicut legitur Ier. ult. : *cuncti principes*, Tren. i[6] « Facti sunt principes uelut arietes non inuenientes pascua »; quantum ad comprehensos in ciuitate, qui similiter captiuati sunt : *omnes qui inuenti sunt*; *procul*, in longinquam terram in captiuitatem ducti, Deut. xxviii[49] « Deducet Dominus in gentem longinquam ».

Secundo ponit prophete inconsolabilem compassionem : *Recedite*, uos prophete consolantes, *nolite incumbere* more consolantium, Ier. ix[1] « Quis dabit capiti meo aquam et oculis meis fontem lacrimarum, ut possim flere interfectos populi mei? ».

Tertio ponit pene modum et ordinem : *Dies interfectionis*, et circa hoc tria ponit. Primo Dei indignationem : *Dies interfectionis* imminet; *scrutans*, faciens scrutari ab hostibus; *magnificus*, faciens hostes magnificos : in montibus enim et muris confidebant, Soph. i[12] « In tempore illo scrutabitur Ierusalem in lucernis et uisitabo super uiros defixos in fecibus suis ».

17 Sobna] sopna Bo F sonam π 32 delinquas F] derelinquas *cet.* 35 grauandum] adgrauandum Bo 41 uniuerse terre *inv.* F LOm 44 < gladio > *suppl.*] *om. codd.* 47 sunt F] *om. cet.* 50 ciuitate] captiuitate Bo 57 nolite Ω *Vulg.*] noli *codd.*

2 prelationis iure : cf. supra cap. 21, 6. 6 Vers. 15. 16 uel... : cf. Hugo. 27 Vers. 9. 40 Ps. xlvii[3]. 48 Ier. li et xxxix.

[6] Et Elam sumpsit pharetram et currum hominis equitis, et parietem nudauit clipeus. [7] Et erunt electe ualles tue plene quadrigarum et equites ponent sedes suas in porta. [8] Et reuelabitur operimentum Iude, et uidebis in die illa armamentarium domus saltus, [9] et scissuras ciuitatis Dauid uidebitis, quia multiplicate sunt. Et congregastis aquas piscine inferioris, [10] et domos Ierusalem numerastis, et destruxistis domos ad muniendum murum. [11] Et lacum fecistis inter duos muros et aquam piscine ueteris, et non suspexistis ad eum qui fecerat eam, et operatorem eius de longe non uidistis. [12] Et uocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum et ad planctum et ad caluitium et ad cingulum sacci. [13] Et ecce gaudium et letitia, occidere uitulos et iugulare arietes, comedere carnes et bibere uinum. Comedamus et bibamus, cras enim moriemur. [14] Et reuelata est in auribus meis Domini exercituum : Si dimittetur iniquitas hec uobis donec moriamini, dicit Dominus exercituum. [15] Hec dicit Dominus Deus exercituum :

Secundo ponit hostium superationem : *Et Elam*, ciuitas Persidis ex qua uenerunt pugnatores cum Nabuchodonosor, qui monarchiam Orientis tenebat ; *clipeus*, portatus contra Ierusalem, *nudauit parietem* ad quam suspensus erat ad ornatum domus, Ier. XLVI[3] « Preparate scutum et clipeum » ; uel aliter : *clipeus*, potentia Caldei, *nudauit parietem* templi auro quo uestiebatur.

Tertio ponit dampni illationem quantum ad quatuor. Primo quantum ad possessionum uastationem : *erunt electe* ; *quadrigarum* Babilonis, Ier. XLIX[4] « Quid gloriaris in uallibus ? Defluxit uallis tua, filia delicata ». Secundo quantum ad ciuitatum captionem : *equites in porta*, ne quis effugiat, Ier. XXXIX[8] « Ingressi sunt omnes principes Babilonis et sederunt in porta media ». Tertio quantum ad sanctorum profanationem : *Et reuelabitur*, nudabitur, *operimentum*, id est sancta prius operta, que nulli nisi sacerdoti licebat uidere, Tren. I[8] « Viderunt gentes ignominiam tuam ». Quarto quantum ad armamentarii destructionem : *uidebis armamentarium*, id est *domus saltus*, in quo arma recondebantur, euersum ; de cuius edificio III Reg. VII ; *ciuitatis Dauid* fortissime, uel ipsa Ierusalem cum forti muro in pluribus locis, Cant. « Turris Dauid edificata est cum propugnaculis ».

Et congregastis aquas. Hic ponit obstinationis pertinaciam. Et primo arguit obstinationis culpam, secundo proponit contra eos diuinam sententiam : *Et reuelata est*. Arguitur autem eorum pertinacia quantum ad duo. Primo quantum ad diuinum auxilium quod non inuocabant, de suis uiribus et ingeniis confidentes : *Congregastis*, in unum locum intra ciuitatem per occultos meatus, *aquas piscine inferioris*, que habebat aquas de terra fluentes, que tamen ab hostibus prohiberi poterant ; *numerastis*, ut numero et mensura dispensaretur aqua ; *destruxistis* domos que erant iuxta murum, ut non impedirent defensores ; *lacum*, piscine inferioris, *fecistis* fluere *inter duos muros*, quibus cingebatur ciuitas, et *aquam* scilicet instaurastis ; *eum*, scilicet Deum, *eam*, aquam, Ps. « Deum non inuocauerunt ».

Secundo quantum ad diuinum consilium quod contempnebant : *Et uocabit*. Et circa hoc tria ponit. Primo ipsum consilium : *ad fletum*, oculorum ; *ad planctum*, manuum ; *ad caluitium*, secundum morem antiquorum qui in tristitia opera hec faciebant, Ioelis II[12] « Conuertimini ad me in toto corde uestro, in ieiunio, fletu et planctu ». Secundo ponit consilii contemptum : *Et ecce gaudium*, supra VI « Cythara et lyra in conuiuiis uestris ». Tertio contempnendi animum : *Comedamus*, I Cor. XV[32], Sap. II[5] « Vmbre enim transitus est tempus nostrum ».

Et reuelata. Hic ponitur sententia. Et possunt legi ex persona Domini : hec blasphemia uestra *reuelata*, id est ego audiui ; *Si dimittetur*, quasi dicat : Non credatis, supra II[9] « Ne ergo dimittas » ; uel ex persona prophete : hec uox Domini est *reuelata*. Et hec omnia que dicta sunt pertinent ad captiuitatem per Nabuchodonosor imperantem facta.

Hec dicit Dominus. Hic ponitur comminatio contra illos ad quos pertinebat prelatio in spiritualibus, et primo contra sacerdotem qui tunc erat, secundo contra totum sacerdotalem ordinem :

79 electe *coni. cum* Ω *Vulg.*] erecte Bo eiecte π directe F 87 operta] operata Fπ 89 armentarii...armentarium Fπ 96 congregastis (*cf.* 27)] -gasti *codd.* 99 Arguitur...pertinacia] arguit(-tur F)...pertinaciam Fπ 106 destruxistis] -sti *codd.* 110 instaurastis] restaurastis F 117 antiquorum *coni.*] -qum *codd.* 122 animum *coni.*] an^{m} F V arm̄ Bo arg^{m}π(-V) 124 tempus] opus Fπ(-V) 131 imperantem] -nte π in tempore F 133 dicit] dixit Fπ

75 uel aliter... : cf. Hugo. 94 Cant. IV[4]. 106 numero...aqua : sic Hugo. 111 Ps. XIII[3]. 121 supra VI : rectius V[12].

Vade, ingredere ad eum qui habitat in tabernaculo, ad Sobnam prepositum templi, et dices ei : [16] Quid tu hic, aut quasi quis hic? quia excidisti tibi hic sepulcrum, excidisti in excelso memoriale diligenter, in petra tabernaculum tibi. [17] Ecce Dominus asportari te faciet sicut asportatur gallus gallinacius, et quasi amictum sic subleuabit te. [18] Coronans coronabit te tribulatione, quasi pilam mittet te in terram latam et spatiosam. Ibi morieris, et ibi erit currus glorie tue ignominia domus Domini tui. [19] Et expellam te de statione tua, et de ministerio tuo deponam te. [20] Et erit in die illa, uocabo seruum meum Heliachim filium Elchie, [21] et induam illum tunica tua et cingulo tuo confortabo eum, et potestatem tuam dabo in manu eius. Et erit quasi pater habitantibus Ierusalem et domui Iuda. [22] Et dabo clauem domus Dauid super humerum eius, et aperiet et non erit qui claudat, et claudet et non erit qui aperiat. [23] Et figam illum paxillum in loco fidelium, et erit in solium glorie domui patris tui.

In die illa dicit Dominus. Circa primum duo facit : primo predicit illius depositionem qui ciuitatem terrore concussus tradidit Sennacherib, id est inferiorem partem ; secundo alterius substitutionem : *Et erit in die illa.*

Circa primum tria facit. Primo describit personam ex officio : *qui habitat in tabernaculo* ; sacerdotum erat excubare in tabernaculo, ut habetur Num. I[53] ; *prepositum*, summum super decem.

Secundo arguit culpam triplicem : indigne habitationis : *Quid tu hic* facis in domo mea, indignus tali habitatione, Ier. XI[15] « Quid est quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa? » ; de se superbe presumptionis : *aut quasi quis hic* extimas te ac si esses alicuius ualoris, cum nichil sis, Zach. XI[17] « O pastor et ydolum » ; curiosi sepulcri edificationis : *excidisti*, hic in Ierusalem iuxta templum, *memoriale*, id est epitaphium, *in excelso*, id est in supremo situ sepulcri ; uel, ad litteram, in alto sepulcrum suum collocauerat ad memoriam suam, sicut habetur I Mach. XIII.

Tertio comminatur penam : *Ecce Dominus* ; triplicem. Primo captiuationis : *sicut asportatur*, ligatus et sine labore ; *gallinacius*, qui pullos ad modum galline nutrit, castratus existens, qui capones dicuntur ; *et quasi amictum*, leuiter super humerum leuatus, Ier. XX[6] « Tu Phassur, et omnes habitatores domus tue, ibitis in captiuitatem et in Babilonem uenies, et ibi morieris, ibique sepelieris tu et omnes amici tui ». Secundo confusionis : *Coronans*, id est loco corone qua utebaris cultu pontificali habebis tribulationem ; *quasi pilam*, que non inuenit altam stationem ; *currus glorie tue*, qua ferebaris gloriosus, in confusionem tuam uersus ; *et ignominia domus Domini*, id est gloria quam habuisti in domo Domini uertetur tibi in ignominiam, Osee IV[7] « Gloriam eorum in ignominiam commutabo ». Tertio penam depositionis : *Et expellam*, III Reg. II[27] « Eiecit ergo Salomon Abiathar ut non esset sacerdos Domini ».

Et erit. Hic ponit alterius substitutionem, et circa hoc tria ponit. Electionem : *inuocabo* unum de uiginti quatuor, ut legitur I Paral. XXV, I Reg. II[35] « Suscitabo michi sacerdotem fidelem qui iuxta cor meum sit ». Secundo ipsius consecrationem : *Et induam eum*, quia cum uestibus pontificalibus consecrabatur, sicut patet Leui. XVIII de uestibus istis, et Exo. XXVIII. Tertio confert iurisdictionem : *et potestatem.*

Et primo quantum ad potestatem quam habebat in populo, ponens potestatem : *et potestatem*, scilicet *dabo*, Ps. « Fiant dies eius pauci, et episcopatum eius accipiat alter » ; *et erit quasi pater*, Ier. III[15] « Dabo uobis pastores iuxta cor meum, et pascent uos scientia et doctrina ».

Secundo quantum ad potestatem quam habebat ad templum : *Et clauem*, que aurea erat, *domus Dauid*, id est templi, ad quod edificandum Dauid impensas preparauit, sicut patet I Paral. in fine, *super humerum*, id est suam gubernationem, uel quia ea utebatur quasi quodam ornamento ; *aperiet*, quia sibi licitum erat intrare semel per annum in sancta sanctorum, ut dicitur Hebr. IX.

Tertio quantum ad potestatem quam habebat supra totum ordinem ministrantium : *Et figam illum paxillum*, diminutiuum de palo : sicut enim super palum aliquem suspenduntur diuersa uasa, ita ad curam ipsius pertinebant diuersa officia que habent usum diuersorum uasorum in ministeriis

144 sacerdotum] -tis F -tes π 145 super decem] *sic codd. ; an legendum* sacerdotem? 164 Phassur] fassur(-urus π) *codd.* 167 confusionis] penam *praem.* F 176 eiecit] et abiecit F 179 Electionem] primo *praem.* π 180 uiginti quatuor] 2 F h'π 181 I Reg.] Reg. F II Reg. π 193 habebat sBo] -bant *cet.* 196 impensas] expensas π 202 supra] super Fπ

141 Vers. 20. 158 Cf. I Mach. XIII[27-30]. 180 I Par. XXV[6-31]. 184 Leui. XVIII : rectius XXI[10]. 185 Exod. XXVIII et XXIX. 189 Ps. CVIII[8]. 196 in fine : XXIX[2]. 200 Hebr. IX[7].

[24] Et suspendam super eum omnem gloriam domus patris eius ; uasorum diuersa genera, omne uas paruulum, a uasis craterarum usque ad omne uas musicorum. [25] In die illa, dicit Dominus exercituum, auferetur paxillus qui fixus fuerat in loco fideli, et frangetur et cadet et peribit quod pependerat in eo, quia Dominus locutus est.

domus Domini ; *in loco fidelium*, scilicet templo. De hac potestate dicitur Num. II et XXIV.

In die illa. Hic contra sacerdotium totum, quod destructum est tempore Sedecie captiuante Nabuchodonosor ; que enim dicta sunt de Sobna pertinent ad tempus Sennacherib. Et uocatur hic paxillus ipsum sacerdotium quod cessauit tempore captiuitatis, Osee III[4] « Dies multos sedebunt filii Israel sine rege et sine principe et sine sacrificio et sine altari et sine ephot et sine therapim ».

Nota super illo uerbo *qui habitat in tabernaculo*, quod est multiplex tabernaculum : primum carnalis concupiscentie, quod est porcorum, Hebr. ult. « Habemus altare de quo edere non habent qui tabernaculo deseruiunt » ; secundum est temporalis et naturalis uite, quod est hominum, II Petri I[14] « Certus sum enim quod uelox est depositio tabernaculi mei » ; tertium est militantis Ecclesie, quod est pugnantium, supra III « Tabernaculum erit in umbraculum diei ab estu » ; quartum est contemplatiue sapientie, quod est quiescentium, Ps. « Introibimus in tabernaculum eius » ; quintum est uisionis eterne uel celestis patrie, quod est omnium beatorum, infra XXXIII[20] « Oculi tui uidebunt Ierusalem ciuitatem opulentam, tabernaculum quod numquam transferri poterit ».

210 Sedecie *scripsi*.] sed' Bo sede Fπ 211 Sobna] sopna Bo sompna F syria π 215 sacrificio] sacerdotio π 216 ephot *codd.* 217 uerbo *om.* F 228 tabernaculum] -cula Bo 229 uisionis] celestis *praem.* Fπ uel...patrie] *ante* eterne Fπ *marg.* Bo 230 XXXIII] 23 F XXXIIIj π 231 Ierusalem ciuitatem *inv.* F

207 fidelium *cum* Ω^{S} et *Glossa interlin.* 208 Rectius Num. IV et XVIII[1-7]. 217 Cf. vers. 15. 220 Hebr. XIII[10]. 225 supra III : rectius IV[6]. 228 Ps. CXXXI[7].

CAPITVLVM XXIII

[1] Onus Tyri. Vlulate naues maris, quia uastata est domus unde uenire consueuerant ; de terra Cethim reuelatum est eis. [25] Tacete qui habitatis in insula, negotiatio Sydonis ; transfretantes mare repleuerunt te [3] in aquis multis. Semen Nili messis fluminis fruges eius ; et facta est negotiatio gentium. [4] Erubesce Sydon, ait mare, fortitudo maris dicens : Non parturiui et non peperi et non enutriui iuuenes nec ad incrementum perduxi uirgines. [5] Cum auditum fuerit in Egypto, dolebunt cum audierint de Tyro. [6] Transite maria, ululate, qui habitatis in insula. [7] Nunquid non hec uestra est que gloriabatur a diebus pristinis in antiquitate sua? Ducent eam pedes sui longe ad peregrinandum. [8] Quis cogitauit hoc super Tyrum quondam coronatam, cuius negotiatores principes, institores eius incliti terre ?

Honus Tyri. In parte ista comminatur contra Tyros qui populo Dei iungebantur mercationum societate. Et diuiditur in duas : primo comminatur destructionem que facta est a Nabuchodonosor ; in secunda promittit liberationem : *Et erit, post septuaginta.* Circa primum tria ponit : primo compatientium tristitiam ; secundo timentium fugam : *Transite* ; tertio destructionis penam : *Dominus mandauit.*

Circa primum tria ponit. Primo dolorem mercatorum, ponens eorum planctum : *Vlulate naues*, scilicet Cartaginensium, Apoc. XVII « Mercatores terre, de uirtute diuitiarum eius diuites facti sunt » ; et planctus motiuum : *uastata est domus*, id est Tyrus ; *uenire*, negotiatio ; et etiam cognoscendi modum : *de terra Cethim*, id est Grecia, I Mach. I[1] « Egressus de terra Cethim, Darium ».

Secundo ponit stuporem : *Tacete*, adiungens tria in quibus gloriabantur, scilicet in munitione loci : *qui habitatis* ; in multitudine mercimonii : *negotiatio*, id est in qua negotiantur ; *repleuerunt* diuitiis ; in habundantia frumenti : *Semen Nili fluminis* est *messis* et *fruges eius*, scilicet Tyri, quia de Egypto ueniebat eis multum de tritico, *et* ideo *facta est <negotiatio>*, Ez. XXXVII « Dices Tyro ».

Tertio ponit confusionem uicinorum. Et primo Sydoniorum, quorum colonia Tyrus erat : *mare*, id est marini negotiatores, *ait : O Sydon, erubesce*, quia non defendisti Tyrum, quia *fortitudo* mea, id est Tyrus, est *dicens : Non parturiui*, id est : non ualuit michi parturiuisse quia capta sum. Vel aliter : *mare*, id est *fortitudo maris*, id est negotiatores qui fortes sunt in mari, *ait : Erubesce Sydon, dicens Non parturiui* ad defensionem Tyri. Vel aliter : *Sydon ait : O mare, fortitudo maris*, id est Tyre, *erubesce*, tu Tyre, *dicens* que sequntur. Vel, *Sydon dicens* : Cum uos ex me geniti sitis, o Tyrii, ita capti estis ac si non parturiissem, infra XXIX[14] « Ego » etc.

Secundo Egyptiorum : *Cum auditum*, I Reg. III[11] « Ecce ego faciam uerbum in Israel, quod quicumque audierit, tinnient aures eius ».

Transite. Hic predicit fugam timentium quantum ad illos qui Nabuchodonosor impugnante ciuitatem fugerunt in Egyptum cum nauibus. Et primo hortatur ad fugam, secundo ad fuge constantiam uel festinantiam : *Transi terram.* Circa primum tria. Primo timentium fugam : *Transite*, uos fugientes, *ululate*, remanentes, supra XVI[8] « Derelicte sunt propagines eius, transierunt mare ». Secundo remanentium ignominiam : *Numquid* ; et circa hoc duo facit. Primo predicit ignominiam, commemorans primo pristinam gloriam : *Numquid non hec uestra*, scilicet ciuitas ? *Ducent*, quantum ad captiuatos, Baruc IV[26] « Delicati mei ambulabunt uias asperas ». Tertio ammirationem, ponens primo ammirantis questionem : *Quis cogitauit, coronatam*, quasi reginam aliarum ciuitatum ; *principes*, pre nimiis deliciis, Ez. XXVI[17] « Quomodo peristi que habitas in mari, urbs inclita, que fuisti fortis in mari, cum habitatoribus tuis ? ». Et

3 duas] partes *add.* F tres π 7 compatientium] patientium F 8 Transite *cont.*(*cf.* 44)] transi terram *codd.* 13 uirtute] ueritate Fπ 13 eius *om.* Fπ 20 gloriabantur F] -batur Bo π 26 < negotiatio > *om. codd.* 31 parturiui] ad defensionem...erubesce(*cf.* 35) *add.* Bo *et del. al. manus* 35 parturiui *scripsi.*] parturi *codd.* 36-39 Vel aliter...parturiissem *om.* π 40 infra...etc. F] *om. cet.* 42 faciam] facio Fπ 49 tria] facit *add.* Fπ 52 ignominiam] ignorantiam π *dub.* F 53 duo] *horum alter desideratur* 56 Delicati mei] etc. *add.* F *om.* π 58 Quis *Vulg.*] qui *codd.* 60 deliciis] uel diuitiis F delictis π

1 Cf. cap. 21, 8. 5 Vers. 17. 8 Vers. 6. 9 Vers. 11. 12 XVII : rectius XVIII[2]. 26 XXXVII : rectius XXVII[2].

[9] Dominus exercituum cogitauit hoc ut detraheret superbiam omnis glorie et ad ignominiam deduceret uniuersos inclitos terre. [10] Transi terram tuam quasi flumen, filia maris : non est cingulum ultra tibi. [11] Manum suam extendit super mare, conturbauit regna. Dominus mandauit aduersum Chanaan, ut contereret fortes eius. [12] Et dixit : Non adicies ultra ut glorieris calumpniam sustinens uirgo filia Sydonis ; in Cethim consurgens transfreta, ibi quoque non erit requies tibi. [13] Ecce terra Chaldeorum, talis populus non fuit, Assur fundauit eam ; in captiuitatem transduxerunt robustos eius, suffoderunt domos eius, posuerunt eam in ruinam. [14] Vlulate naues maris, quia deuastata est fortitudo uestra. [15] Et erit, in die illa in obliuione eris, o Tyre, septuaginta annis sicut dies regis unius. Post septuaginta autem annos, erit Tyro quasi canticum meretricis : [16] Sume cytharam, circui ciuitatem, meretrix obliuioni tradita ; bene cane, frequenta canticum, ut memoria tui sit. [17] Et erit, post septuaginta annos uisitabit Dominus Tyrum et reducet eam ad mercedes suas, et rursum fornicabitur cum uniuersis regnis terre super faciem terre. [18] Et erunt negotiationes eius et mercedes eius sanctificate Domino. Non condentur neque reponentur, quia hiis qui habitauerint coram Domino erit negotiatio eius, ut manducent in saturitatem et uestiantur usque ad uetustatem.

subiungit responsionem : *Dominus exercituum*, Iob XL[6] « Disperge superbos in furore tuo, et respiciens omnem arrogantem humilia ».

Transi terram. Hic hortatur ad uelociter fugiendum. Et primo ponit exhortationem : *Transi quasi flumen*, quod cito nauigio transitur, Ier. XLVI[19] « Vasa transmigrationis fac tibi, habitatrix filia Egypti ». Secundo assignat rationem ex parte ipsorum : *non est cingulum ultra tibi*, id est fortitudo, Abd. « Ecce » ; aliter, ex parte Dei : *Manum suam*, supra XI[15] « Desolabit Dominus linguam maris Egypti ».

Dominus mandauit. Hic comminatur destructionem. Et primo persecutionis flagellum, secundo predicit compassionis planctum : *Vlulate*, tertio determinat destructionis tempus : *Et erit in die illa.* Circa primum tria facit. Primo diuinam indignationem ponens, preceptum : *mandauit*, Nabuchodonosor, *Canaan*, in qua est Tyrus, IV Reg. XVIII[25] « Dominus dixit michi : Ascende ad terram hanc, et demolire eam » ; et finem intentum : *Et dixit : Non adicies ultra, calumpniam sustinens*, accusata de superbia, Ier. X « Non glorietur sapiens in sapientia sua, neque diues in diuitiis suis » ; excludit etiam remedium : *in Cethim*, Deut. XXVIII[65] « In gentibus quoque illis non quiesces, neque erit requies uestigio pedis tui ».

Secundo ponit hostium fortitudinem : *Ecce terra Caldeorum* ; *non fuit* ante eos ; *Assur*, uel Nabuchodonosor, Dan. IV[27] « Nonne hec est Babilon quam edificaui ? ».

Tertio ponit destructionem quantum ad captiuationem hominum : *transduxerunt*, supra III « Descendent fortes eius » ; quantum ad destructionem domorum : *suffoderunt domos*, supra XVII[1] « Erit sicut aceruus ».

Vlulate. Hic ponit planctum, Ez. XXVII[31]. *Et erit.* Hic determinat tempus ; *regis unius*, qui raro etiam tantum uiuit, infra XLIX[14] « Dereliquit me Dominus ».

Post septuaginta autem. Hic promittit liberationem. Et primo ponit liberatorum cantum, ponens canendi tempus : *Post septuaginta* ; *quasi canticum meretricis*, que abiecta a uiro per cantilenas, in quibus commemorat pristinam dignitatem, se iactitat et cor mouet aliorum ad misericordiam. Ponit etiam canticum quantum ad instrumentum : *Sume cytharam* ; quantum ad locum : *Circui <ciuitatem>* ; quantum ad modum : *bene cane* ; quantum ad numerum : *frequenta.* Ponit etiam fructum : *ut memoria*, Ier. III[1] « Vulgo dicitur : Si dimiserit uir uxorem suam, et recedens ab eo duxerit uirum alterum, numquid reuertetur ad eam ultra ? ».

Secundo promittit liberantis beneficium : *Et erit post septuaginta* ; *fornicabitur*, negotiabitur, Ier. XXX[19] « Glorificaberis ». Contra : Ez. XXVII[36] « Ad nichilum deducta es et non eris in perpetuum » ; Glosa ibi « Id est in memoria, que est uita unius hominis, quod est per septuaginta annos », Ps. « Dies annorum in ipsis septuaginta ».

Tertio ponit liberationis fructum : *Et erunt*, infra LX[17] « Aurum pro ere afferam et pro ferro afferam argentum ».

Nota super illo uerbo *Sume cytharam*, quod per

71 tibi *om.* Fπ 72 Abd. Ecce F] *om. cet.* 86 in] et in π nec F 99 Ez. XXVII F] *om. cet.* 110 < ciuitatem > *suppl.*] *om. codd.* 113 memoria sBo] -riam *cet.* 122 annorum *coni.*] *dub.* Bo annos cet. 126 quod per cytharam *hom. om.* F

72 Abd. vers. 2. 77 Vers. 14. 78 Vers. 15. 85 Ier. X : rectius IX[23]. 95 supra III : rectius V[14]. 120 Cf. *Glossa interlin.* in Ez. XXVII[26] : « Alii : seculum, unius scilicet hominis etatem, septuaginta scilicet annos ». 122 Ps. LXXXIX[10]. 126 Cf. vers. 16.

cytharam significatur recta uita : primo quantum ad carnis mortificationem, propter cordarum materiam, Ps. « Psallam tibi in cythara, Sanctus Israel » ; secundo quantum ad uirtutum connexionem, propter cantus concordantiam, supra XVI[11] « Venter meus ad Moab quasi cythara sonabit » ; tertio quantum ad dulcedinem boni operis, propter audientis letitiam, Iob XXI[12] « Tenent tympanum et cytharam, et gaudebunt ad sonitum organi ».

Item nota super illo *circui ciuitatem*, quod debet homo circuire ciuitatem : primo proprie conscientie, recogitando peccata, Eccl. XII[5, 6] « Circuibunt in plateis plangentes, antequam rumpatur funiculus argenteus » ; secundo militantis Ecclesie, imitando iustorum exempla, Ps. « Circumdate Syon et complectimini eam » ; tertio celestis patrie, cogitando sanctorum premia, Cant. III[2] « Surgam et circuibo ciuitatem ».

Item nota super illo *bene cane*, quod debet homo bene canere : primo hilariter, Ps. « Deo nostro iocunda sit laudatio » ; secundo attente, I Cor. XIV[15] « Psallam spiritu, psallam et mente » ; tertio deuote, II Paral. XXIX[31] « Obtulit populus hostias et laudes mente deuota ».

Item nota super illo *frequenta canticum*, quod debet frequentari : primo propter ipsius magnitudinem, Eccli. XLIII[32] « Glorificantes Dominum quantumcumque potueritis, superalebit adhuc, et ammirabilis magnificentia eius » ; secundo propter bonorum interiorum multitudinem, Ps. « Cantate, exultate et psallite » ; tertio propter peccatorum habundantiam, Ps. « Septies in die laudem dixi tibi : Domine Deus ne perdas me ».

131 cantus] -tuum π 137 Item *om.* F 146 Item *om.* F bene *om.* F 151 hostias] bastias pBo π 152 Item *om.* F 156 et *om.* F 157 interiorum] in t'io 32 F *om.* π

129 Ps. LXX[22]. 137 Cf. vers. 16. 142 Ps. XLVII[12]. 146 Cf. vers. 16. 147 Ps. CXLVI[1]. 152 Cf. vers 16. 157 Ps. XCVII[4]. 159 Ps. CXVIII[181] et XXVII[9].

CAPITVLVM XXIV

[1] Ecce Dominus dissipabit terram et nudabit eam et affliget faciem eius et disperget habitatores eius. [2] Et erit sicut populus sic sacerdos, et sicut seruus sic dominus eius, sicut ancilla sic domina eius, sicut emens sic ille qui uendit, sicut fenerator sic is qui mutuum accipit, sicut qui repetit sic qui debet. [3] Dissipatione dissipabitur terra et direptione predabitur, Dominus enim locutus est uerbum hoc. [4] Luxit et defluxit terra et infirmata est; defluxit orbis, infirmata est altitudo populi terre, [5] et terra interfecta est ab habitatoribus suis. Quia transgressi sunt leges, mutauerunt ius, dissipauerunt fedus sempiternum, [6] propter hoc maledictio uorabit terram et peccabunt habitatores eius; ideoque insanient cultores eius et relinquentur homines pauci. [7] Luxit uindemia, infirmata est uitis, ingemuerunt omnes qui letabantur corde;

Ecce Dominus. In parte ista comminatur destructionem totius terre, uel que facta est in singulis regnis et diuersis partibus, uel que futura est in die iudicii secundum quod supra XIV[26] dictum est « Hoc est consilium quod cogitaui »; quamuis quidam hoc exponant de terra Iudeorum, uel de terra Babilonis, uel de terra Ydumeorum. Diuiditur autem in duas : primo comminatur contra terre habitatores, in secunda contra populorum gubernatores : *Et erit in die*. Circa primum tria ponit : primo destructionem hominum, secundo subtractionem gaudiorum, ibi *Luxit uindemia*, tertio multitudinem periculorum : *Preuaricantes*.

Circa primum tria. Primo comminatur destructionem : *nudabit*, euacuando habitatoribus; *dissipabit*, priuando cultoribus; *affliget*, diuersis penis, *faciem*, id est habitantes in superficie; *disperget*, in diuersa diuidendo per captiuitatem, Ioelis I[7] « Nudans spoliaui te ».

Secundo destructionis uniuersalitatem quantum ad punitos, adequans differentes dignitate : *sicut populus*, condicione : *sicut seruus*, rerum possessione : *sicut emens*, Iob III[19] « Paruus et magnus ibi sunt, et seruus liber a domino suo ». Quantum ad diuersitatem penarum : *Dissipatione*, ponens rerum amissionem quantum ad immobilia : *dissipabitur*, quantum ad mobilia : *predabitur*, Ier. XII[11] « Desolatione desolata est omnis terra ». Quantum ad potentie deiectionem : *Luxit et defluxit*, preteritum pro futuro, id est defluet lugens pro infirmitate; et hoc est : *infirmata est*, ut hoc dictum sit quantum ad populares; sed quantum ad potentes : *defluxit orbis*, id est rectores orbis, supra XIII[11] « Visitabo super orbis mala ». Ponit etiam hominum interfectionem : *Et terra*, Ps. « Interfecta est terra ».

Tertio ostendit pene equitatem : *quia transgressi sunt*, et hoc per comparationem ad culpam; unde duo facit. Primo ponit culpam : *leges*, scriptas uel naturales; *ius*, consuetudinis; *fedus*, amicitie, *sempiternum*, quia ex similitudine speciei causatum, Osee VIII[1] « Transgressi sunt fedus meum, et legem meam preuaricati sunt », Soph. III[4] « Polluerunt sanctuarium meum, iniuste egerunt contra legem ».

Secundo comminatur penam propter hoc quadruplicem : primo diuine maledictionis : *Maledictio*, Ier. XXIII[10] « A facie maledictionis luxit terra »; secundo diuine desertionis : *peccabunt*, quasi Domino eos derelinquente, Ro. I[26] « Propterea tradidit eos Deus in passiones ignominie », Apoc. ult. « Qui in sordibus est sordescat adhuc »; tertio infatuationis : *ideoque insanient*, Ps. « Conuersi sunt » in uanitates; quarto diminutionis : *et derelinquentur*, Deut. XXVIII[62] « Remanebitis pauci numero ».

Luxit uindemia. Hic comminatur subtractionem gaudiorum quantum ad malos; et secundo <ponit> gaudia bonorum : *Quomodo si pauce*. Circa primum tria. Primo ponit cessationem letitie que ex tribus erat : uel in fertilitate rerum : *Luxit uindemia* deficiens, id est causa luctus fuit,

3 partibus] temporibus F 5 hoc] hic F 15 nudabit] qua spoliabit π 30 id est defluet *om.* F 53 Ps.] omnes F 59 < ponit > *suppl.*] *om. codd.* 62 uindemia] -iam Bo

1 destructionem : cf. supra cap. 7, 11. 3 in die iudicii : cf. Haymo « Ad diem iudicii pertinent » (829 A) et Hugo. 7 uel...Ydumeorum : ita Hebreus sec. Hugonem; cf. Andreas (ms. f.75 vb). 10 Vers. 21. 12 Vers. 7. 13 Vers. 16. 36 Ps. CV[28]. 52 Apoc. XXII[11]. 53 Ps. LXXVII[67].

[8] cessauit gaudium tympanorum, quieuit sonitus letantium, conticuit dulcedo cythare ; [9] cum cantico non bibent uinum. Amara erit potio bibentibus illam ; [10] attrita est ciuitas uanitatis, clausa est omnis domus nullo introeunte ; [11] clamor erit super uino in plateis. Deserta est omnis letitia, translatum est gaudium terre. [12] Relicta est in urbe solitudo, et calamitas opprimet portas, [13] quia hec erunt in medio terre, in medio populorum. Quomodo si pauce oliue que remanserunt excutiantur ex olea, et racemi cum fuerit finita uindemia. [14] Hii leuabunt uocem suam atque laudabunt, cum glorificatus fuerit Dominus, hinnient de mari. [15] Propter hoc in doctrinis glorificate Dominum, in insulis maris nomen Domini Dei Israel. [16] A finibus terre laudes audiuimus, gloriam iusti. Et dixi : Secretum meum michi, secretum meum michi. Ve michi! Preuaricantes preuaricati sunt et preuaricatione transgressorum preuaricati sunt. [17] Formido et fouea et laqueus super te qui habitator es terre. [18] Et erit, qui fugerit a facie formidinis cadet in foueam, et qui se explicuerit de fouea tenebitur laqueo, quia cataracte de excelsis aperte sunt et concutientur fundamenta terre.

supra XVI[10] « In uineis non exultabit neque iubilabit » ; uel in exercitio ludorum : *cessabit gaudium*, Apoc. VIII « Vox cytharedorum citharizantium in citharis suis » ; uel in deliciis conuiuiorum : *Cum cantico non* <*bibent*>, supra V[12] « Cythara et Lyra in conuiuiis uestris ».

Secundo ponit recompensationem tristitie : *amara*, quia in conuiuiis tristitiam habebunt, contra delicias conuiuiorum, Amos VII « Conuertam festiuitates uestras in luctum » ; *attrita*, contra uanitatem ludorum, Ps. « Vniuersa uanitas », Eccl. I[2] « Vanitas uanitatum, et omnia uanitas » ; *ciuitas*, Babilon, quelibet anima ; *clamor* conquerentium de defectu uini, contra fertilitatem, Amos V[17] « In omnibus uineis erit planctus ».

Tertio concludit commutationem : *deserta*, commutatur in tristitiam, Luce VI[25] « Ve uobis qui ridetis, quia flebitis », Prou. XIV[13] « Risus dolore miscebitur ».

Quomodo. Hic ponit gaudia bonorum. Et primo predicit laudem futurorum, quorum predicit salutem : *Quomodo si pauce* ; pauci saluabuntur respectu aliorum, supra XVII[6] « Relinquetur in ea sicut excussio olee, duarum aut trium oliuarum ». Et ponit ipsorum laudem : *Hii leuabunt ; hinnient* sicut equi, ad significandam magnam letitiam, infra LII[8] « Vox speculatorum tuorum : leuauerunt uocem, simul laudabunt ».

Secundo inducit laudem presentibus : *Propter hoc*. Et primo ponit preceptum : *in doctrinis*, id est docendo alios ; alia translatio : *laudationibus*, Eccli. XLIII[32] « Glorificantes Deum quantumcumque poteritis ». Secundo designat precepti explementum : *A finibus terre* ; *iusti*, id est Christi, infra LXII[11] « Ecce Dominus auditum faciet in extremis terre ». Tertio implentium premium : *Et dixi : Secretum*, de premiis eorum, I Cor. II[9] « Oculus non uidit, nec auris audiuit, etiam in cor hominis non ascendit que preparauit Deus diligentibus se » ; *michi*, soli. *Ve michi*, quia non possum aliis enarrare, II Cor. XII[4] « Audiui arcana uerba que non licet homini loqui ». De penis dampnatorum : *Ve michi*, quantas penas uideo ; et sic tenet se cum parte sequenti.

Preuaricantes. Hic comminatur multitudinem periculorum, et circa hoc duo facit. Primo arguit diuersitatem peccatorum : *Preuaricantes* omittendo, *transgressi* committendo, Ps. « Preuaricantes reputaui omnes peccatores terre ». Secundo comminatur multitudinem periculorum. Et primo ponit hanc multitudinem : *Formido*. Loquitur ad similitudinem eorum qui pre timore insequentes fugiunt, supra VIII[15] « Cadent et irretientur », Ier. III « Vocem terroris ».

Secundo euadendi impossibilitatem : *Et erit qui fugerit*, quasi dicat : decidet in Scillam cupiens uitare Caribdim, Ioelis I[4] « Residuum eruce comedit bruchus ». Et assignat causam : quia et de celo et de terra ueniet eis tribulatio, et hoc est *cataracte*, id est occulti meatus per quos aqua transit, Gen. VII[11] « Cataracte celi aperte sunt ».

Tertio ostendit reparationis impossibilitatem

67-71 Cum...conuiuiorum *bom. om.* π 67 < bibent > *suppl.*] *om.* Bo F (*def.* π) 68 uestris] Amos 7 $\frac{8}{5}$ etc. *add.* F 78 commutationem] comminationem π 80 XIV] XVIII Fπ 96 terre iusti] tenuisti F rerum mundi π 110 traansgressi] *sic codd. ; vide tamen* A 48 64 110 reputaui *Vulg.*] -auerit Bo -auerunt F repu. π 114 eorum *coni.*] eius *codd.* 115 irretientur *scripsi.*] irreicientur *codd.* 116 Vocem terroris *coni.*] ue terrenis Bo F ue de terrenis π 118 Scillam π] sillam *cet.* 119 Caribdim π] -pdim *cet.*

65 Apoc. VIII : rectius XIV[2]. 71 Amos VII : rectius VIII[10]. 73 Ps. XXXVIII[6]. 93 alia translatio... : sic Hugo « alia littera laudationibus ». 110 Ps. CXVIII[119]. 116 Ier. III : rectius XXX[5]. 122 meatus... : cf. Alanus de Insulis *Distinctiones* (PL 210, 734 B).

19 Confractione confringetur terra, contritione conteretur terra, commotione commouebitur terra, 20 agitatione agitabitur terra sicut ebrius, et auferetur quasi tabernaculum unius noctis, et grauabit eam iniquitas sua et corruet et non adiciet ut resurgat. 21 Et erit, in die illa uisitabit Dominus super militiam celi in excelso et super reges terre qui sunt super terram. 22 Et congregabuntur in congregationem unius fascis in lacum et claudentur ibi in carcere, et post multos dies uisitabuntur. 23 Et erubescet luna et confundetur sol, cum regnauerit Dominus exercituum in monte Syon et in Ierusalem et in conspectu senum suorum fuerit glorificatus.

sub triplici similitudine, scilicet rei diuise que non integratur : *Confractione*, quantum ad partes magnas, *contritione*, quantum ad paruas, Amos IX[8] « Ecce oculi Domini » ; et per similitudinem rei commote et que non stabilitur : *commouebitur*, de loco ad locum, *agitabitur*, quasi tremens in proprio loco *sicut ebrius*, supra XIX[14] « Errare fecerunt » ; et per similitudinem tentorii uiatoris quod in eodem loco non firmiter figitur : *et quasi tabernaculum*, infra XXXVIII[12] « Generatio mea ablata est et conuoluta est a me quasi tabernacula pastorum ». Et assignat causam : *et grauabit*, quasi pondus graue, ut non resurgat, Eccli. XXII[17] « Super plumbum » etc., Zach. « Iniquitas sedet super talentum » etc., Ps. « Iniquitates mee sicut honus graue grauate sunt super me ».

Et erit. Hic contra populorum gubernatores ; et circa hoc tria ponit. Primo ponit eorum penam : *in die illa*, iudicii ; *militiam*, demones ; *et super* eosdem *reges*, Io. XII[31] « Nunc princeps huius mundi eicietur foras » ; uel etiam malos reges : *Et congregabuntur* simul in infernum, Matth. XXV[41] « Qui paratus est dyabolo et angelis suis » ; *fascis*, Matth. XIII[30] « Alligate ea, fasciculos ad comburendum », ut sint similes in pena qui fuerunt similes in culpa, Apoc. XIX[19] « Vidi bestiam » etc. Vel *in die illa*, scilicet destructionis singulorum regnorum ; *militiam*, ydola scilicet solis et lune et aliarum stellarum, IV Reg. XXI[3] « Adorauit omnem militiam celi » ; *Et congregabuntur*, per destructionem, infra XXXIV[4] « Tabescet omnis ».

Secundo determinat pene mensuram quantum ad tempus : *et post multos dies uisitabuntur*, quia post quantumlibet tempus tormentis punientur in eternum, Matth. XXV[41] « Ite maledicti in ignem eternum » ; uel in die iudicii, ut statim ad infernum peracto iudicio redeant ; uel, secundum <secundam> expositionem : consolabuntur, quia post tempestatem, omnibus aliquam tranquillitatem facit, Tob. III[22].

Tertio punientis gloriam, et primo iudicis : *Et erubescet*, id est splendor eius nichil reputabitur comparatione splendoris corporis Christi, Ioelis II[31] « Sol conuertetur in tenebras, et luna in sanguinem, antequam ueniat dies Domini magnus et terribilis » ; uel cultores solis et lune. Secundo assessorum : *cum regnauerit* ; *senum*, supra III[14] « Dominus ad iudicandum ueniet cum senatoribus » etc.

Nota super illo uerbo *Amara potio*, quod potio peccati est amara : primo propter conscientie remorsum, Prou. V[4] « Nouissima illius amara sunt » ; secundo propter mortis metum, Eccli. XLI[1] « O mors, quam amara est memoria tua » ; tertio propter diuine dulcedinis defectum, Ier. II[19] « Scito et uide quia malum et amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum » ; quarto propter penitentie planctum, infra XXXVIII[15] « Recogitabo tibi in amaritudine anime mee ».

Item nota super illo *Secretum*, quod Dei magnalia sunt secreta : primo propter eorum magnitudinem, Matth. XIX[11] « Non omnes capiunt uerbum hoc », Io. III[12] « Si terrena dixi uobis et non creditis, quomodo si dixero uobis celestia credetis? » ; secundo propter eorum dignitatem, Matth. XIII[11] « Vobis datum est nosse misterium regni Dei », ceteris autem in parabolis ; tertio propter aliorum inydoneitatem, Matth. VII[6] « Nolite sanctum dare canibus ».

Item nota super illo uerbo *Et erit in die illa, uisitabit*, quod est uisitatio Domini multiplex : prima condempnationis, Ier. VIII[12] « In tempore uisitationis » ; secunda correptionis, Ps. « Visitabo in uirga iniquitates eorum » ; tertia consolationis, Luce I[78] « Visitauit nos oriens ex alto ».

129 et *om.* F 131 supra...fecerunt F] *om. cet.* 135 et...a me] a me et conuoluta Pπ 137-139 Eccli....talentum(talem F) etc. F] *om. cet.* 150 Apoc....etc. F] *om. cet.* 161 < secundam > *suppl. cum* al. m. Bo] *om. cet.* 164 Tob.III F] *om. cet.* 173 etc. F] terre Bo *om.* π 177 XLI *scripsi.*] 42 Bo 43 F xliij π 184 nota π] *om. cet.* illo] uerbo *add.* Pπ 191 aliorum] eorum F 192 inyneitatem sBo] ydoneitatem *cet.* 195 Domini] dei Pπ

138 Cf. Zach. V[7], ut post Hier. (287 A ; 322) affert Hugo « Vnde Zach. 5 c. Sedit iniquitas super talentum plumbi ». 139 Ps. XXXVII[5]. 149 ut sint...culpa : sic Hugo ; cf. *Glossa interlin.* 160 uel...redeant : cf. *Glossa interlin.* 170 uel cultores... : sic Hebreus, sec. Andream (ms. f. 76 vb) et Hugonem. 174 Cf. vers. 9. 184 Cf. vers. 16. 190 misterium...parabolis : ex Luc. VIII[10]. 194 Cf. vers. 21. 197 Ps. LXXXVIII[33].

CAPITVLVM XXV

[1] Domine Deus meus es tu ; exaltabo te et confitebor nomini tuo quoniam fecisti mirabilia cogitationes antiquas fideles. Amen. [2] Quia posuisti ciuitatem in tumulum, urbem fortem in ruinam, domum alienorum ut non sit ciuitas et in sempiternum non edificetur. [3] Super hoc laudabit te populus fortis, ciuitas gentium robustarum timebit te ; [4] quia factus es fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione sua, spes a turbine, umbraculum ab estu ; spiritus enim robustorum quasi turbo impellens parietem. [5] Sicut estus in siti tumultum alienorum humiliabis, et quasi calore sub nube torrente propaginem fortium marcescere facies. [6] Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguium, conuiuium uindemie, pinguium medullatorum, uindemie defecate.

Domine Deus. Hic ponitur gratiarum actio ; et primo de populi exaltatione, secundo de ipsius iustificatione, cap. XXVI *In die illa*, tertio de paterna correptione, cap. XXVII *In die illa*. Prima in duas. In prima ponitur gratiarum actio : *exaltabo te*, in aliis alte te predicando ; *confitebor*, in me ipso gratias agendo, Ps. « Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo ».

Secundo ponitur materia gratiarum actionis : *quoniam fecisti*. Et primo in generali, quantum ad magnitudinem factorum : *mirabilia*, Iob IX « Qui facit magna et inscrutabilia » ; quantum ad impletionem promissorum : *fideles*, Eccli. XXXVI[18] « Da mercedem Domine sustinentibus te, ut prophete tui fideles inueniantur » ; *Amen*, id est uere. Secundo in speciali : *Quia posuisti*, et primo opera que pertinent ad depressionem malorum, secundo que pertinent ad exaltationem bonorum : *Et faciet Dominus*.

Circa primum tria : primo comminatur pene flagellum, secundo pene fructum : *Super hoc*, tertio punitionis modum : *Sicut*. Dicit ergo primo *ciuitatem*, Ierusalem ; *alienorum* a Deo, scilicet Iudeorum ; *in sempiternum non edificetur*, quia nec in eodem loco postea, supra XVII[1] « Ecce Damascus desinet ciuitas esse », Mich. IV « Syon quasi ager », Ez. XXVII[36] « Ad nichilum deducta es ». Vel de Babilone, siue de qualibet alia ciuitate gentilium eis aduersantium.

Super hoc. Hic ponit fructum in subiectione hominum ad Deum. Et primo ponit duo signa subiectionis : laudem, *laudabit fortis*, quantumcumque tibi subiectus, uel populus gentilis fortis in passionibus ; timorem : *timebit te* quecumque ciuitas, infra LX[5] « Fortitudo gentium uenerit tibi ». Secundo assignat rationem, quam primo ponit : *Quia factus es* ; *pauperi*, qui parum habet etsi sufficiens sibi, *egeno*, qui eget, Ps. « Factus est michi Dominus in refugium, et Deus meus in adiutorium spei mee ». Secundo ponit similitudinem : *spes*, defensionis, *a turbine*, propter uiolentiam persequentis ; *umbraculum*, consolationis, *ab estu*, propter afflictionem persecutionis, infra XXXII[2] « Erit uir sicut ». Tertio ponit expositionem : *spiritus*, id est indignatio et superbia, supra XXI[1] « Sicut turbines ab Africo ueniunt, de deserto uenit, de terra horribili ».

Sicut estus. Hic ponit punitionis modum quantum ad afflictionem : *Sicut estus in siti* affligit, *tumultum*, superbum clamorem ; quantum ad sterilitatem : *et quasi calore sub nube* adunata ex uento australi, qua etiam quandoque propter nimium calorem fructus uitis destruuntur, Iac. I[11] « Exortus est sol cum ardore, et arefecit fenum, et flos eius decidit ».

Et faciet Dominus. Hic ponit ea que pertinent ad exaltationem bonorum, et hoc tripliciter. Primo quantum ad habundantiam honoris, quam describit sub metaphora conuiuii quod paratur de animalibus pinguibus et uino depurato ; *in monte hoc*, quia ibi Christus passus est unde nobis omnia bona prouenerunt, uel quia ibi iudicabit, ut dicunt ; Matth. XXII[4] « Ecce prandium meum paraui, tauri mei et altilia sunt occisa ».

Secundo quantum ad subtractionem malorum : *Et precipitabit*, quantum ad mortis penam, quam

5 ponitur. .actio] ponit gratiarum actiones π 6 predicando F] -cabo *cet.* 12 facit sBo F] fecit *cet.* 14 sustinentibus F] timentibus *cet.* 25 loco F] *om. cet.* 39 et Deus...mee *om.* π 44 sicut] *spat. vac. add.* Bo 46 turbines] -ine Fπ Africo *scripsi.*] affico Bo afflicto Fπ 50 tumultum *scripsi.*] tumulum *codd.* 52 qua *coni.*] que *codd.* 53 destruuntur] -uitur F 60 animalibus pinguibus *inv.* Fπ 61 nobis] *post* bona F *post* omnia π 62 bona *om.* π iudicabit F] -bunt *cet.* 63 dicunt] dicitur Fπ

1 gratiarum actio : cf. cap. 7, 8. 7 Ps. IX[2]. 11 Iob IX : rectius V[9]. 18 Vers. 6. 24 nec...postea : cf. Hugo. 26 Mich. IV : rectius III[12]. 33 uel... : cf. *Glossa interlin.* 38 Ps. XCIII[22]. 62 uel...ut dicunt : *Glossa interlin.*

[7] Et precipitabit in monte isto faciem uinculi colligati super omnes populos et telam quam orditus est super uniuersas nationes. [8] Precipitabit mortem in sempiternum, et auferet Dominus Deus lacrimam ab omni facie et opprobrium populi sui auferet de uniuersa terra, quia Dominus locutus est. [9] Et dicent in die illa : Ecce Deus noster iste, expectauimus ipsum et saluabit nos ; iste Dominus, sustinuimus eum, et exultabimus et letabimur in salutari eius, [10] quia requiescet manus Domini in monte isto. Et triturabitur Moab sub eo sicut teruntur palee in plaustro ; [11] et extendet manus sub eo sicut extendit natans ad natandum, et humiliabit gloriam eius cum allisione manuum eius ; [12] et munimenta sublimium murorum tuorum concident et humiliabuntur et detrahentur in terram usque ad puluerem.

nominat uinculum inquantum ad ipsam ex peccato obligamur, et telam inquantum iusta Dei sententia ordita est, <I Cor. XV[54]> « Absorpta est mors in uictoria », Osee XIII[14] « Ero mors tua, o mors, morsus tuus, o inferne » ; doloris tristitiam : *Et auferet*, Apoc. XXI[4] « Absterget Deus omnem lacrimam ab oculis sanctorum » ; confusionis ignominiam : *et opprobrium*, supra IV[1] « Aufer » etc. Quidam referunt hoc ad iudicium prestitum in morte Holofernis, qui contra omnes gentes ueniebat ; et similiter de conuiuio. Et ponit gratiarum actionem : *Et dicent, Sustinuimus*, patienter expectando, Eccli. II[7] « Metuentes Dominum sustinete misericordiam eius ». Et ponit rationem : *Quia requiescet*, cum quo nichil malum potest esse, Ps. « Hec requies mea in seculum seculi ».

Tertio quantum ad hostium oppressionem, scilicet Moabitarum, qui propter sompnia maxime eis infesti erant. Et primo ponit eorum afflictionem : *triturabitur*, Amos I[8] « Triturauerunt in plaustris ferreis Galaad » ; secundo plenariam subiectionem : *extendet manus*, quasi prostratus et petens misericordiam uel auxilium, infra XLIX « Veniet » ; et munitionum destructionem : *et munimenta*, de quibus habetur supra XVI[7].

Nota super illo uerbo *confitebor nomini*, quod est multiplex confessio : prima humilitatis, Iac. ult. « Confitemini alterutrum peccata uestra » ; secunda ueritatis, Ro. X[10] « Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem » ; tertia laudis, Ps. « Confitemini Domino in cythara » ; quarta gratiarum actionis, supra XII[1] « Confitebor tibi Domine quoniam iratus es michi, conuersus est furor tuus et consolatus es me ».

Item nota super illo *Amen*, quod Amen est hebreum ; et quandoque est uerbum, id est fiat, Deut. XXVII[15] « Et dicet omnis populus Amen » ; quandoque aduerbium, id est uere, Io. VI[32] « Amen, amen dico uobis » ; quandoque nomen, id est ueritas, Apoc. III[14] « Hec dicit Amen ». Quandoque est grecum : sine defectu, ab a, quod est sine, et mene, quod est defectus, Ro. IX[5] « Qui est Deus benedictus in secula Amen ».

Nota super illo uerbo *conuiuium pinguium*, quod est triplex conuiuium. Primum familiare militantis Ecclesie, in quo proponit tria : primo amaritudinem passionis, Exo. XII « Comedetis illud cum lactucis agrestibus », I Cor. XI[26] « Quotiens hoc feceritis, mortem Domini annuntiabitis donec ueniat » ; secundo dulcedinem dilectionis, Sap. XVI[20] « Panem de celo prestitisti eis sine labore, omne delectamentum in se habentem et omnis saporis suauitatem » ; tertio pinguedinem quantum ad effectum, Ps. « Impinguasti in oleo caput meum ».

Secundum est conuiuium priuatum anime, in quo proponit tria : primo uinum amoris, Cant. I[1] « Meliora sunt ubera tua uino » ; secundo mel contemplationis, Ps. « Quam dulcia faucibus meis eloquia tua ! Super mel ori meo » ; tertio lac depurationis adhuc ad crescendum in perfectum, II Petri I « Rationabiles sine dolo lac concupiscite».

Tertium est conuiuium solempne celestis curie, in quo proponit tria : primo uinum ad ebrietatem, Cant. IV « Comedite amici et bibite et inebriamini » ; secundo mel ad satietatem, Ps. « Satiabor cum apparuerit gloria tua » ; tertio lac ad perfectionem corporis et anime, Cant. IV « Oculi tui sicut columbe ».

67 ipsam ex] ipsum a F 68 telam *coni.ex Vulg.*] totaliter *codd.* 69 ordita *coni.*] ordinata Bo π absorpta F <I Cor. XV> *suppl.*] Os. XIII *codd., quod suo loco reponimus* 74 Aufer *coni.*] auferet pBo auferat Fπ auferam sBo etc. *scripsi.*] sepem eius et erit in direptionem *codd.*(*ex* Is. V[5]) 91 Veniet] *spat. vac. add.* Bo 92 XVI F] 6 Bo XLVI π 97 ore] oris F 98 Quarta] -to Fπ 102 Item *om.* F 102 illo] uerbo *add.* π 105 id est uere] et affirmat π 106 nomen... ueritas] enim est ueri F 113 in quo proponit] nota π 128 adhuc] ad hoc F 131 proponit] ponit Fπ

75 Quidam : ut Hugo. 82 Ps. CXXXI[14]. 91 Veniet : forsan respiciebatur Is. LX[14] « Venient ad te curui ». 93 Cf. vers. 1. 94 Iac. V[16]. 98 Ps. XXXII[9]. 102 Cf. vers. 1. 103-109 quandoque... : cf. Alanus de Insulis *Distinctiones* (PL 210, 698 B). 111 Cf. vers. 6. 114 Exod. XII[11,8]. 121 Ps. XXII[5]. 126 Ps. CXVIII[103]. 129 I Petri II[2]. 132 Cant. IV : rectius V[1]. 133 Ps. XVI[15]. 135 Cant. IV : rectius V[12].

CAPITVLVM XXVI

[1] In die illa cantabitur canticum istud in terra Iuda : Urbs fortitudinis nostre Syon saluator, ponetur in ea murus et antemurale. [2] Aperite portas, et ingredietur gens iusta custodiens ueritatem. [3] Vetus error abiit, seruabis pacem, pacem quia in te sperauimus. [4] Sperastis in Domino in seculis eternis, in Domino Deo forti in perpetuum. [5] Quia incuruabit habitantes in excelso, ciuitatem sublimem humiliabit ; humiliabit eam usque ad terram, detrahet eam usque ad puluerem. [6] Conculcabit eam pes, pes pauperis, gressus egenorum. [7] Semita iusti recta est, rectus callis iusti ad ambulandum.

In die illa. In parte ista gratias agit de populi iustificatione, et diuiditur in duas : in prima predicit iustorum statum, in secunda ostendit iustitie fructum : *Vetus error.* Circa primum duo. Primo enim predicit iustorum fiduciam : *In die illa*, post reditum de captiuitate et afflictionem Moabitarum a Machabeo, uel post Christi aduentum ; O *Syon, saluator*, Christus uel Iudas Machabeus, est *urbs fortitudinis* ; *in ea*, scilicet protectione, *ponetur murus et antemurale*, ipsi tantum ad litteram tempore Machabeorum ; uel *murus* Christus, *antemurale* prophete. Vel aliter : *Syon* est urbs, *saluator* Deus uel Christus uel Iudas Machabeus, *murus*, id est defendens sicut murus, Prou. XVIII[10] « Turris fortissima nomen Domini », Zach. II[5] « Ero eis, ait Dominus, murus ignis in circuitu ».

Secundo Dominus predicit eorum iustitiam, dicens ad angelos : *Aperite portas*, celi uel uirtutis, clausas peccatis ; uel ad litteram : non oportet uos claudere portas propter infideles, quia omnes erunt iusti, Ps. « Hec porta Domini iusti intrabunt in ea ».

Vetus error. Hic ponit iustitie fructum, scilicet pacem ; de qua primo ponitur populi petitio, que tria continet. Proponitur enim ydoneitas petentium : *Vetus error*, scilicet ydolatrie, II Cor. V[17] « Vetera transierunt » ; postulatur pacis beneficium : *seruabis pacem* corporis et anime, infra XXXII[18] « Sedebit populus meus in pulcritudine pacis » ; allegatur pacis meritum : *Quia in te sperauimus*, Eccli. II[11] « Quis sperauit in Domino et confusus est? ».

Secundo ponitur prophete responsio, qui est mediator inter populum et Deum : *Sperastis.* Et diuiditur in tres : in prima ponitur pacis promissio ; in secunda pacis impetratio : <*Semita*>- ; in tertia impetrate pacis denuntiatio : *Iustitiam.*

Circa primum tria. Primo concedit meritum : *Sperastis in Domino in seculis*, id est semper, Ps. « In ipso sperauit cor meum et adiutus sum ». Secundo adhibet consilium : *in Domino Deo*, supple sperate, Matth. X[22] « Qui perseuerauerit usque in finem, hic saluus erit ». Tertio promittit pacis beneficium pro destructione hostium : *Quia incuruabit habitantes.* Iudei referunt ad Romanos ; potest autem referri ad quoslibet ipsorum hostes, uel mistice ad ipsos Iudeos, supra XXV[12] « Munimenta sublimium murorum tuorum corruent ». Et adiungit destruentium condicionem : *Conculcabit eam pes* ; *pauperis*, Iudei, qui parum habet ; *egenorum*, qui eget plura habere. Vel, si mistice, ponit meritum destructionis Iudeorum propter pauperem Christum, de quo in Psalmo « Ego autem egenus sum et pauper », et alibi « Ego sum pauper et dolens » ; *egenorum*, discipulorum.

Semita iusti. Hic ponitur quasi disceptatio prophete cum Domino ad impetrandam petitionem populi. Et primo inducit ad puniendum hostes per argumenta, secundo per experimenta : *Indulsisti.* Circa primum duo facit : primo inducit ut puniat, secundo ut in pena detineat : *Morientes.* Circa primum tria facit : primo inducit ad iustitiam, secundo excludit misericordiam : *Misereamur*, tertio determinat penam : *Et non uidebit.*

Prouocat autem ad iustitiam tria proponens. Primo iustitie rectitudinem : *Semita iusti*, id est

9 est *om.* F 11 Machabeorum] murus id est defendens *add.* Bo π (*cf. infra* 14) 17 predicit *coni.*] -icat *codd.* 22 ea] eam F Om 29 pulcritudine] multitudine Fπ 31 Quis F] qui *cet.* sperauit] sperat Fπ 36 <Semita> *suppl.*] *om. codd.* 46 hostes F] hostium *cet.* 50 parum habet *inv.* Fπ 52 ponit] ponitur F

4 Vers. 3. 11 uel murus...prophete : cf. Haymo (839 B), Guerricus (ms. f. 74 vb). 21 Ps. CXVII[20]. 36 Vers. 7. 37 Vers. 18. 39 Ps. XXVII[7]. 45 Iudei... : teste Hier. (295 B ; 332). 51-55 Vel... : cf. Hugo. 53 Ps. LXIX[4]. 54 Ps. LXVIII[20]. 59 Vers. 16. Vers. 14.

[8] Et in semita iudiciorum tuorum Domine sustinuimus te ; nomen tuum et memoriale tuum in desiderio anime ; [9] anima mea desiderabit te in nocte, set et spiritu meo in precordiis meis de mane uigilabo ad te. Cum feceris iudicia tua in terra iustitiam discent habitatores orbis. [10] Misereamur impio et non discet facere iustitiam : in terra sanctorum inique gessit. Et non uidebit gloriam Domini. [11] Domine exaltetur manus tua ut non uideant ; uideant et confundantur zelantes populi, et ignis hostes tuos deuoret. [12] Domine dabis pacem nobis, omnia enim opera nostra operatus es nobis. [13] Domine Deus noster, possederunt nos domini absque te ; tantum in te recordemur nominis tui.

iustitie, Sap. x[10] « Iustum deducit Dominus per uias rectas ». Secundo afflictorum expectationem, proponens tria : ipsam expectationem : *In semita*, id est per penam, *iudiciorum tuorum*, quibus nos uindicas et liberas, Ps. « In eternum non obluiscar iustificationes tuas quia in ipsis uiuificasti me » ; expectantium desiderium : *nomen tuum*, Ier. xxiii[6] « Hoc est nomen quod uocabunt eum : Dominus iustus noster » ; desiderii assiduitatem : quia die et *nocte*, id est omni tempore, uel in prosperis et aduersis, *anima mea*, Cant. iii[1] « In lectulo meo quesiui quem diligit anima mea », Ps. « Deus, Deus meus, ad te de luce uigilo ». Tertio proponit iustitie utilitatem : *Cum feceris iudicia*, Ps. « Cognoscetur Dominus iudicia faciens ».

Misereamur. Hic excludit misericordiam, et circa hoc duo facit. Primo Dominus interrogatiue proponit misericordiam : *Misereamur*, Ps. « Misericordia Domini plena est terra ». Secundo propheta excludit ipsam, propter eius inutilitatem : *et non discet*, Eccl. viii[11] « Quia non profert Dominus cito sententiam, filii hominum perpetrant mala », Eccli. xxx[8] « Equs indomitus euadet durus, et filius remissus euadet preceps » ; et propter peccati grauitatem, propter sacri loci profanationem : *in terra sanctorum*, Ps : « Deus uenerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum », Ier. xi[15] « Quid est quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa ? ».

Et non uidebit. Hic ponitur disceptatio de pena determinanda. Et primo Dominus interrogat : *Et non uidebit*, quasi : Numquid debeo hanc penam sibi dare quod non uideat ? Vel remissiue : Et sufficit hoc ad penam.

Secundo propheta respondet *Domine exaltetur*. Tertio Dominus penam determinat spiritualem : *uideant et confundantur*, Apoc. i[7] « Videbit eum omnis oculus », in gloria humanitatis, non diuinitatis ; et corporalem, Apoc. xix[20] « Missi sunt in stagnum ignis ».

Quarto propheta congaudens consentit, proponens duo bona consequentia ex dicta pena : pacem populi, ergo *Domine*, hoc facto *dabis pacem*, et hoc de te speramus : *omnia enim*, Phil. ii[13] « Deus est qui operatur in nobis uelle et perficere », *operatus es*, *opera*, id est penas quibus sufficienter nos purgasti, infra xl[2] « Suscepit de manu Domini duplicia ». Secundo laudem Dei : *Domine Deus*, *possederunt*, et ideo laudi tue uacare non potuimus ; *tantum in te*, non habentes alium Deum cui soli uacemus, Tren. ult. « Serui dominati sunt nostri ».

Nota super illo uerbo *Vrbs fortitudinis*, quod Christus est urbs fortitudinis nostre quia nos confirmat : primo in fide, I Cor. iii[11] « Fundamentum aliud nemo potest ponere preter id quod positum est, quod est Christus Ihesus » ; secundo in spe, Hebr. vi[18] « Fortissimum solatium habeamus qui confugimus ad tenendam propositam spem » ; tertio in caritate, Eph. iii[17] « In caritate radicati et fundati », Luce xii[49] « Ignem ueni mittere in terram » ; quarto in opere, Phil. ii[13] « Deus qui operatur nobis uelle et perficere pro bona uoluntate » ; quinto in tentatione, I Cor. x[13] « Fidelis Deus qui non permittet uos tentari supra id quod potestis » ; sexto in accusatione, I Io. i « Aduocatum habemus ad Deum Ihesum Christum » ; septimo in remuneratione, Apoc. iii[12] « Faciam illum columpnam in templo Dei mei ».

Item nota super illo uerbo *Aperite*, quod aperire debemus portas per meditationem, primo infernalis miserie, infra xxxviii[10] « Vadam ad portas inferi » ; secundo iuste uite, Prou. ult. « Laudent in portis opera eius » ; tertio celestis

72 quia...me] etc. π 80 Cognoscetur F V] -scet *et*. 81 iudicia faciens *coni. cum* V] iustitiam facientibus *et*. 83 interrogatiue F] -ogantem Bo incompetentem π 84 proponit] ponit Fπ 90 preceps *om.* Fπ 93 in...sanctum tuum] etc. π 105 humanitatis] humilitatis uel *praem.* Bo F uel humilitatis *add.* π ; *et delevimus* 127 xii] 13 Fπ 133 Deum] dominum Fπ 136 Item *om.* F

71 Ps. cxviii[93]. 76 uel... : cf. *Glossa interlin.* ex Hier. (296 B ; 533). 78 Ps. lxii[2]. 80 Ps. ix[17]. 84 Ps. xxxii[5]. 92 Ps. lxxviii[1]. 101 sufficit... : cf. Hugo. 118 Thren. v[6]. 119 Cf. vers. 1. 133 I Ioh. ii[1]. 136 Cf. vers. 2. 139 Prov. xxxi[31].

14 Morientes non uiuant, gigantes non resurgant. Propterea uisitasti et contriuisti eos et perdidisti omnem memoriam eorum. 15 Indulsisti genti Domine, indulsisti genti ; nunquid glorificatus es ? Elongasti omnes terminos terre. 16 Domine in angustia requisierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua eis. 17 Sicut que concepit cum appropinquauerit ad partum dolens clamat in doloribus suis, sic facti sumus a facie tua Domine : 18 concepimus et quasi parturiuimus et peperimus spiritum salutis. Iustitiam non fecimus in terra, ideo non ceciderunt habitatores terre. 19 Vivent mortui tui, interfectique mei resurgent. Expergiscimini et laudate qui habitatis in puluere, quia ros lucis ros tuus, et terram gygantum detrahes in ruinam.

glorie, Ps. « Confortauit seras portarum tuarum ».

Item nota super illo *Pacem*, quod tria sunt que faciunt pacem in presenti : primo contemptus temporalis opulentie, infra LVII[20] « Impii autem quasi mare feruens quod quiescere non potest » ; secundo subiugatio carnalis concupiscentie, Eccli. XLIV[6] « Pacificantes in domibus suis » ; tertio contemplatio diuine sapientie, Ps. « In pace factus est locus eius et habitatio eius in Syon ».

Item nota super illo *Semita iusti*, quod est uia iustitie recta : primo propter itineris breuitatem, Sap. VI « Ambulauimus uias difficiles » ; secundo propter situs equalitatem, cuius medium non discrepat, Io. XIII[3] « Sciens quia ad Deum uadit » ; tertio propter pulcritudinem, Ier. XXXI[23] « Benedicat tibi Dominus, pulcritudo iustitie, mons sanctus ».

Nota super illo uerbo *pacem*, quod tria sunt que faciunt pacem in futuro : primo bonorum ubertas, Ps. « Posuit fines tuos pacem » ; secundo malorum securitas, infra XXXII[18] « Sedebit populus meus in tabernaculis fiducie » ; tertio immobilitas, Ps. « In pace in idipsum dormiam et requiescam ».

Morientes. Hic petit ne punitos ulterius a pena liberet. Et primo ponit petitionem : *Morientes*, peccatores, *non uiuant* uita glorie, nisi peniteant ; *gigantes*, de sua potentia gloriantes, *non resurgant* ad gloriam, Ps. « Non resurgent impii », Eccli. XVI[8] « Non exorauerunt pro peccatis suis antiqui gigantes » ; uel petit ut hostes eorum deiecti ulterius non resurgant ad potentiam. Secundo ponit exauditionem : *propterea*, Ps. « Pereat memoria eorum cum sonitu », Ier. VIII[12] « In tempore uisitationis sue corruent ».

Indulsisti. Hic inducit Deum ad iustitie opus per experimentum ; et primo per experimentum in gentibus, secundo in Iudeis : *Sicut que concepit*. Circa primum duo facit. Primo probat per experimentum inutilitatem misericordie, tum quantum ad remissionem penarum : *Indulsisti*, tum quantum ad multiplicationem bonorum : *elongasti*, Ier. V[27] « Magnificati sunt et ditati, et incrassati sunt et impinguati, et preterierunt sermones meos pessime », Prou. I[32] « Prosperitas stultorum ». Secundo utilitatem uindicantis iustitie : *Domine in angustia*, Osee VI[1] « In tribulatione sua mane consurgent ad me », Ez. VI « In tempore afflictionis ».

Sicut que concepit. Hic probat idem per experimentum in Iudeis. Et primo ponit tribulationis flagellum : *Sicut que concepit*, Io. XVI[21] « Mulier cum parit tristitiam habet », Ps. « Ibi dolores ut parturientis ». Secundo emendationis fructum : *a facie tua*, Hebr. XII[11] « Omnis quidem disciplina in presenti quidem uidetur non esse gaudii sed meroris ; postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddit iustitie ».

Iustitiam non fecimus. Hic denuntiat impetratam pacem, et circa hoc tria facit. Primo ostenditur ratio dilationis : *Iustitiam non fecimus*, ut alludat ei quod dicitur Deut. XXVIII[7] « Dabit Dominus inimicos tuos qui consurgunt aduersus te, corruentes in conspectu tuo ».

Secundo ponitur promissio restitutionis populi per resurrectionem, siue corporalem in die nouissimo, siue a miseria captiuitatis. Unde promittitur resurrectio : *Viuent mortui*, Ez. XXXVII, uox prophete ad Dominum ; indicitur resurgentibus gratiarum actio : *Expergiscimini*, Dan. XII[2] « Multi ex hiis qui dormiunt in puluere terre euigilabunt » ; et assignatur resurrectionis causa uel ratio : *Quia <ros lucis>*, scilicet diuina benignitas, Osee VI[3].

Tertio ostenditur hostium destructio, <et primo ponit ipsam> : *Terram gigantium*, id est

142 illo] uerbo *add.* F 145 feruens] feruent Fπ 150 illo] uerbo *add.* F Om 165 ponit F] petit Bo π 168 impii] in iudicio *add.* Fπ 176-178 Et primo ... experimentum F] *hom. om. cet.* 181 multiplicationem] multitudinem Fπ 197 reddit] redit *codd.* 212 <ros lucis> *suppl. cum* sBo] *om. cet.* Osee vi] *erasit* sBo *om.* π 213 <et primo ponit ipsam> *suppl.*] *om. codd.*

141 Ps. CXLVII[13]. 142 Cf. vers. 3. 148 Ps. LXXV[8]. 150 Cf. vers. 7. 152 Sap. VI : rectius V[7]. 158 Cf. vers. 12. 160 Ps. CXLVII[14]. 163 Ps. IV[9]. 168 Ps. I[5]. 172 Ps. IX[7]. 187 Ez. VI : rectius Ier. II[27]. 192 Ps. XLVII[7]. 207 Cf. Ez. XXXVII[1-14]. 212 Osee VI[2] : « Veniet quasi imber nobis temporaneus ».

[20] Vade populus meus, intra in cubicula tua, claude ostia tua super te; abscondere modicum ad momentum donec pertranseat indignatio mea. Ecce enim Dominus egredietur de loco sancto suo ut uisitet iniquitatem habitatoris terre contra eum. Et reuelabit terra sanguinem suum et non operiet ultra interfectos suos.

superborum et potentum, supra XVII[1] « Erit quasi aceruus lapidum in ruina ». Secundo populi Dei immunitatem : *Vade populus meus*; *cubicula*, sepulcra, uel ad litteram munitionem, in quibus interdum se caute custodiunt, infra LIV[8] « In momento indignationis abscondi faciem meam parumper a te, et misericordia sempiterna misertus sum tui », Apoc. VII « Dictum est illis ut quiescerent adhuc modicum, donec compleretur numerus fratrum suorum ». Tertio ponit destructionis ordinem, quia per iudicium; unde ponit iudicis aduentum : *Ecce enim Dominus*, Mich. I[3] « Ecce Dominus egredietur », et omnes angeli eius cum eo; et manifestationem criminum : *Et reuelabit*, Iob XVI[19] « Terra, ne operias sanguinem meum, neque inueniat in te locum latendi clamor meus ».

228 manifestationem F] maturationem *ed.*

218 sepulcra : *Glossa interlin.* 222 Apoc. VII : rectius VI[11].

CAPITVLVM XXVII

[1] In die illa uisitabit Dominus in gladio suo duro et grandi et forti super Leuiathan serpentem uectem et super Leuiathan serpentem tortuosum et occidet cetum qui in mari est. [2] In die illa uinea meri cantabit ei : [3] Ego Dominus qui seruo eam, repente propinabo ei. Ne forte uisitetur contra eam, nocte et die seruo eam. [4] Indignatio non est michi. Quis dabit me spinam et ueprem? In prelio gradiar super eam, succendam eam pariter. [5] An potius tenebo fortitudinem meam? Faciet pacem michi, pacem faciet michi. [6] Qui egredientur impetu ab Iacob, florebit et germinabit Israel, et implebunt faciem orbis semine. [7] Nunquid iuxta plagam percutientis se percussit eum? aut sicut occidit interfectos eius sic occisus est? [8] In mensura contra mensuram, cum abiecta fuerit iudicabit eam;

In die illa. In parte ista commemorat diuinam et paternam correptionem, et primo flagellis alienis, secundo flagellis propriis : *In die illa* <*uinea*> ; unde dicitur Sap. XI[11] « Hos quidem tamquam pater monens probasti ». Circa primum ponit flagellum Babilonis : *gladio*, scilicet uindicta ; *Leuiathan*, scilicet Nabuchodonosor, propter additionem regnorum que sibi subiugauerat ; *serpentem*, propter uirulentam tyrampnidem ; *uectem*, propter populorum correctionem a Deo, supra « Ve Assur, uirga furoris mei » ; *tortuosum*, propter infidelitatem, Iob XL[18] « Ecce absorbebit flumen et non mirabitur » ; *cetum*, Ez. XXVIII[2] « Sedi in corde maris ».

In die illa. Hic ponitur correptio per propria flagella. Unde primo prosequitur castigationem, secundo consolationem : *Et erit in die.* Circa primum duo facit : primo predicitur castigatio, secundo modus inquiritur : *Indignatio.* Circa primum tria. Primo predicit doloris canticum : *uinea*, quondam in prophetis et patriarchis, uini *meri*, supra V[7] « Vinea Domini sabaoth domus Israel est ». Secundo ponit punientis propositum : *Ego Dominus qui seruo eam*, infra LI[17] « Bibisti de manu Domini calicem ire eius ». Tertio ponit beneficium cui ingrati fuerunt : *Ne forte uisitetur*, Sap. XVI[12] « Sermo tuus Domine qui sanat omnia ».

Indignatio. Hic inquiritur punitionis modus, et primo ponitur iudicis deliberatio, secundo deliberati executio : *Ciuitas.* Circa primum tria. Primo proponit seuerum iudicium, proponens seuientis iram : *Indignatio non est michi*, quasi dicat : Immo iuste indignor quia beneficiis ingrati sunt, infra LI[20] « Pleni indignatione Domini » ; et ex ira determinat austeram penam : *Quis dabit michi spinam et ueprem?*, quantum ad precedentes angustias communiter in ipsis ad inuicem exortas, supra V[6] « Ascendent super eam uepres et spine » ; *In prelio*, quantum ad impugnationem hostium, Ier. XXI[5] « Ego debellabo » ; *succendam*, quantum ad destructionem domorum et ciuitatum, Ier. LI « Egredietur ut ignis indignatio mea ».

Secundo ponit sententie temperamentum : *An potius tenebo?*, quasi dicat : *Retinebo iram meam* ; per oppositum, Ier. XXX[24] « Non auferet Dominus ». Et ponit temperamenti fructum quantum ad bonos, quem quilibet faciet in comparatione ad Deum : *Faciet pacem*, quasi dicat : Pacificabit me bonis operibus, infra XXXII[17] « Erit opus iustitie pax » ; in comparatione ad se ipsum : *florebit*, fide uel bono proposito, *germinabit*, operis consummatione, infra LV « Florebit Ierusalem quasi lilium » ; et in comparatione ad proximum : *implebunt faciem, qui egredientur*, scilicet apostoli, supra II[3] « De Syon exibit lex et uerbum Domini de Ierusalem », Ps. « In omnem terram exiuit sonus eorum ».

Ponit etiam pene supplementum quantum ad ingratos : *Numquid iuxta?*, in quo improperat temperate pene beneficium, Ps. « Non secundum peccata nostra facies nobis » ; *In mensura*, in quo comminatur adequatum iudicium ; *cum abiecta* a cultu Dei per infidelitatem, non credentes Christo,

4 <uinea> *suppl.*] *om.sodd.* 25 Domini *om.* Fπ 30 deliberati] -rationis Fπ 33 quasi dicat] quasi F *om.* π 46 XXX] XX π 50 F 46 auferet] aufert Fπ 55 implebunt] et *praem.* F 62 facies] facias F fa. π

10 supra : cap. X[8]. 17 Vers. 13. 19 Vers. 4. 31 Vers. 10. 42 Ier. LI : rectius XXI[12]. 53 infra... : cf. XXXV[1]. 57 Ps. XVIII[6]. 61 Ps. CII[10].

meditatus est in spiritu suo duro per diem estus. [9] Idcirco super hoc dimittetur iniquitas domui Iacob, et iste omnis fructus, ut auferatur peccatum eius, cum posuerit omnes lapides altaris sicut lapides cineris allisos, non stabunt luci et delubra. [10] Ciuitas enim munita desolata erit, speciosa relinquetur et dimittetur quasi desertum ; ibi pascetur uitulus et ibi accubabit et consumet summitates eius. [11] In siccitate messis illius conterentur mulieres uenientes et docentes eam. Non est enim populus sapiens ; propterea non miserebitur eius qui fecit eum et qui formauit eum non parcet ei. [12] Et erit, in die illa percutiet Dominus ab alueo fluminis usque ad torrentem Egypti, et uos congregabimini unus et unus, filii Israel. [13] Et erit, in die illa clangetur in tuba magna, et uenient qui perditi fuerant de terra Assyriorum et qui eiecti erant in terram Egypti et adorabunt Dominum in monte sancto in Ierusalem.

Deut. XXV[2] « Secundum mensuram peccati erit et plagarum modus » ; *meditatus*, in quo ostendit sententie firmamentum, *duro*, quia non placabitur, supra II[22] « Quiescite ergo ab homine cuius spiritus in naribus eius est ».

Tertio explicat motiuum ad temperandum ne tunc omnino destrueret, quia scilicet ex illa gente Christus et apostoli descendere adhuc debebant, per quorum predicationem ydolorum cultus derelinquendus erat ; et hoc est quod dicit *cum posuerit*, supra XVII[7] « Inclinabitur homo ad factorem suum, et oculi eius ad Sanctum Israel respicient ».

Ciuitas, scilicet Ierusalem, Tren. I[1] « Quomodo sedet sola ciuitas plena populo » ; quantum ad hostium potestatem : *ibi pascetur*, quasi sine timore requiescet, *uitulus*, hostium exercitus ; *summitates*, metaphorice, id est spicas per quas significantur principes, supra XIII[21] « Requiescent ibi bestie », uel ad litteram ut sit desolationis signum, I Mach. IV[38] « Viderunt pastophoria dirupta » ; et hominum destructionem : *In siccitate*, metaphora est, id est sicut spice teruntur in siccitate estatis ; *mulieres docentes*, a quibus maxime in peccata populus precipitabatur, supra III[12] « Populum meum exactores sui despoliauerunt », uel quia ipse mulieres docebant eos sicut Delbora, Iudicum IV, et Olda, IV Reg. XXII[14].

Secundo ponit pene equitatem per comparationem ad culpam : *non est enim populus*, supra V[13] « Propterea captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam ».

Tertio destructionis magnitudinem, et quantum ad uniuersalitatem locorum : *Et erit in die*, id est ab uno capite usque ad aliud, supra I[6] « A planta pedis usque ad uerticem non est in eo sanitas » ; et quantum ad paucitatem hominum remanentium : *et uos congregabimini*, Deut. XXVIII[62] « Remanebitis pauci numero ».

Et erit. Hic ponit consolationem per reductionem ad ipsam. *Tuba*, preceptum regis, supra XI[12] « Leuabit signum in nationibus, et congregabit profugos Israel ».

Nota super illo uerbo *Visitabit Dominus in gladio*, quod uindicta Dei dicitur gladius : primo durus propter pene acerbitatem ; secundo magnus propter punitorum uniuersalitatem, Apoc. VI[4] « Datus est illi gladius magnus » ; tertio fortis propter punientis potestatem, Iob XIX[29] « Fugite a facie gladii » ; quarto acutus propter ipsius penetrabilitatem, quia usque ad animam, Hebr. IV[12] « Viuus est sermo Dei et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti » ; quinto lucens propter euidentem equitatem, Naum III[15] « Peribis gladio, deuorabit te ut brucus ».

Item super illo uerbo *Leuiathan*, quod dyabolus dicitur Leuiathan quia addit primo humane nequitie, Ps. « Appone iniquitatem super iniquitatem » ; secundo proprie potentie, Matth. III « Hec omnia tibi dabo si cadens adoraueris me » ; tertio diuine iustitie, Gen. IV[13] « Maior est iniquitas mea quam ueniam merear » ; quarto diuine misericordie, Gen. XXXIII « Tristem blanditiis ».

Item nota super illo *Serpentem*, quod dyabolus dicitur serpens primo propter renouationis ingenium, I Cor. XI « Ipse Sathan transfigurat se in angelum lucis » ; secundo propter incedendi modum, Iob I[7] « Circuiui terram et perambulaui eam » ; tertio propter uenenosum morsum, Prou. XXIII[32] « In nouissimo mordebit eum coluber » ; quarto propter inuolutionis modum, Iob XL[12] « Stringit caudam suam quasi cedrum ».

77 Ciuitas] *supple* Hic ponitur deliberati executio(cf. 30) et primo pena 84 pastophoria sBo] pastores *et*. 110 uniuersalitatem F] uirilitatem Bo uilitatem(?) π 128 illo] uerbo *add.* F 130 XI] *ras.* Bo 136 quasi] sicut Fπ

90 Iudicum IV : vers. 4 sqq. 107 Cf. vers. 1. 119 Cf. vers. 1. 121 Ps. LXVIII[28]. 122 Matth. III : rectius IV[9]. 126 XXXIII : rectius XXXIV[8]. 128 Cf. vers. 1. 130 Rectius II Cor. XI[14].

CAPITVLVM XXVIII

[1] Ve corone superbie, ebriis Ephraim et flori decidenti glorie exultationis eius, qui erant in uertice uallis pinguissime errantes a uino. [2] Ecce ualidus et fortis Dominus sicut impetus grandinis, turbo confringens, sicut impetus aquarum multarum inundantium et emissarum super terram spatiosam. [3] Pedibus conculcabitur corona superbie ebriorum Ephraim. [4] Et erit flos decidens glorie exultationis eius qui est super uerticem uallis pinguium, quasi temporaneum ante maturitatem autumpni, quod cum aspexerit uidens statim ut manu tenuerit deuorabit illud. [5] In die illa erit Dominus exercituum corona glorie et sertum exultationis residuo populi sui. [6] Et spiritus iudicii sedenti super iudicium, et fortitudo reuertentibus de bello ad portam. [7] Verum hii quoque pre uino nescierunt et pre ebrietate errauerunt. Sacerdos et propheta nescierunt pre ebrietate, absorti sunt a uino, errauerunt in ebrietate, nescierunt uidentem ignorauerunt iudicium.

Ve corone. In parte ista comminatur contra illos qui contempnebant prophetarum uaticinia, et primo contra contempnentes in presenti, secundo contra futuros temporibus Ieremie, xxx cap. *Ve filii desertores*. Prima in duas. In prima contra illos de decem tribubus ; in secunda contra illos de duabus : *Verum*.

Circa primum tria facit. Primo arguit culpam superbie : *Ve corone*, quia de multitudine superbiebant, que est corona uel gloria regis, Prou. XIV[28] ; secundo culpam gule : *ebriis Ephraym*, Naum « Gloria inebriasti me », *flori decidenti, qui erant*, temporibus Dauid et Salomonis, uenientes de estu figebant in ualle Gethsemani tentoria ydolatrie ; *errantes a uino*, scilicet ydolatria, Ez. VII[10] « Floruit uirga, germinauit amygdalus ».

Secundo comminatur penam : *Ecce ualidus*, et circa hoc duo facit. Primo <ponit> hostium fortitudinem : *Ecce ualidus*, quantum ad fortitudinem hostium quos immittet ; *sicut impetus*, quantum ad multitudinem, supra XVII[13] « Sonabunt populi sicut sonitus aquarum ». Secundo ponit pene inflictionem, scilicet deiectionem superbie : *Pedibus*, Abacuc III[12] « In fremitu conculcabis » ; et exinanitionem glorie : *Et erit flos, quasi temporaneum*, id est tempestiuus uel primitiuus fructus, supra XVIII[5] « Ante messem enim totus efflоruit », Naum III[12] « Omnes munitiones tue sicut ficus cum grossis suis ».

Tertio ponit iustorum gloriam, scilicet illorum de duabus tribubus : *In die illa*, scilicet temporibus Ezechie, destructis decem tribubus ; quantum ad tria. Quantum ad populi letitiam : *corona*, que ex auro uel argento, contra hoc quod dicit *corone superbie ; sertum* de floribus, contra hoc quod dixit *flori decidenti*, infra LXI[3] « Et darem eis coronam pro cinere ». Quantum ad regis iustitiam : *Et erit*, ipse Dominus, *spiritus*, Ier. XXIII[5] « Regnabit rex et sapiens erit, et faciet iudicium et iustitiam in terra ». Quantum ad militum potentiam : *et fortitudo*, quia Dominus pro eis pugnabit, supra XXV[4] « Quia factus est fortitudo mea ».

Verum hii. Hic comminatur contra illos de duabus tribubus, et primo contra principes, secundo contra ciuitatem uel contra populum, cap. XXIX *Ve Ariel*. Prima in duas. Primo ponit comminationem, secundo consolationem : *Auribus percipite*. Circa primum duo. Primo arguit peccatum et comminatur simul interitum, secundo excludit remedium : *Propter hoc audite*. Circa primum duo. Primo arguit in eis defectum scientie, secundo contemptum doctrine : *Quia manda*.

Circa primum duo. Primo arguit culpam, ponens primo errorem omnium communiter : *Verum hii quoque*, fornicando, Osee IV[11] « Vinum et ebrietas » apostatare faciunt a Deo ; secundo doctorum : *Sacerdos ; nescierunt*, quantum ad ignorantiam credendorum, *errauerunt*, quantum ad

4 temporibus F] *om. cet.* 7 Verum] usque *add. codd.* 10 Prou. XIV F] *om. cet.* 13 Dauid...tentoria F] *om. cet.* 14 ualle Getsemani *coni.*] uilla ersemami F *def. cet.* 14 ydolatrie F] latrie *cet.* 18 <ponit> *suppl.*] *om. codd.* 24 Abacuc...conculcabis F] *om. cet.* 37 pro] de Fπ 55 fornicando] formido pBo π 56 faciunt] sapientes *add.* F (*cf.* Eccli. XIX[3])

7 Vers. 7. 10 Prov. XIV[28] « In multitudine populi dignitas regis ». 11 Naum... : non repertus. 13 temporibus...tentoria : cf. Hugo ex Haym. (847 C-D). 16 amygdalus (ex Eccle. XII[5]) : « superbia » *Clem.* 27 Vers. 23. 50 Vers. 14. 52 Vers. 10. 56 apostatare...Deo : cf. Eccli. XIX[3] et X[14].

[8] Omnes enim mense replete sunt uomitu sordiumque ita ut non esset ultra locus. [9] Quem docebit scientiam et quem intelligere faciet auditum? Ablactatos a lacte, apulsos ab uberibus. [10] Quia manda remanda, manda remanda, expecta reexpecta, expecta reexpecta, modicum ibi, modicum ibi. [11] In loquela enim labii et lingua altera loquetur ad populum istum, [12] cui dixit :

ignorantiam agendorum ; *uidentem*, id est Deum qui omnia uidet. Vnde est expositio Ez. XXII[26] « Sacerdotes contempserunt legem meam et polluerunt sanctuaria mea ». Tertio ponit ignorantie modum : *Omnes enim mense*, quia in templis ydolis se ingurgitabant usque ad uomitum, quasi omnino ydolis dediti ; *sordiumque*, scilicet omnium uitiorum turpium, Prou. XVI « Sicut canis qui reuertitur ad uomitum », et sus lota in uolutabro luti.

Secundo comminatur penam excecationis : *Quem docebit?* Vnde primo ponitur questio : *Quem docebit?*, quasi dicat : ex quo uos scientiam repulistis, *auditum*, scilicet quod audiui a Domino. Secundo ponitur responsio : *ablactatos*, id est humiles et paruulos simplices ; Matth. XI[25] « Abscondisti hec et reuelasti ea paruulis » ; uel quoscumque bonos separatos a lacte concupiscentie.

Nota super illo *ebriis*, quod mali inebriantur uino, primo materialis liquoris, Eph. V[18] « Nolite inebriari uino, in quo est luxuria » ; secundo carnalis delectationis, Prou. VIII « Venite, inebriemur » uino ; tertio spiritualis erroris, supra XIX[14] « Et errare fecerunt Egyptum in omni opere suo sicut errat ebrius et uomens » ; quarto diuine punitionis, Tren. III[15] « Inebriauit me absinthio ». Item inebriantur sancti, primo lacrimis compunctionis, supra XVI[9] « Inebriabo te lacrima mea » ; secundo calice passionis, Ps. « Calix tuus inebrians quam preclarus est ! » ; tertio incentiuo amoris, Cant. IV « Comedite amici et inebriamini » ; quarto torrente felicis delectationis, Ps. « Inebriabuntur ab ubertate domus tue ».

Item nota super illo *Corona superbie*, quod coronantur mali et boni. Mali coronantur primo corona uane letitie, Sap. II[8] « Coronemus nos rosis » ; secundo rerum opulentie, supra XXIII[8] « Quis cogitauit hoc super Tyrum quondam coronatam? » ; tertio mundane potentie, Iob XIX[9] « Spoliauit me gloria mea et abstulit coronam de capite meo » ; quarto superstitiose obseruantie, II Mach. VI[7] « Cum Liberi sacra celebrarentur, cogebantur edera coronati Libero circuire ».

Item coronantur sancti corona : primo nuptiali, infra LXI[10] « Quasi sponsum coronauit me corona » ; secundo triumphali, II Tim. II[5] « Non coronabitur nisi qui legitime certauerit » ; tertio regali, infra LXII[3] « Eris corona glorie in manu Dei tui », Ps. « Posuisti Domine in capite eius coronam de lapide pretioso » ; quarto sacerdotali, Eccli. XLV[14] « Corona aurea super caput eius, expressa signo sanctitatis ».

Item nota super illo *Ablactatos lacte*, quod est quoddam lac quod debet deseri, et istud multiplex : primo carnalis concupiscentie, supra XI[8] « Qui ablactatus fuerit » ; secundo imperfecte iustitie, Gen. XXI[8] « Creuit puer et ablactatus est » ; tertio rudis doctrine, I Cor. III[1-2] « Tamquam paruulis in Christo lac potum dedi uobis ». Et est lac quod debet amplecti : primo pure conscientie, Tren. IV[7] « Candidiores niue, nitidiores lacte », propter nitorem ; secundo sane doctrine propter dulcorem, Cant. IV[11] « Mel et lac sub lingua eius » ; tertio eterne glorie propter facilem absorptionem, Iosue XX « Possidete terram fluentem lac et mel ».

Quia manda. Hic ponit contemptum doctrine, et primo per blasphemiam qua prophetas deridebant dicentes *manda*, quia hiis uerbis comminando utebantur, supra XIII « Mandabo militie » celi, Ier. III « Mandabo nubibus » ; *expecta*, hic promittendo, Abacuc II[3] « Si moram fecerit, expecta eum, quia ueniens ueniet ». Et addit penam : *In loquela*, id est ita carebitis intellectu prophetarum ac si aliquis loqueretur uobis motu labii tantum et lingua extranea ; uel statim inferet uobis plagas. Et de ista locutione, Sap. II[19] « Contumelia et tormento interrogemus illum ».

Secundo quantum ad inobedientiam : *cui dixit.*

64 ingurgitabant F] ingerebant *cet.* 75 concupiscentie *om.* F (*cf.* 78) 76 illo] uerbo *add.* F 78 uino] concupiscentie act. x *add.* F 86 tuus *om.* F 88 Comedite] et bibite *add.* Fπ 91 Item *om.* F illo] uerbo *add.* F 99 Liberi] -ris Fπ celebrarentur sBo] celebrare *cet.* 100 edera] edere Fπ 106 Dei] domini *praem.* Fπ 109 expressa] -sso F 110 illo] uerbo *add.* F 115 paruulis] -ulus Fπ 122 Possidete] -identem Fπ 124 Quia] quidam Fπ 126 uerbis F] *om. cet.* 128 nubibus] celi *add.* F hic] hiis F 133 inferet] infert Fπ 136 inobedientiam F] obedientiam *cet.*

64 se ingurgitabant... : cf. Hugo. 66 Prou. XVI : rectius XXVI[11]. 67 sus...luti : ex II Petri II[22]. 76 Cf. vers 1. 79 Prou. VIII : rectius VII[18]. 86 Ps. XXII[5]. 88 Cant. IV : rectius V[1]. 89 Ps. XXXV[9]. 91 Cf. vers. 1. 106 Ps. XX[4]. 110 Cf. vers. 9. 122 Iosue XX : rectius Lev. XX[24]. 127 supra : cf. XIII[8-6]. 128 Ier. III : cf. Is. V[6]. 133 uel... : cf. *Glossa marg.* ex Haym. (850 C-D).

Hec est requies mea, reficite lassum ; et hoc est meum refrigerium, et noluerunt audire. [13] Et erit eis uerbum Domini : Manda remanda, manda remanda, expecta reexpecta, expecta reexpecta, modicum ibi, modicum ibi : ut uadant et cadant retrorsum et conterantur et illaqueentur et capiantur. [14] Propter hoc audite uerbum Domini uiri illusores qui dominamini super populum meum qui est in Ierusalem. [15] Dixistis enim : Percussimus fedus cum morte et cum inferno fecimus pactum. Flagellum inundans cum transierit non ueniet super nos, quia posuimus mendacium spem nostram et mendacio protecti sumus. [16] Idcirco hec dicit Dominus Deus : Ecce ego mittam in fundamentis Syon lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum. Qui crediderit non festinet. [17] Et ponam in pondere iudicium et iustitiam in mensura. Et subuertet grando spem mendacii, et protectionem aque inundabunt. [18] Et delebitur fedus uestrum cum morte, et pactum uestrum cum inferno non stabit ; flagellum inundans cum transierit, eritis ei in conculcationem. [19] Quandocumque pertransierit tollet uos, quoniam mane diluculo pertransibit in die et in nocte. Et tantummodo sola uexatio intellectum dabit auditui. [20] Coangustatum est enim stratum ita ut alter decidat, et pallium breue utrumque operire non potest. [21] Sicut enim in monte diuisionum stabit Dominus, sicut in ualle que est in Gabaon irascetur, ut faciat opus suum, alienum opus eius ; ut operetur opus suum, peregrinum est opus eius ab eo. [22] Et nunc nolite illudere, ne forte constringantur uincula uestra ;

Unde primo ponit preceptum : *Hec requies*, Matth. xxv[40] « Quod uni ex minimis meis fecistis, michi fecistis » ; secundo contemptum : *et noluerunt*, Ez. iii[7] « Domus autem Israel noluit audire te, quia nolunt audire me » ; tertio comminatur interitum : *Et erit eis*, id est pro uerbis suis hanc penam patientur, Matth. xii[37] « Ex uerbis tuis », « te iudico serue nequam » ; *ut uadant* in interitum.

Propter hoc. Hic excludit remedium. Et primo ponit duo remedia, secundo excludit ab eis utrumque : *Et ponam*. Circa primum ponit duo remedia. Unum in quo confidebant, scilicet pactum cum ydolis, unde ponit pactum : *Percussimus fedus cum morte*, id est cum dyabolo, Iob xl[28] « Numquid feriet tecum pactum et accipies eum seruum sempiternum ? » ; et pacti fructum : *Flagellum inundans*, id est persecutio ; *mendacium*, id est ydolum quod uos prophete dicitis mendacium, Ps. « In labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur ». Secundum est remedium quod Deus sanctis parat, scilicet Christum : *Ecce ego*, Ps. « Lapidem quem reprobauerunt edificantes » ; *Qui crediderit non festinet*, sed expectet, Abacuc ii[3] « Si moram fecerit, expecta eum », et hoc contra malorum blasphemiam.

Et ponam. Hic excludit utrumque dictorum remediorum, et primo primum, secundo secundum : *Coangustatum*. Circa primum tria : primo ponit exclusionis iustum iudicium : *Ponam*, Sap. xi[21] « Omnia in numero et pondere fecisti » ; secundo excludit pactum : *et subuertet grando* tribulationis, et ponit quatuor contra omnia que supra dixerat, Iob iv « Spes ypocrite peribit » ; tertio exclusionis fructum : *Et tantummodo*, supra xxvi[16] « Domine, in angustia requisierunt te ».

Coangustatum. Hic excludit secundum remedium. Et primo ponit in eis impedimentum quare non ualeat eis : *Coangustatum* ; loquitur secundum similitudinem adultere, que non potest eodem lecto habere uirum et adulterum, ita nec ipsi ydolis cultum et diuinum auxilium, I Cor. x[21] « Non potestis mense Domini participes esse et mense demoniorum ». Secundo ponit liberantis aduentum : *Sicut in monte diuisionum*. Tangit hystoriam que habetur II Reg. v ; *sicut in ualle*, Iosue x. Tertio excludit misericordie auxilium : *ut faciat opus suum*, id est ut misereatur nobis sicut tunc, interrogatiue ; et respondit : *alienum*, Ps. « Miserationes eius super omnia opera eius ».

Et nunc nolite. Hic concludit sanum et salubre consilium, et primo prohibet illusionem : *nolite illudere* ; *uincula*, captiuitatis, Prou. iii[34] « Illusores

137 primo *om.* F 140 noluit] noli Fπ 145 interitum] supra 8 *add.* F 176 Coangustatum] hic excludit... quare (174-175) *rep.* F *addendo* etc. 178 ipsi *coni.*] ipse *codd.* 184 Iosue x F] *om. cet.* 185 opus suum] opera sua F 186 interrogative *coni. ex Glossa*] -gantem *codd.*

144 te iudico... : ex Luc. xix[22]. 156 Ps. lxxii[6]. 159 Ps. cxvii[22]. 170 Iob iv : rectius viii[15]. 182 Tangit...Iosue x : cf. Hugo. 183 II Reg. v[17-21]. 184 Ios. x[10-14]. 186 interrogatiue... : cf. *Glossa interlin.* et Hugo. 187 Ps. cxliv[9].

consummationem enim et abbreuiationem audiui a Domino Deo exercituum super uniuersam terram. [23] Auribus percipite et audite uocem meam, attendite et audite eloquium meum. [24] Nunquid tota die arabit arans ut serat? proscindet et sariet humum suam? [25] Nonne cum adequauerit faciem eius seret gith et ciminum sparget et ponet triticum per ordinem et ordeum et milium et uiciam in finibus suis? [26] Et erudiet illum iudicio, Deus suus docebit illum. [27] Non enim in serris triturabitur gith, nec rota plaustri super ciminum circuibit, set in uirga excutietur gyth et ciminum in baculo; [28] panis autem comminuetur. Verum non in perpetuum triturans triturabit illum, neque uexabit eum rota plaustri, nec ungulis suis comminuet eum. [29] Et hoc a Domino Deo exercituum exiuit ut mirabile faceret consilium et magnificaret iustitiam.

ipsi deludentur »; et assignat rationem : *consummationem enim.*

Auribus percipite. Hic ponit consolationem. Et primo excitat attentionem : *audite*, Deut. XXXII[1] « Audite celi que loquor ». Secundo ponit consolationem sub similitudine agricultoris : *Numquid tota die*, per quam ostendit tria, scilicet punientis Dei intentionem, quia ut fructificemus sicut arator : *ut serat*; *gyth*, genus leguminis simile cymino; secundo iudicii discretionem, quia alio modo punit hos et illos, sicut rusticus alio modo excutit triticum et cyminum, et hoc ibi : *Et erudiet*; *panis*, id est frumentum; tertio penarum cessationem quantum ad hos qui corriguntur : *Verumptamen*, I Cor. X « Debet qui arat in spe ». Tertio ponit expositionem : *Et hoc a Domino*, Ps. « Mirabilia opera tua ».

192 enim] supra 8 *add.* F 195 Audite *coni.*] auditam *codd.* 205 spe] *spat. vac. add.* Bo

199 gyth...cymino : *Glossa interlin.* et Hugo referens Haym. (854 B). 205 Cf. I Cor. IX[10]. 207 Ps. CXXXVIII[14].

CAPITVLVM XXIX

Tertio quantum ad desolationem ciuitatum et domorum, ponens ipsam desolationem : *quanto magis*, scilicet flendum est, *ciuitatis exultantis*, scilicet Ierusalem, cuius inferior pars fuit reddita Assyriis, supra XXII[2] « Vrbs frequens ciuitas exultans » ; et desolationis magnitudinem quantum ad domos, quia redacte in perpetuas tenebras, sicut accidit in edificiis ruinosis : *Et tenebre*, Iob XII[25] « Palpabunt in tenebris et non in luce » ; et quantum ad agros : *gaudium onagrorum*, qui morantur in magnis solitudinibus, Ier. II[24] « Onager assuetus in solitudine ».

Donec effundatur. Hic prosequitur liberationem. Et primo ponit Iudeorum consolationem, secundo hostium destructionem : *Grando autem*, tertio prophete congratulationem : *Beati qui seminant*. Circa primum tria <ponit>. Primo diuinam consolationem : hec, dico, contingent uastante terram Sennacherib, *donec spiritus*, diuina consolatio, Ez. XXXVII[6,5] « Scietis quia ego Dominus, quia intromittam in uos spiritum et uiuetis ».

Secundo consolationis modum et ordinem, quantum ad terre fertilitatem : *Et erit desertum*, id est terra uestra prius deserta erit ita fertilis sicut Carmelus, cuius fertilitas reputabitur sterilitas comparatione terre uestre ; supra XXIX[17] idem habetur. Quantum ad iustitie obseruationem : *Et habitabit*, supra I[27] « Syon in iudicio ». Et quantum ad pacis tranquillitatem : *Et erit opus*, id est effectus ; *silentium*, quia sine tumultu contemptionum et bellorum, supra XXVI[12] « Domine, dabis pacem nobis ».

Tertio ponit diuine consolationis iocundam fruitionem : *Et sedebit*, Prou. I[33] « Qui autem me audierit, absque terrore requiescet, et habundantia perfruetur ».

Grando, scilicet tribulationis, *in descensione saltus*, id est descendet a Domino super hostes uestros ; *ciuitas*, Niniue, supra XXV « Ciuitatem sublimem humiliabis ».

Beati qui seminant. Hic ostenditur prophete congratulatio : *super aquas*, id est super loca fertilia ex habundantia aquarum ; *pedem bouis et asini*, non simul quia hoc prohibitum est, Deut. XXII[10] « Non arabis in boue et asino », Ps. « Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, et bene tibi erit ».

Nota super illo uerbo *Erit opus iustitie pax*, quod pax sanctorum in patria erit pulcra, primo quia non erit falsa, Sap. XV ; secundo quia non

69 aliquot] aliquos π aliquod F 79 ascendent sBo] -dentes *cet.* 94 Iudeorum consolationem *inv.* F 97 < ponit > *suppl.*] facit F *om. cet.* 98 dico contingent] duo contingeret F 119 sublimem F] -imium Bo humilium π 122 id est] quasi F

66 Ps. XLVIII[7]. 70 Ps. XXI[12]. 119 XXV : rectius XXVI[5]. 126 Ps. CXXVII[2]. 128 Cf. vers. 17. 130 Cf. Sap. III[3] « Illi autem sunt in pace ».

interrupta, supra x « Et pacis non erit finis » ; tertio quia plena, Ps. « Posuit fines tuos pacem ».

Item nota quod pacem futuram faciunt appetibilem tria : primo firmitas diuine potentie, Ps. « Qui confidunt in Domino sicut mons Syon, non commouebitur in eternum qui habitat in Ierusalem » ; secundo puritas proprie conscientie, Prou. III[23] « Ambulabis fiducialiter in uia tua et pes tuus non impinget » ; tertio remotio hostilis nequitie, Matth. ult. « Confidite, ego uici mundum ».

Item nota super illo uerbo *Beati qui seminant super aquas*, quod doctrina Domini est aqua : primo quia habundat, Eccli. XXIV[40] « Ego sapientia effudi flumina » ; secundo quia refrigerat, Prou. XXV[25] « Aqua frigida anime sitienti » ; tertio quia fecundat, infra LV[10] « Quomodo descendit imber de celo et illuc ultra non reuertitur, sed inebriat terram et germinare eam facit ; sic erit uerbum quod egredietur de ore meo » ; quarto quia uelociter portat, Io. IV[14] « Fiet in eo fons aque salientis in uitam eternam » ; quinto quia singulis se conformat, Prou. V[16] « In plateis aquas tuas diuide ».

133 appetibilem *scripsi cum* π(-L)] -bile *cet.* 135-137 sicut...Ierusalem] etc. π 140 uici *scripsi cum* V] uinci *cet.* 142 uerbo *om.* Fπ

131 supra x : rectius IX[7]. 132 Ps. CXLVII[14]. 134 Ps. CXXIV[1-2]. 140 Matth. : rectius Ioh. XVI[33]. 142 Cf. vers. 20.

CAPITVLVM XXXIII

[1] Ve qui predaris ; nonne et ipse predaberis? et qui spernis, nonne et ipse sperneris? Cum consummaueris depredationem, depredaberis ; cum fatigatus desieris contempnere, contempneris. [2] Domine miserere nostri, te enim expectamus ; esto brachium nostrum in mane et salus nostra in tempore tribulationis. [3] A uoce angeli fugerunt populi, ab exaltatione tua disperse sunt gentes. [4] Et congregabuntur spolia uestra sicut colligitur bruchus, uelud cum fosse plene fuerint de eo. [5] Magnificatus est Dominus, quoniam habitauit in excelso, impleuit Syon iudicio et iustitia. [6] Et erit fides in temporibus tuis ; diuitie salutis sapientia et scientia ; timor Domini ipse thesaurus eius. [7] Ecce uidentes clamabunt foris, angeli pacis amare flebunt. [8] Dissipate sunt uie, cessauit transiens per semitam, irritum factum est pactum, proiecit ciuitates, non reputauit homines.

Ve qui predaris. In parte ista incipit predicere hostium destructionem ; et primo destructionem, secundo destructionis effectum, xxxv cap. *Letabitur*. Prima in duas : in prima predicit destructionem hostium principalium, scilicet Assyriorum, in secunda aliorum eis auxiliantium, xxxiv cap. *Accedite*. Circa primum duo : primo predicit destructionem Assyriorum, in secunda ingratorum Iudeorum : *Laxati sunt*. Circa primum duo : primo predicit Assyriorum destructionem, secundo inuitat omnes ad tanti facti considerationem : *Audite*. Circa primum duo facit : primo predicit penam quam a Deo percepit, secundo quam aliis ipse intulit : *Ecce uidentes*.

Circa primum tria facit. Primo comminatur Assyriis destructionem, ponens questionem : *nonne*, et responsionem : *Cum consummaueris* ; *fatigatus*, quasi dicat : tedio affectus de multis uictoriis, Matth. VII[2] « In qua mensura mensi fueritis, remetietur uobis », Apoc. XIII[10] « Qui in gladio occiderit », gladio ferietur.

Secundo in persona populi petit a Deo comminationis confirmationem : *Domine miserere*, Eccli. XXXVI[7] « Glorifica manum et extende brachium », Ps. « Da nobis, Domine, auxilium de tribulatione».

Tertio ponit petitionis impletionem, primo ponens destructionem Assyriorum quantum ad exercitus dispersionem : *A uoce angeli*, multos interficientis, *populi*, Assyrii qui residui fuerunt, supra XXXI[9] « Et pauebunt principes eius fugientes » ; quantum ad spoliorum direptionem : *Et congregabuntur*, a Iudeis, *uestra*, o Assyrii, supra x « Letabuntur coram te sicut qui letantur capta preda ». Secundo destructionis fructum, scilicet Dei gloriam : *Magnificatus*, Ps. « Magnificata est usque ad nubes ueritas tua » ; et hominum gratiam in rectitudine actus : *impleuit*, scilicet Dominus, *iudicio*, que executio iustitie, *fides*, que est fundamentum iustitie, supra I[27] « Syon in iudicio », Osee II[20] « Sponsabo te michi in iustitia et fide ». Quantum ad perfectionem intellectus : *diuitie salutis sapientia*, in diuinis, *scientia*, in humanis, Prou. III[15] « Pretiosior est sapientia ». Quantum ad ordinationem affectus : *timor*, Eccli. I[27] « Timor Domini delet peccatum ».

Nota super illo uerbo *diuitie salutis*, quod nos habemus diuitias primo in Deo, Col. I « In ipso sunt omnes thesauri sapientie et scientie Dei absconditi » ; secundo in seipso, Prou. « Pretiosior est sapientia » ; tertio in sanctorum collegio, supra XIII[12] « Pretiosior erit uir auro »,

Ecce uidentes clamabunt. Hic ponit penam quam aliis intulit. Et primo describit penam ab ipso inflictam quantum ad perturbationem hominum : *uidentes* exercitus magnitudinem ; *foris*, qui habitant in suburbanis, *angeli pacis*, legati Ezechie ad Rapsacen, infra XXXVI, Ier. VIII[19] « Ecce uox clamoris filie populi mei de terra longinqua » ; quantum ad solitudinem uiarum : *Dissipate*, Tren. I[4] « Vie Syon lugent, eo quod non est qui ueniat ad solempnitatem » ; quantum ad infrictionem pactorum : *irritum factum est pactum*, scilicet quo Sennacherib Ezechiam assecurauerat, et ideo *proiecit*, quasi contempnens eorum amicitiam, *non*

10-12 Assyriorum...predicit *hom. om.* pBo 14 intulit pBo F] contulit sBoπ 28 dispersionem F] *om. cet.* 38 executio F] executores *cet.* 40 in iustitia et *om.* F 60 Vie] filie F 61 infrictionem] infirmationem F inflictionem π

2 hostium destructionem : cf. cap. 32, 7. 9 Vers. 23. 12 Vers. 13. 21 gladio ferietur : cf. IV Reg. XI[16]. 25 Ps. LIX[12]. 32 supra x : rectius IX[9]. 35 Ps. LVI[11]. 46 Cf. vers. 6. 47 Col. II[8]. 49 Prov. III[16], vel rectius Eccl. X[1]. 57 XXXVI : vers. 3 sqq.

[9] Luxit et elanguit terra, confusus est Libanus et obsorduit, et factus est Saron sicut desertum, et concussa est Basan et Carmelus. [10] Non consurgam, dicit Dominus, nunc exaltabor, nunc subleuabor. [11] Concipietis ardorem, parietis stipulam ; spiritus uester ut ignis uorabit uos. [12] Et erunt populi quasi de incendio cinis : spine congregate igni comburentur. [13] Audite qui longe estis que fecerim, et cognoscite uicini fortitudinem meam. [14] Conterriti sunt in Syon peccatores, possedit tremor ypocritas. Quis poterit habitare de uobis cum igne deuorante? Quis habitabit ex uobis cum ardoribus sempiternis? [15] Qui ambulat in iustitiis et loquitur ueritates, qui proicit auaritiam ex calumpnia et excutit manus suas ab omni munere, qui obturat aures suas ne audiat sanguinem et claudit oculos suos ne uideat malum. [16] Iste in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas eius ; panis ei datus est, aque eius fideles sunt. [17] Regem in decore suo uidebunt et oculi eius cernent terram de longe. [18] Cor tuum meditabitur timorem.

reputauit, pre superbia cordis sui, Iob XXXIX[24] « Absorbet terram, nec reputat tube sonare clangorem » ; quantum ad destructionem regionum : *Luxit et elanguit*. Et ponit precipue fertiles regiones ; supra XXIV[4,7] idem.

Secundo ponit diuinam resistentiam conatibus eius : *Nunc consurgam*. Et circa hoc tria ponit. Ex parte Dei resistentis propositum : *Nunc*, scilicet post tanta mala que fecit, *consurgam* contra ipsum, Ps. « Propter miseriam inopum et gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus ». Secundo ponit frustratum Assyriorum consilium : *Concipietis*, id est cogitabitis alios ardere ; *parietis stipulam*, id est hoc sequetur quod uos comburemini ; *spiritus uester*, id est indignatio, *uorabit*, scilicet carnem sub corio, Ps. « Lacum aperuit et effodit eum, et incidit in foueam quam fecit ». Tertio ponit resistentie siue pene modum : *Et erunt populi, cinis*, quia ad litteram corpora eorum sunt in cineres redacta ; *spine*, id est Assyrii, quia alios lacerabant, Mal. ult. « Calcabitis impios, cum fuerit cinis sub planta pedum eorum ».

Audite. Hic inuitat ad tanti facti considerationem, et primo ad considerandum liberantis diuine potentie magnitudinem ; secundo ad considerandum liberatorum ydoneitatem, qui scilicet sint ydonei ut taliter a Domino liberentur, ibi *Quis ex uobis* ; tertio ad considerandum liberate ciuitatis dignitatem : *Respice Syon*. Circa primum duo. Primo inuitat ad considerationem sue potentie : *Audite*, infra XLIX[1] « Audite insule et attendite populi de longe ». Secundo ostendit potentie signum : *Contriti sunt peccatores*, Assyrii scilicet, supra XXIX « Conteram eos » etc.

Quis poterit. Hic inuitat ad considerandum ydoneitatem eius qui habitat cum Deo, ut ab ipso semper protegatur illesus. Et primo inquirit ydoneum, secundo excludit indignum : *Vbi est litteratus*. Circa primum tria facit. Primo ponit questionem ; *cum igne deuorante*, Deo scilicet, ut ab ipso non deuoretur sicut Assyrii, Deut. IV[24] « Deus, Deus tuus ignis consumens est ».

Secundo ostendit ydoneitatem, remouens tria ad que Iudei proni erant, scilicet auaritiam quantum ad iniuste ablata : *Ex calumpnia*, et quantum ad illiberaliter accepta : *et excutit* ; secundo quantum ad crudelitatem in homicidiis : *qui obturat* ; tertio quantum ad luxuriam : *et claudit oculos. Iste in excelsis*, scilicet cum Deo, Ps. « Quis habitabit in tabernaculo » etc.

Tertio ostendit huius habitationis utilitatem quantum ad quatuor. Et primo quantum ad altitudinem securam, quod tamen est contra consuetudinem altitudinis : *munimenta*, Iob XXXIX[28] « In petris manet ». Secundo quantum ad satietatem plenam : *panis*, Gen. ult. « Aser panis pinguis ». Tertio quantum ad Dei uisionem : *Regem*, id est Deum, Cant. III[11] « Egredimini filie Syon et uidete regem ». Quarto quantum ad affectionem sanctam, scilicet contemptum terrenorum : *oculi eius, de longe*, quasi longe sub se, in dignatione scilicet ; et quantum ad diuinam subiectionem : *Cor tuum, timorem* filialem, Eccli. I[12] « Timor Domini delectabit cor ». Et possunt hec exponi quantum ad eos qui habitant cum Deo in presenti Ecclesia, uel etiam triumphante. Vel aliter : *terram*, scilicet uiuentium, Ps. « Credo uidere bona Domini in terra uiuentium » ; *de longe*,

69 supra...idem F] *om. cet.* 78 id...sequetur] et hoc sequitur F 88 liberantis(-rtatis π) *post* potentie Fπ 90-92 liberatorum...considerandum F] *bom. om. cet.* 93 duo] facit *add.* Fπ 97 scilicet *om.* F 110 illiberaliter F] -litatem *cet.* 113 Ps....etc. F] *om. cet.* 120 Aser] asser π(-V) aster F 122 Egrediemini Fπ(-F[1]) 126 in dignatione *coni.*] indignationem *codd.* 130 etiam] in F

74 Ps. XI[6]. 80 Ps. VII[16]. 85 Mal. IV[3]. 98 XXIX : vel XIV[25] « ut conteram Assyrium ». 113 Ps. XIV[1]. 120 Gen. XLIX[10]. 130 Vel aliter... : cf. *Glossa interlin.* 131 Ps. XXVI[13].

Vbi est litteratus? Vbi legis uerba ponderans? Vbi doctor paruulorum? [19] Populum imprudentem non uidebis, populum alti sermonis, ita ut non possis intelligere disertitudinem lingue eius in quo nulla est sapientia. [20] Respice Syon ciuitatem sollempnitatis nostre; oculi tui uidebunt Ierusalem habitationem opulentam, tabernaculum quod nequaquam transferri poterit, nec auferentur claui eius in sempiternum, et omnes funiculi eius non rumpentur, [21] quia solummodo ibi magnificus Dominus Deus noster; locus fluuiorum riui latissimi et patentes. Non transibit per eum nauis remigium, neque trieris magna transgredietur eum. [22] Dominus enim iudex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster, ipse saluabit nos. [23] Laxati sunt funiculi tui set non preualebunt; sic erit malus tuus ut dilatare signum non queas. Tunc diuidentur spolia predarum multarum; claudi diripient rapinam.

quasi longe supra dignitatem nature uel ydoneitatem multorum, nunc in spe, in futuro in re; et sic se tenet cum tertia.

Nota super illo uerbo *spiritus uester ut ignis*, quod Deus dicitur ignis : primo purgans, Matth. III[11] « Baptizabit uos Spiritu sancto et igne »; secundo inflammans, Luce XII[49] « Ignem ueni mittere in terram »; tertio condempnans, Deut. XXXII[22] « Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni nouissima ».

Item super illo uerbo *Iste in excelsis habitabit*, nota quod sancti habitant cum Deo : primo per puritatem actionis, Ps. « Oculi mei ad fideles terre, ut sedeant mecum »; secundo per inhesionem amoris, Io. XIV[23] « Si quis diligit me, sermonem meum seruabit »; tertio per eminentiam contemplationis, Phil. IV « Nostra conuersatio in celis est »; quarto per gloriam fruitionis, Ps. « Beati qui habitant in domo tua, Domine ».

Vbi est litteratus? Hic excludit indignum quantum ad illos qui precipue digni uidebantur. Et primo eminentes in sapientia : *Vbi est litteratus*, eruditus in philosophia; *legis uerba*, eruditus in diuina; *doctor*, instruens alios in erudimentis utriusque, I Cor. I[20] « Vbi sapiens, ubi scriba », ubi doctus? Secundo eminentes in eloquentia sed non sapientia : *Populum alti sermonis*, Ier. V[15] « Ecce ego adducam super uos gentem cuius ignorabis linguam ».

Respice. Hic inducit ad considerandum liberate ciuitatis dignitatem. Et primo quantum ad copiam bonorum, ponens quatuor que sunt in celesti uel militanti Ecclesia, scilicet cordium letitiam : *ciuitatem solempnitatis*, supra XXX[29] « Sicut uox sanctificate solempnitatis et letitia cordis ». Rerum opulentiam : *oculi tui uidebunt*, supra XXXII[18] « Sedebit populus meus in pulcritudine pacis, in tabernaculis fiducie, in requie opulenta ». Immobilitatis gratiam : *tabernaculum*; *claui*, loquitur secundum similitudinem tabernaculi, quod affigitur clauis et funibus qui dissoluuntur quando transferri debet, Dan. VII[14] « Potestas eius potestas eterna, que non auferetur »; et huius assignat rationem : *quia solummodo Dominus*, qui ualet transferre et alii non poterunt, Ps. « Magnus Dominus et laudabilis nimis ». Aquarum habundantiam : *locus fluuiorum*, id est diuinarum monitionum; *riui*, diuersi modi participationum, Ps. « Fluminis impetus letificat ciuitatem Dei ». Hoc tamen Iudei totum fabulose referunt ad auream Ierusalem.

Secundo quantum ad immunitatem malorum : *Non transiuit*, preteritum pro futuro; *remigium*, quorumlibet hostium, qui quandoque consueuerant per mare terram promissionis infestare; *trieris*, nauis habens tres ordines remorum. Et assignat causam : *Dominus enim iudex*, iudicans ab aduersariis, Zach. IX[9] « Ecce rex tuus uenit tibi mansuetus ».

Laxati. Hic predicit ingratorum Iudeorum destructionem post a Romanis factam, et ponit tria. Primo impotentiam ad resistendum : *Laxati*, id est preparati, *funiculi*, ut te contra Romanos defendas. Loquitur secundum similitudinem nauis que paratur ad eundum. *Malus*, arbor nauis, scilicet templum, in quo pretiosa uasa et uela fuisse noscitur, Tren. I[14] « Dedit me Dominus in manu de qua non potero fugere ».

Secundo direptionem spoliorum ab hostibus : *Tunc diuidentur*, a Romanis; *claudi*, quasi dicat :

156 doctor] par<uulorum?> *add.* Bo 158 doctus...in] conquisitor huius seculi sermone π 164 ponens] ostendens F 165 militanti] militari Fπ 165 letitiam sBo] -tia *est.* 174 debet] debent Fπ 179 diuinarum *coni.*] -orum *codd.* 185 transiuit *coni. ex commento*] -ibit *codd.* 189 iudicans F] ubi predicans π *dub.* Bo 193 post] primo Fπ 195 id est] sunt F funiculi] t<ui> *add.* Bo 197 paratur] preparatur(-rat π) Fπ eundum *scripsi*] eundem *codd.* 199 noscitur] noscuntur Fπ 200 manu *scripsi*] manus *codd.* 202 diuidentur] -detur F -deretur π

136 Cf. vers. 11. 143 Cf. vers. 16. 145 Ps. C[6]. 149 Phil. IV : rectius III[20]. 150 Ps. LXXXIII[5]. 177 Ps. XLVII[2]. 180 Ps. XLV[5]. 188 nauis...remorum : *Glossa interlin.* 198 templum...uela : cf. *Glossa interlin.*

[24] Nec dicet uicinus : Elangui. Populus qui habitat in ea auferetur ab eo iniquitas.

Nullus erit sic impotens inter eos quin predam uestram diripiat, Ioelis III[10] « Infirmus dicat quia ego fortis sum ».

Tertio remissionem peccatorum hostibus : *Populus*, scilicet Romanus, iustificatus comparatione malitie Iudeorum, Ez. XVI[51] « Iustificasti ». Vel loquitur contra Ydumeos, qui non poterunt preualere contra Iudeos, sed magis ab ipsis spoliabuntur tempore Machabeorum ; et populo Iudeorum remittetur iniquitas, infra XL[2] « Completa est malitia eius ».

208 Iustificasti *coni.*] -castis *codd.*

207 comparatione...Iudeorum : *Glossa interlin.* 209 Vel...contra Ydumeos : cf. Andreas (ms. f.86 vb).

CAPITVLVM XXXIV

[1] Accedite gentes et audite, et populi attendite ; audiat terra et plenitudo eius, orbis et omne germen eius. [2] Quia indignatio Domini super omnes gentes et furor super uniuersam militiam eorum, interfecit eos et dedit eos in occisionem, [3] interfecti eorum proicientur et de cadaueribus eorum ascendet fetor. Tabescent montes a sanguine eorum. [4] Et tabescet omnis militia celorum, et complicabuntur sicut liber celi, et omnis militia eorum defluit sicut defluit folium de uinea et de ficu, [5] quoniam inebriatus est in celo gladius meus. Ecce super Ydumeam descendet,

105 ra

§ *Accedite gentes* etc. In parte ista comminatur <his> qui fuerunt Assiriis coadiutores, et primo communiter omnibus, secundo specialiter Ydumeis, ibi *Ecce super Ydumeam* etc. Circa primum duo. Primo excitat attentionem, <ponens> attentionis ordinem ut accedentes appropinquent, propinqui audiant et audientes attendant, infra xlix *Audite insule* etc. Et ponit conuocatorum uniuersalitatem : *audiat terra* ; *et orbis*, quantum ad mediocres, continens pro contento ; *plenitudo*, quantum ad maiores, *germen*, quantum ad minores : omnibus se paratum ad annuntiandum, non quod omnes possint audire, ostendit, Ps. « Domini est terra » etc.

Secundo ponit comminationem : *Quia indignatio*, quantum ad tria. Primo quantum ad destructionem populorum, ponens iudicis, scilicet Dei, indignationem : *indignatio Domini* etc., supra xiiij « Hec est manus eius » etc., supra xxx « ad perdendas gentes » etc. ; hominum necem : *interfecit* per actoritatem, *dedit*, quasi aliis ad interficiendum sicut exequtoribus, Zac. xj « Ego tradam homines unumquemque » etc. ; et cadauerum abiectionem : *interfecti proicientur* sine sepultura, Ioelis secundo « Ascendet fetor eius » etc. Secundo quantum ad tirampnorum cessationem : *Tabescent montes*, tirapni, *a sanguine*, id est propter culpam effusi sanguinis, infra lxiiij « A facie tua montes » etc. Tertio quantum ad destructionem ydolorum ; et circa hoc tria.

Et primo ostendit cessaturum ydolorum auxilium in bellis : *tabescet* ; *celorum*, scilicet aeriorum, id est demones, uel ad litteram spiritus qui presidebant syderibus secundum opinionem gentilium, supra xix « Mouebuntur simulacra » etc. ; et in consiliis, in quantum scilicet diuinabant in astris ; *et complicabuntur* etc., id est : sicut in libro plicato non potest aliquid legi, ita nec in celo poterunt mala eis futura preuidere, Apoc. vj « Celum recessit » etc. Secundo ostendit cessaturum ydolatrie cultum : *et omnis militia* etc., uel facilitatem impletionis predictorum, Apoc. eodem « Stelle celi ceciderunt » etc. Tertio ostendit utriusque effectiuum : *quoniam gladius*, id est ultio, *inebriatus in celo*, id est habundanter in demonibus ultionem exercui, qui ydolis presidebant, Deut. xxxij « Inebriabo sagittas » etc.

§ *Ecce super Ydumeam.* Hic comminatur specialiter Ydumeis, qui cum hostibus contra Ierusalem uenerunt, sicut dicitur in Abdia « Quando capiebant alieni exercitum » etc. Et circa hoc tria facit : primo comminatur hominum interfectio-

1 Accedite] *hic incipit autogr.* A 2 < his > *suppl. cum* α 5 < ponens > *suppl.* 6 accedentes] p *praem.* pA 7 audientes] audietes A 9 audiat] ter<ra> *praem.* A 13 omnes] omnibus *praem.* pA 16 quantum ad[1]] propter pA 19 perdendas] -dam pA 23 cadauerum] ad *add.* pA 24 proicientur] proic. A 25 ascendet] -dit pA 29 destructionem] -one pA 31 ydolorum *sup. lin.*] -latrie pA 33 ad litteram] aditteram A 42 eodem] .e. A 44 effectiuum] scilicet diuinam *add.* pA 49 hostibus] ad captionem(?) *add.* pA

1 gentes etc. *om.* 4 ibi *om.* etc. *am.* 5 <ponens>] et 8 etc.] et attendite populi de longe 9 et orbis *om.* 14 etc.] et plenitudo eius 18 indignatio Domini etc. *om.* Hec] hic(-F) 19 eius etc.] extenta super omnes gentes supra...etc. *hom. om.* 20 interfecit] interficit eos 21 quasi] dicat *add.* 23 etc.] in manu proximi sui et *om.* 25 etc.] et ascendet putredo eius quia superbe egit 27 tirapni] id est *praem.* 28 etc.] defluxerunt 30 tria] facit(f. Bo) *add.* 29-31 et circa...ydolorum *hom. om.* π 31 Et *om.* (*def.* π) ostendit] ponit Bo (*def.* π) 32 in bellis *om.* α(-F) scilicet *om.* α(-F) 33 demones] -num 35 etc.] egypti 37 etc. *om.* 40 etc.] sicut liber inuolutus 41 etc. *om.* 42 eodem] 6 43 celi] de celo *add.* etc. *om.* 44 quoniam] quando 47 etc.] meas sanguine et gladius meus deuorabit carnes. Nota super illo uerbo accedite...uno spiritu (*cf. infra* 140-145) 51 etc. *om.*

4 Vers. 5. 9 et *om.* Ω. 13 Ps. xxiii[1]. 18 Is. xiv[26]. 19 eius *om.* Ω. Is. xxx[28]. 22 Zach. xi[8]. 24 Ioel ii[10]. 28 Is. lxiv[5]. 35 Is. xix[1]. 39 Apoc. vi[14]. 42 Apoc. vi[13]. 43 celi *cum* ΩJ ; « de celo » Ω[MS] *Clem.* 44 « inebriatus est » Ω. 46 Deut. xxxii[42]. 50 Abd.[11].

et super populum interfectionis mee ad iudicium. [6] Gladius Domini repletus est sanguine, incrassatus est adipe, de sanguine agnorum et hyrcorum, de sanguine medullatorum arietum ; uictima enim Domini in Bosra, et interfectio magna in terra Edom. [7] Et descendent unicornes cum eis, et tauri cum potentibus ; inebriabitur terra eorum sanguine, et humus eorum adipe pinguium. [8] Quia dies ultionis Domini annus retributionum iudicii Syon. [9] Et conuertentur torrentes eius in picem, et humus eius in sulphur, et erit terra eius in picem ardentem [10] nocte et die ; et non extinguetur in sempiternum, ascendet fumus eius a generatione in generationem. Et desolabitur in secula seculorum, non erit transiens per eam ; [11] et possidebunt illam onocrotalus et ericius, et ibix et coruus habitabunt in ea.

nem, secundo terre destructionem : *Et conuertentur*, tertio ponit utriusque confirmationem, ibi *Respicite diligenter* etc.

Circa primum tria. Primo describit pene equitatem : *Ecce super Ydumeam*, ad opprimendam, *interfectionis mee*, dignum a me interfici, Ier. xlix « Perditionem Esau » etc. Secundo describit interfectionem quantum ad mediocres, ponens interfectorum diuersitatem : *Gladius enim* etc., *agnorum* etc., per que omnia intelliguntur diuersi
105 rb gradus interfectorum, Ez. [1] xxprimo « Hic est gladius occisionis » etc. ; et necis magnitudinem : *uictima*, id est quasi sicut in conuiuio magni regis multa animalia interficiuntur, Ez. xxxix « Ego immolo uobis uictimam » etc. ; et quantum ad maiores, ponens eorum occisionem : *Et descendent* in mortem *unicornes*, animal in quantitate catti, atrocissimum, habens cornu unum, unde significat potentes et monarchas, supra v « Descendent fortes eius » etc. ; et occisionis magnitudinem : *inebriabitur* etc., Ps. « Interfecta est terra in sanguinibus » etc. Tertio ponit pene rationem : *Quia dies, iudicii Syon*, ut scilicet uindicetur Syon de Ydumeis, infra lxiij « Dies ultionis in corde » etc. ; tamen secundum Glosam : *Syon*, id est contra Syon, unde omnia sequentia exponit de destructione Ierusalem facta per Romanos.

§ *Et conuertentur*. Hic ponit comminationem quantum ad terre destructionem. Et circa hoc tria facit : primo predicit destructionem, secundo terre destructe solitudinem : *Et desolabitur* etc., tertio solitudinis horrorem : *Et erit cubile* etc. Circa primum duo ponit : primo destructionem : *conuertentur*, id est ita tota terra comburetur ab hostibus ac si aque essent pix, et terra sulphur, Ps. « Ignis, sulphur et spiritus » etc. Secundo ponit destructionis durationem : *non extinguetur*, id est effectus illius incendii manebit semper, *fumus*, signum et memoria precedentis incendii, Apoc. xix « Fumus eius ascendet » etc. ; et hoc intelligendum est manente causa comminationis, scilicet peccato : sic enim condicionaliter exponende sunt omnes huiusmodi prophetie, secundum quod ipse met Dominus exponit se, Ier. xviij « Repente loquar » etc.

§ *Et desolabitur*. Hic ponit solitudinem, et primo predicit ipsam solitudinem quantum ad habitatores : *desolabitur*, Tren. primo « Posuit me desolatam » etc. ; quantum ad uiatores : *non erit transiens*, Ier. xlix « Non manebit ibi uir » etc. ; quantum ad bestiarum liberam habitationem : *et possidebunt*, quasi sine timore, *onocratulus*, idem quod pellicanus, *ybis*, auis serpentibus inimica : est ybex^{cis} quadrupes, ybis^{dis} auis et inuidus ybis,

61 agnorum] simp<licium> *add.* pA 62 diuersi] -sitas pA 70 cornu] in medio *add.* pA 74 pene *sup. lin.* 76 infra...etc. *in marg.* 78 de *sup. lin.* 80 conuertentur] -tetur A 83 Et desolabitur *sup. lin.*] non erit transiens pA 87 aque] operta(?) pA 88 ignisulphur A 98 Et desolabitur *sup. lin.*] non erit transiens pA 99 solitudinem] solitud *praem.* pA 103 bestiarum] h *add.* pA 104 onocratulus *dub.*] -crotulus *fort.* A 106 ybex^{cis}...ybis^{dis}] *sic* A ; *cf. Praef.* § 52 quadrupes] -plex pA

53 Et *om.* 54 ibi *om.* 55 diligenter etc. *om.* 58 mee dignum] id est digni 59 etc.] adduxi super eum 61 etc....etc.] egenorum 62 que] quem (-F) 64 occisionis etc.] interfectionis magne qui obstupescere eos facit 67 etc. *om.* 69 catti] tactu 71 et monarchas] monarchos 72 etc.] et sublimes eius gloriosique eius ad eum 73 etc. *om.* 74 etc. *om.* Quia *om.* 75 uindicetur] iudicetur 76 lxiij] liij in corde etc. om. 83 etc. *om.* 84 etc. *om.* 87 aque essent] aqua esset 88 et *om.* etc.] procellarum 91 et memoria] in memoriam 92 etc.] in secula seculorum 95 huiusmodi] huius 97 etc.] aduersum gentem et aduersum regnum ut eradicem et destruam et disperdam illud. Si penitentiam egerit gens illa a malo suo quod locutus sum aduersus eam, agam et ego penitentiam super malo quod cogitaui 98 Et *om.* 99 ipsam] rationem uel 101 etc.] tota die merore confectam 102 transiens] transitus etc.] et non incolet eam filius hominis 103 liberam] *post* habitationem F *om. cet.* 104 possidebunt] -bit idem] est *add.* 106 quadrupes] -plex ybis^{dis}] ibis ibicis

53 Vers. 9. 55 Respicite : rectius « Requirite » (vers.16), ut infra lin.128. 58 Ier. xlix^{8}. 61 enim *om.* Ω. 63 Ez. xxi^{14}. 65 quasi... : cf. Hugo « sicut victimae occidi solent in epulis regalibus ». 66 Ez. xxxix^{17}. 71 Is. v^{14}. 73 Ps. cv^{38}. 76 Is. lxiii^{4} « Dies enim... » Ω. 77 *Glossa marg.* ex Haym. (891 D). 83 Vers. 10. 84 Vers. 13. 88 Ps. x^{7}. 91 signum...incendii : cf. *Glossa interlin.* 92 Apoc. xix^{3}. ascendet : « ascendit » Ω. 96 Ier. xviii^{7}. 100 Thren. i^{12}. 102 Ier.xlix^{33}. manebit : « habitabit » Ω et ipse Thomas infra cap.38, 104. 104 idem quod pellicanus : cf. S. Langton (ms. f.203 ra), Hugo, Guerricus (ms. f.83 vb). 105 ybis...inimica : *Glossa marg.* est ybex...ybis : cf. Thomas Cantimpr. *De natura rerum* IV De ibicibus quadrupedibus « Versus. ibex est animal. auis ibis. et inuidus ibis » (ms. Paris B.N. lat. 523 A, f. 46 rb).

Et extendetur super eam mensura ut redigatur ad nichilum, et perpendiculum in desolationem. [12] Nobiles eius non erunt ibi; regem potius inuocabunt, et omnes principes eius erunt in nichilum, [13] et orientur in domibus eius spine et urtice, et paliurus in munitionibus eius. Et erit cubile draconum et pascua structionum, [14] et occurrent demonia, onocentaurus et pilosus clamabit alter ad alterum; ibi cubauit lamia et inuenit sibi requiem, [15] ibi habuit foueam ericius et enutriuit catulos et circumfodit et fouit in umbra eius, illuc congregati sunt milui alter ad alterum. [16] Requirite diligenter in libro Domini et legite : unum ex eis non defuit, alter alterum non quesiuit, quia quod ex ore meo procedit ille mandauit, et spiritus eius ipse congregauit ea. [17] Et ipse misit eis sortem et manus eius diuisit eam illis in mensuram; usque in eternum possidebunt eam, in generatione et generationem habitabunt in ea.

Ps. « Erodii domus » etc. Secundo ponit solitudinis equitatem, et primo equitatis iudicium : *Et extendetur mensura* pene contra mensuram culpe, *perpendiculum*, regula cementarii, supra xxvij « In mensura contra mensuram » etc.; secundo ponit iudicii modum : *Nobiles eius*, in quibus gloriabantur, Soph. iij « Auferam de medio tui » etc., *orientur in domibus*, quas nimis curiosas edificabant, *palliurus*, quedam herba multarum spinarum que palliis adheret, lata habens folia, Osee ix « Desiderabile argenti » etc., ut sic « Quantum glorificauit se » etc., Apoc. xviij.

§ *Et erit cubile*. Hic ostendit horrorem solitudinis ex monstris que ibi habitabant : *demonia*, demonum monstra que in desertis plurimum apparent; *onocentaurus*, quod est medius asinus et medius bos, uel illusio est demonis potius quam naturale animal; *pilosus*, symia uel homo siluestris, uel demon incubus; *lamia*, habens cetera membra feminea, pedes equinos; *alter ad alterum* clamauit, supra xiij « Requiescent ibi bestie » etc.

§ *Requirite*. Hic confirmat omnia que dicta sunt ex actoritate | diuine inspirationis : *Requirite*, uos qui futuri estis, *in libro Domini*, id est in hoc libro quem a Domino didici; *unum ex eis non defuit*, id est omnia monstra que dixi erunt ibi; *alter alterum*, id est mas feminam; *ea*, scilicet monstra, marem et feminam; *sortem*, distribuens singulis loca apta ad manendum, Luce xxj « Celum et terra transibunt ». Vel, si exponatur de Iudea, intelliguntur per hec diuersa monstra diuersi Gentilium errores, qui ibi coloni a Romanis positi sunt. *105 va*

105 ra marg. inf.

Accedit homo ad Deum
per susceptionem gratie, Ro. v « Accessum habemus per ipsum » etc.;
per contemplationem diuine sapientie, Ps. « Accedite ad eum » etc.;
per ministerium obedientie, Ez. xl « Filii Sadoc qui accedunt » etc.;
per expectationem firme fiducie, Eccli. vij « Quasi qui arat et seminat » etc.;
per spiritum concordie, Eph. ij « Habetis accessum in uno spiritu » etc.

118 Apoc. xviij *in marg.* 121 monstra] de *praem.* pA 122 apparent] -ret A 123 illusio] illu° A demonis *sup. lin.* 125 lamia] lamie pA 134 distribuens] dans *praem.* pA 138 errores] -rem pA

107 etc.] dux est eorum petra refugium erinaciis 110 perpendiculum] -culus In *om.* 111 etc. *om.* 113 etc.] magniloquos superbie tue 114 curiosas] ruinosas 115 palliurus] et paliurus 117 argenti] -tum etc.] eorum urtica hereditabit lappa in tabernaculis eorum 118 etc.] et in deliciis fuit tantum haberet tormentum 119 cubile *om.* 123 bos] equus illusio] illud 126 clamauit] -abit 127 etc.] et replebuntur domus eorum demonibus draconibus et habitabunt ibi strutiones 131 quem] ego *add.* 133 alterum] ad alterum id est *om.*(-F) 136 transibunt] uerba autem mea non preteribunt *add.* 138 coloni] colens 140-145 *Ante* Ecce super (*lin.* 48) *inserta* 140 Accedit homo] Nota super illo uerbo accedite quod homo accedit 141 per] primo per etc.] ad deum 142 per] secundo per eum etc.] deum et illuminamini 143 per] tertio per etc.] ad altare 144 per...seminat etc. (*integram lineam* A) *om.* α 145 per] quarto per Habetis *om.* etc.] *spat. vac.* Bo *om. cet.*

107 Ps. CIII[17]. 110 Is. XXVII[8]. 113 Soph. III[11]. 116 Os. IX[6]. 117 argenti *cum* ΩJ : « argentum » Ω[MS] *Clem.* 118 Apoc. XVIII[7]. 124 symia...incubus : *Glossa interlin.* et Haymo (893 C). 125 lamia...equinos : *Glossa interlin.* et Haymo ibidem. 127 Is. XIII[21]. 135 Luc. XXI[33]. 136 Vel... : *Glossa marg.* ex Hier. (373 B; 422). 140 Accedit... : cf. vers. 1. 141 Rom. V[2] « per quem(et *add.* Ω[M]) accessum habemus » Ω[JS]. 142 Ps. XXXIII[6]. 143 Ez. XL[46]. 144 Rectius Eccli. VI[19] « quasi is qui... » Ω. 145 Eph. II[18]. 145 Habetis accessum : « habemus accessum ambo » Ω.

CAPITVLVM XXXV

[1] Letabitur deserta et inuia, et exultabit solitudo et florebit quasi lilium. [2] Germinans germinabit et exultabit letabunda et laudans. Gloria Libani data est ei, decor Carmeli et Saron. Ipsi uidebunt gloriam Domini et decorem Dei nostri. [3] Confortate manus dissolutas et genua debilia roborate. [4] Dicite : pusillanimes confortamini et nolite timere. Ecce Deus uester ultionem adducet retributionis, Deus ipse ueniet et saluabit uos. [5] Tunc aperientur oculi cecorum et aures surdorum patebunt ; [6] tunc saliet sicut ceruus claudus et aperta erit lingua mutorum. Quia scisse sunt in deserto aque et torrentes in solitudine [7] et que erat arida in stagnum et sitiens in fontes aquarum. In cubilibus in quibus dracones prius habitabant orietur uiror calami et iunci.

§ *Letabitur deserta* etc. In parte ista ponit effectum prosperitatis consequentis in Iudeis ex destructione hostium. Et diuiditur in duas : in prima ponitur promissio consolans, in secunda exhortatio confortans : *Confortate manus* etc.

Circa primum tria. Primo <ponit> hominum iocunditatem, quam comparat prato florenti, quod etiam ridens dicitur, quod quidem habet pulcritudinem in flore : unde dicit *deserta*, id est terra Iudeorum que prius uastantibus Assiriis erat huiusmodi, metonomice id est ipsi homines, *quasi lilium*, quod est pulcerrimus flos et diu durat, Eccli. xxxix « Florete flores » etc. ; habet etiam pulcritudinem in germine unde dicit *germinans* etc., Prou xj « Iusti quasi uirens » etc., sicut enim germen ex flore, ita exterior iocunditas ex cordis letitia. Secundo promittit terre fertilitatem : *Gloria Libani* etc., id est fertilitas diuersarum rerum, que est gloria horum locorum, erit in terra promissionis, Osee ult. « Erit quasi oliua » etc. Tertio, utriusque propinquitatem : *Ips*imet, <id est> non differetur ad tempora filiorum, supra xxxiij « Regem in decore suo » etc.

§ *Confortate*. Hic ponitur exhortatio confortans, et circa hoc tria. Et primo ponitur officii ad exhortandum iniunctio : *Confortate manus*, in quo debilitas ad operandum, *genua trementia*, in quo debilitas ad sustinendum, Hebr. xij « Remissas manus » etc. Secundo ponitur ipsa confortatio : *Dicite pusillanimes* etc., Luce xij « Nolite timere, pusillus » etc. Tertio assignatur confortationis ratio, et primo quantum ad remotionem malorum, liberando ab hostibus : *Ecce Deus uester*, Deut. xxxij « Sanguinem seruorum » etc. ; et sanando a langoribus : *Tunc aperientur*. Et sunt metaphorice loqutiones, si referantur ad tempus post destructionem Assiriorum, ut intelligantur spirituales defectus ut supra ; uel ad litteram, si referantur ad Christi aduentum in carnem, sicut dicitur <M^{t}> xj « Ceci uident » etc. Secundo, quantum ad collationem bonorum, quatuor.

Primo, quantum ad habundantiam aquarum : *Quia scisse sunt*, metaphorice aque pro consolationibus ; uel quia multum pluet ut sit magna fertilitas, Ps. « Posuit desertum in stagna » etc. Secundo, pulcritudinem camporum : *In cubilibus*, id est terra que prius erat deserta, ut hec animalia inhabitarent, erit culta ; *uiror calami et iunci*, que

5 exhortatio] conforta *praem.* pA 6 < ponit > *suppl. cum* α 8 dicitur] dr A quod] qui pA 9 deserta] leta<re> *praem.* pA 11 metonomice] metomice pA 22 Ipsimet] *licet etiam legere* ipsi id est et < id est > *suppl.* 30 pusillanimes] pus. A 32 ratio] ecce deus uester etc. *add.* pA 33 liberando ab *sup. lin.*] ulciscendo de pA 34 et] et quantum ad *praem.* pA 40 < M^{t}. > *suppl.* 47 id est] in *praem.* pA

1 etc. *om.* 3 duas] partes *add.*(-π) 5 etc. *om.* 7 quod...dicitur *hom. om.* 9 flore] floribus 10 prius] post erat] erant(-π) 11 huiusmodi] huius 13 etc.] quasi lilium 15 etc.[1] *om.* Iusti...etc.] iustus germinabit sicut lilium 18 etc. *om.* 21 etc.] gloria eius et odor eius est libani 22 Ipsimet] ipsi id est et (*cf.* A) 23 etc.] uidebunt 24 Confortate] manus *add.* 25 tria] facit *add.* 25 ad *om.* α(-F) 26 exhortandum] -ndi 29 etc.] et soluta genua erigite 30 etc. *om.* 31 etc.] grex 33 uester *om.* 34 Deut. ...etc. *om.* α(-F) 36 referantur] -ratur 39 referantur] -ratur in carnem *om.* 40 dicitur *om.*(-F) < M^{t}. >] Io. etc.] claudi ambulant 41 quatuor] quadrupliciter 43 metaphorice aque] metaphora que 45 etc.] aquarum 48 et iunci *om.*

12 pulcerrimus...durat : cf. Hugo, ex Andrea de S. Victore (ms. f. 87 rb). 13 Eccli. xxxix[19]. 15 Prov. xi[28]. Iusti : « autem » *add.* Ω. 17 fertilitas... : cf. *Glossa interlin.* super ' decor '. 20 Os. xiv[7]. 23 Is. xxxiii[17]. 27 trementia (cf. Iob iv[4]) : sic *I-II* q.44 a.3 ad 3 ; « debilia » Ω et Thomas *De corr. fraterna* a.1 corp. 28 Hebr. xii[12]. 30 Luc. xii[32]. 34 Deut. xxxii[43]. 38 supra : lin. 27-28. 38 uel ad litteram... : *Glossa interlin.*, cf. Hugo. 40 Matth. xi[5]. 45 Ps. cvi[35].

[8] Et erit ibi semita et uia, et uia sancta uocabitur; non transibit per eam pollutus. Et hec erit nobis directa uia ita ut stulti non errent per eam. [9] Non erit ibi leo, et mala bestia non ascendet per eam nec inuenietur ibi; et ambulabunt qui liberati fuerint, [10] et redempti a Domino conuertentur et uenient in Syon cum laude. Et letitia sempiterna super caput eorum, gaudium et letitiam obtinebunt, et fugiet dolor et gemitus.

in locis uirentibus orientur, Iob xl « Sub umbra dormit » etc. Tertio, quantum ad restaurationem uiarum, ponens uie sanctitatem : *Et erit ibi*, in terra Iuda, *semita* ducens ad templum; *pollutus*, gentilis sicut ante, uel mystice de ecclesia militante uel triumphante, Apoc. xxprimo « Non ingredietur in eam » etc. Ponit etiam rectitudinem : *Et hec erit*; *stulti*, id est quantumcumque simplices, *non errent*, propter multitudinem transeuntium, Ier. xxxj | « Adducam eos per torrentes » etc.; ponit etiam uie securitatem : *Non erit ibi* etc., supra xj « Non nocebunt et non occident » etc.; et ponit uiarum frequentationem : *et redempti* etc., a precedentibus periculis, Baruc v « Ecce ueniunt filii tui » etc. Quarto promittit eis letitiam cordium : *letitia sempiterna*, supra xxv « Auferet lacrimam » etc.; ostenditur etiam condicio letitie sanctorum in patria, quia *sempiterna*, quia plena : *obtinebunt*, quia pura : *fugiet dolor*, Apoc. xx « Absterget Deus omnem lacrimam » etc.

105 vb

105 v marg. inf.

Sancti comparantur liliis
propter stipitis altitudinem, ex quo constantia in aduersis, Cant. ij « Sicut lilium inter spinas » etc.;
propter odoris suauitatem, ex quo bona fama, Eccli. xxxix « Florete flores quasi lilium » etc.;
propter humoris uirorem, ex quo uirtus mentis, Eccli. l « Quasi lilia in transitu aque »;
propter connexionem, ex quo sanctorum caritas, Cant. vij « Venter tuus quasi » etc.

Hec lilia Christus
uestit quantum ad uirtutum dona, Mt. vj « Considerate lilia agri » etc.;
colligit ad eterna premia, Cant. vj « Dilectus meus descendit in ortum » etc.;
in eis requiescit per complacentiam, Cant. ij « Dilectus meus michi » etc.;
et ideo ipse lilium, Cant. ij « Ego flos campi » etc.

52 Iuda] uda A 57 non...transeuntium *infra lin.* errent] errabunt(*corr. ex* errabit) pA 58 Ier.] x *praem.* pA 61 frequetationem A 62 a precedentibus periculis *sup. lin.*(*ante* etc.) 73 ex] in pA 75 quantum...dona *sup. lin.*] uirtutibus pA 77 in] r (*vel* et ?) *praem.* A.

49 orientur] -untur 50 etc.] in secreto calami 51 ibi] semita *add.* 55 etc.] pollutus et immundus 57 errent] errabunt (-bant π) (*cf.* A) 58 etc.] de terra aquilonis et congregabo eos ab extremis terre (Ier. xxxi[8]) 59 Non] nec etc.] leo 60 etc.] in uniuerso sancto monte meo 61 etc. *om.* 62 Ecce] enim *add.* 63 etc.] quos dimisisti dispersos 65 etc.] tuam condicio letitie] communiter letitia 67 dolor] et(*om.* Bo) dolor et gemitus 68 etc.] ab oculis sanctorum 69-78 *Cf. Praef.* p. 63* (App. 1) 69 Sancti] Nota super illo uerbo florebit quasi lilium quod sancti 70 propter] primo *praem.* Cant. ij] cant. i. etc.] sic amica mea inter filias 71 propter] secundo *praem.* etc.] date odorem et frondete in gratiam 72 propter] tertio *praem.* Eccli. l] eccli. v 73 propter] quarto *praem.* quasi etc.] sicut aceruus tritici uallatus liliis 74 Hec] Item nota quod *praem.* 75 dona] initia etc.] quantum (quia F) non texunt neque nent et pater uester uestit illa 76 colligit] secundo *praem.* etc.] suum ad areolam aromatum ut ibi pascatur in ortis et lilia colligat 77 in] tertio in etc.] et ego illi qui pascitur inter lilia 78 et ideo ipse] quia ipse est etc.] et lilium conuallium

49 Iob xl[16]. 54 Apoc. xxi[27]. ingredietur : « intrabit » Ω. 58 Ier. xxxi[9]. 60 Is. xi[9]. 62 Rectius Bar. iv[37] : « Ecce enim... » Ω. 64 Is. xxv[8]. Auferet : « Auferet dominus deus » Ω. 67 Rectius Apoc. xxi[4]. 69 liliis : cf. vers. 1 et lin. 12. 70 Cant. ii[2]. 71 Eccli. xxxix[19]. 72 Eccli. l[8]. lilia : « lilia que sunt » Ω. 73 Cant. vii[3]. quasi : « sicut » Ω. 75 Matth. vi[28]. 76 Cant. vi[1]. 77 Cant. ii[16]. 78 Cant. ii[1].

CAPITVLVM XXXVI

[1] Et factum est in quarto decimo anno regis Ezechie, ascendit Sennacherib rex Assyriorum super omnes ciuitates Iuda munitas et cepit eas. [2] Et misit rex Assyriorum Rabsacen de Lachis in Ierusalem ad regem Ezechiam in manu graui, et stetit in aqueductu piscine superioris in uia agri fullonis. [3] Et egressus est ad eum Eliachim filius Helchie qui erat super domum, et Sobna scriba et Ioae filius Asaph a commentariis. [4] Et dixit ad eos Rabsaces : Dicite Ezechie : Hec dicit rex magnus, rex Assyriorum : Que est ista fiducia qua confidis? [5] Aut quo consilio et fortitudine rebellare disponis? Super quem habes fiduciam, quia recessisti a me? [6] Ecce confidis super baculum harundineum confractum istum super Egyptum, cui si innixus fuerit homo intrabit in manum eius et perforabit eam; sic Pharao rex Egypti omnibus qui confidunt in eo. [7] Quod si responderis michi : In Domino Deo nostro confidimus; nonne ipse est cuius abstulit Ezechias excelsa et altaria, et dixit Iude et Ierusalem : Coram altari isto adorabitis? [8] Et nunc trade te domino meo regi Assyriorum, et dabo tibi duo milia equorum, nec poteris ex te prebere ascensores eorum.

§ *Et factum est in anno* etc. Hic narrat per modum hystorie destructionem Assiriorum. Et primo ponit hystorie gesta, secundo quedam ex hystoria occasionata, xxx°viij° cap. *In diebus illis* etc. Prima diuiditur in duas : primo ponitur culpa quam in Iudeos commisit, secundo pena quam a Deo sustinuit, ibi *Egressus autem* etc. Offendit autem eos tripliciter : primo bellis, secundo nuntiis : *Et misit rex* etc., tertio epistolis, ibi *Et audiuit de Therancha* etc. *Super omnes* etc., Abacuc primo « Super omnem munitionem » etc.

§ *Et misit*. Hic ostendit qualiter offendit Iudeos comminando per nuntios. Et primo ponitur nuntiorum congregatio, secundo ipsorum colloqutio : *Et dixit ad eos* etc., tertio eorum ab inuicem discessio : *Et ingressus est* etc. Circa primum duo. Primo describitur nuntius Assiriorum : *Rabsacen*, quem dicunt fuisse filium Ysaie, alii Samaritanum; *in aqueductu*, de hoc supra vij. Secundo describuntur nuntii Iudeorum : *Et egressus Elyachim*, qui successit Sobne qui tradidit inferiorem partem ciuitatis Assiriis, ut supra xxij; *Sobna*, non ille de quo supra; *a commentariis*, cancellarius regis, qui gesta in scriptum redigebat ad memorandum regi — unde commentor a comminiscor —.

§ *Et dixit ad eos*. Hic ponitur nuntiorum colloqutio. Et circa hoc duo : primo proloqutio Rapsacis ad nuntios, secundo ad alios, ibi *Et stetit Rapsaces* etc. Circa primum tria. Primo ponitur ipsius Rapsacis alloqutio, in qua intendit astruere Ezechie infirmitatem ad resistendum, excludendo defensionem Egiptiorum : *Ecce confidis*; *arundineum*, irrisorie, quia in Egipto multe arundines; uerum dicit quod Egiptii tales erant, Ez. xxix « Fuisti baculus arundineus » etc., sed falsum quod Ezechias in eis confiderat; excludendo etiam auxilium diuinum : *Quod si responderis*; *cui abstulit*, quod fecit pro religione peruertit in sacrilegium, Deut. xij « Caue ne offeras » etc.; excludendo etiam robur proprium : *Et nunc trade te*, quasi : nec equos habes nec equites ut uni principi exercitus resistere possis, supra xxxiij

5 duas] duos pA primo] in(*sup. lin.*) prima pA 14 congregatio] colloq(*corr. ex* c)utio pA 15 ab] ad pA 25 comminiscor] etc. *add.* pA 28 alios] popular<es> *praem.* pA 29 Rapsaces etc. *in marg.* 30 intendit] ostendit a pA 34 xxix] xxxix pA 41 habes] -bet pA

1 in anno etc. *om.* per] in 4 xxxviij cap.] cap. 38 illis etc. *om.* 5 diuiditur *om.* 6 pena] penam(-F) 7 autem etc. *om.* 9 etc. *om.* ibi...etc.] mandauit 10 etc.[2] *om.* 11 etc.] *spat. vac.* Bo *om. cet.* 15 ad eos etc. *om.* eorum] illorum(-F) ab] ad 16 est etc. *om.* duo] facit *add.* 21 Sopne(-no π) 22 Sopna 26 ad eos *om.* 27 primo] ponitur *add.* 28 ibi *om.* 29 Rapsaces etc. *om.* 32 Ecce *om.* 33 irrisorie] derisorie arundines] sunt *add.* 34 quod] quia(-F) 35 etc.] domui Israel 35 falsum] erat *add.*(-F) 36 in eis confiderat] confideret in eis 37 responderis] -nderit(-ndit F) 39 etc.] holocausta tua in omni loco quem uideris 41 te *om.* quasi] dicat *add.* nec[2] ut 42 principi] -ipum

1 Hic narrat... : cf. cap. 32, 4. 7 Egressus... : cap. xxxvii[26]. 10 Et audiuit... : cap. xxxvii[9]. Super... : vers. 1. 11 Hab. i[10]. 16 Et ingressus... : vers. 22. 18 dicunt... : cf. *Glossa interlin.* ex Hier. (380 B; 431). 19 cap. vii[2], lin. 84-88. 22 lin. 17. 23 supra : xxii[15]. 23 cancellarius... : cf. *Glossa interlin.* et Hugo. 28 Vers. 13. 34 Ez. xxix[6]. 37 cui : « cuius » Ω. 38 quod fecit... : cf. *Glossa interlin.* et Hugo. 39 Deut. xii[13]. 42 Is. xxxiii[8].

9 Et quomodo sustinebis faciem iudicis unius loci ex seruis domini mei minoribus? Quod si confidis in Egypto et in quadriga et in equitibus, 10 et nunc nunquid sine Domino ascendi ad terram istam ut disperderem eam? Dominus dixit ad me : Ascende super terram istam et disperde eam. 11 Et dixit Eliachim et Sobna et Ioae ad Rabsacem : Loquere ad seruos tuos syra lingua, intelligimus enim ; ne loquaris ad nos iudaice in auribus populi qui est super murum. 12 Et dixit ad eos Rabsaces : Nunquid ad dominum tuum et ad te misit me dominus meus ut loquerer omnia uerba ista, et non potius ad uiros qui sedent in muro ut comedant stercora sua et bibant urinam pedum suorum uobiscum? 13 Et stetit Rabsaces et clamauit uoce magna iudaice et dixit : Audite uerba regis magni, regis Assyriorum. 14 Hec dixit rex : Non seducat uos Ezechias quia non poterit eruere uos, 15 et non uobis tribuat fiduciam Ezechias super Domino dicens : Eruens liberabit nos Dominus, non dabitur ciuitas ista in manu regis Assyriorum. 16 Nolite audire Ezechiam. Hec enim dicit rex Assyriorum : Facite mecum benedictionem et egredimini ad me et comedite unusquisque uineam suam et unusquisque ficum suam et bibite unusquisque aquam cisterne sue, 17 donec ueniam et tollam uos ad terram que est ut terra uestra terram frumenti et uini, terram panum et uinearum. 18 Nec conturbet uos Ezechias dicens : Dominus liberabit nos. Nunquid liberauerunt dii gentium unusquisque terram suam de manu regis Assyriorum? 19 Vbi est deus Emath et Arfad? Vbi est deus Sefaruaim? Nunquid liberauerunt Samariam de manu mea? 20 Quis est ex omnibus diis terrarum istarum qui eruerit terram suam de manu mea, ut eruat Dominus Ierusalem de manu mea? 21 Et siluerunt et non responderunt ei uerbum ; mandauerat enim eis rex dicens : Ne respondeatis ei. 22 Et ingressus est Eliachim filius Elchie, qui erat super domum, et Sobna scriba et Ioae filius Asaph a commentariis ad Ezechiam scissis uestibus et nuntiauerunt ei uerba Rabsacis.

« Proiecit ciuitates » etc. Astruit etiam Sennacherib potestatem ad impugnandum ex precepto diuino : *Quia si confidis* etc., supra x « Contra populum furoris mei » etc. Secundo ponitur aliorum responsio : *Et dixit Elyachim. In aure populi*, ne perturbetur, scientes quod dicitur Prou. xj « Benedictione iustorum » etc. Tertio ponitur responsionis irrisio : *Et dixit ad eos* ; *urinam pedum*, que fluit ad pedes, Tren. iiij « Qui nutriebantur » etc.

§ *Et stetit Rapsaces* etc. Hic ponitur alloqutio ipsius ad populum. | Et primo ponitur stultum ipsius uerbum in quo terret minis : *non poterit eruere uos* etc., Iudit v « Quis est iste qui filios Israel » etc. ; allicit promissis : *Hec dicit rex; benedictionem*, id est pactum quod uertetur in uestram benedictionem, uel : Benedicite me sicut dominum uestrum ; *ueniam* de Egipto *ad terram*, scilicet Medorum, Gen. xxvij « Det tibi Deus de rore celi » etc. ; prouocat etiam exemplis : *Ne conturbet uos* etc., Dan. xj « Eleuabitur et magnificabitur » etc. Secundo ponit discretiui populi silentium : *Et siluerunt*, Prou. xj « Qui decipit amicum suum » etc., Prou. xxvj « Ne respondeas stulto » etc. *Preceperat*, ne uerba blasphemie multiplicaret aut populum deciperet.

§ *Et ingressus* etc. Hic ponitur discessio nuntiorum ab inuicem. Et primo reditus Iudeorum ad Ezechiam, secundo reditus Rabsacis ad Sennacherib, ibi *Reuersus est autem* etc. Circa primum duo : primo ponitur reditus nuntiorum et blasphemie renuntiatio, secundo ponitur Ezechie oratio : *Et factum est cum audisset* etc., *scissis uestibus* pro audita blasphemia, quod erat mos Iudeorum, ut patet M^{t}. xxvj.

106 ra

43 Astruit] astrut(?) pA 49 Tertio] tert *praem.* pA 55 minis *sup. lin.*] comminationibus pA 56 est iste] ciste A 73 nutiorum A 73 blaspheme A 75 Et] et ingressus est pA

43 etc.] *spat. vac.* Bo *om. cet.* Astruit] offert 44 impugnandum] pugnandum(-F) 45 si *om.* etc. *om.* supra...etc. *om.* α(-F) 45 contra *om.* F 47 aure] auribus 49 etc.] exaltabitur ciuitas et ore impiorum subuertetur 51 pedum *om.* 52 nutriebantur] -bant 52 etc.] uoluptuose amplexati sunt stercora 53 etc. *om.* 54 ponitur] ponit 56 eruere uos etc. *om.* 57 etc.] *om.* F dicat resistere posse Nabuchodonosor *cet.* 57 allicit] secundo *praem.* α(-F) 60 ueniam] ueniamque(-F) 62 etc.] et de pinguedine terre habundantiam frumenti uini et olei 62 etiam *om.* 63 etc. *om.* 64 etc. *om.* ponit discretiui] ponitur despecti 65 Prou...etc. *hom.om.* 67 etc.] iuxta stultitiam suam ne sibi similis uidearis 69 Et...etc.] et egressus 72 ibi *om.* etc. *om.* 75 etc. *om.* scissis uestibus] scidit uestimenta(sua *add.* π) 77 M^{t} *om.* α(-F)

45 Quia : « Quod » Ω *Vulg.* Is. x^{9}. 47 aure : « auribus » Ω. 49 Prov. xi^{11}. 51 Thren. iv^{5}. 56 Iudith v^{27}. 57 Hec : « hec enim » Ω. 61 Gen. xxvii^{28}. 63 Dan. xi^{26}. 65 Prov. xi^{12}. decipit : « despicit » Ω. 66 Prov. xxvi^{4} ; idem habent Haymo (898 D) et Hugo. 67 Preceperat : « mandauerat » Ω. 72 Reuersus... : cap. xxxvii^{8}. 75 Cap. xxxvii^{1}. 77 Matth. xxvi^{65}.

CAPITVLVM XXXVII

[1] Et factum est cum audisset rex Ezechias scidit uestimenta sua et obuolutus est sacco et intrauit in domum Domini. [2] Et misit Eliachim qui erat super domum, et Sobnam scribam et seniores de sacerdotibus opertos saccis ad Ysaiam filium Amos prophete. [3] Et dixerunt ad eum : Hec dicit Ezechias : Dies tribulationis et angustie et correctionis et blasphemie dies hec, quia uenerunt filii usque ad partum, et uirtus non est pariendi. [4] Si quo modo audiat Dominus Deus tuus uerba Rapsacis, quem misit rex Assyriorum dominus suus ad blasphemandum Deum uiuentem et exprobrandum sermonibus quos audiuit Dominus Deus tuus ; leua igitur orationem pro reliquiis que reperte sunt. [5] Et uenerunt serui regis Ezechie ad Ysaiam. [6] Et dixit ad eos Ysaias : Hec dicetis domino uestro : Hec dicit Dominus : Ne timeas a facie uerborum que audisti, quibus blasphemauerunt pueri regis Assyriorum me. [7] Ecce ego dabo ei spiritum, et audiet nuntium et reuertetur ad terram suam et corruere eum faciam gladio in terra sua. [8] Reuersus est autem Rapsaces et inuenit regem Assyriorum preliantem aduersus Lobnam ; audierat enim quod profectus esset de Lachis. [9] Et audiuit de Tharacha rege Ethiopie dicentes : Egressus est ut pugnet contra te. Quod cum audisset misit nuntios ad Ezechiam dicens : [10] Hec dicetis Ezechie regi Iude loquentes : Non te decipiat Deus tuus in quo tu confidis dicens : Non dabitur Ierusalem in manu regis Assyriorum.

§ *Et factum est cum audisset* etc. In parte ista ostendit quomodo Ezechias contra blasphemias humilitate et orationibus pugnauit, et circa hoc tria facit. Primo recitat quomodo adiit orationis locum, assumens humilitatis habitum : *obuolutus est* etc. ; Ione iij « Surrexit de solio suo » etc. Secundo, non presumens per se orationem Deo effundere, petit orationis suffragium per nuntios a propheta, ubi recitat nuntiorum missionem : *Et misit Elyachim* etc., supra viij « Numquid non populus a Deo suo » etc. Exponunt nuntii tribulationem — et debet sic legi *Et uenerunt* etc., *Et dixerunt ad eum* — : *Dies tribulationis*, quam patimur in exterioribus persequtionibus, *angustie*, quantum ad cordis dolores, *correctionis* diuine, *blasphemie* hostium ; *uenerunt filii*, id est conceptiones consiliorum ; *pariendi*, explendi ; uel : ita dolemus sicut parturientes, Soph. primo « Dies ire dies ista » etc. ; porrigunt petitionem — ut sic ordinetur *Leua ergo orationem* etc., *Si quo modo* etc. —, Ier. xlij « Ora pro nobis ad Dominum Deum » etc. Tertio ponit prophete responsum : *Et dixit ad eos* ; in quo excludit regis timorem : *Ne timeas*, Ier. primo « Ne timeas a facie » etc., et predicit regis Sennacherib mortem : *Ecce ego* etc., Apoc. xiij « Qui in gladio occiderit, in gladio » etc.

§ *Reuersus est* etc. Hic ponit reditum Rapsacis ad Sennacherib. Et planum est.

§ *Et audiuit de Terancha*. Hic recitat quomodo offendit eos comminando per epistolas ; et circa hoc tria facit. Primo ponit superbam illius comminationem : *Et audiuit de Terancha*, qui egressus in auxilium Egiptiorum ; [1] *Quod cum audisset*, occurrit *106 rb* ei obuiam dimittens Iudeam, et antequam recederet scripsit uerba hec. Postmodum uadens et obsidens Pelusium in Egipto, ueniente rege Ethiopie, noluit cum eo pugnare, dicens eum

2 contra *sup. lin.* 10 supra] exponunt tribulationem *praem.* pA 24 timeas] a facie. id est presentia *add.* pA 28 reditum] sennach. ad ra<psacen> *add.* pA 34 Egiptiorum] dum eis obuiam(? ; *sub macula*) *add.* pA 35 recederet] -dere A

1 cum...etc. *om.* 4 adiit *om.* α(-F) 6 etc.[1] sacco Ione] Ier. suo etc. *om.* 10 etc. *om.* 11 etc.] requiret uisionem 12 etc. *om.* 13 ad eum *om.* 14 persequtionibus] tribulationibus angustie] et *praem.* α(-F) 15 dolores] -rem 19 etc.] dies tribulationis et angustie 20 orationem etc. *om.* 21 etc. *om.* ora pro nobis] oro pro uobis 22 etc. *om.* 24 etc.] eorum quia ego tecum sum 26 etc. *om.* 27 etc.] peribit 28 etc. *om.* 30 de Terancha *om.* 34 Egiptiorum] obseruauit exitum *add.* 36 uerba hec] Et babiloniam 37 Pelusium] pollissium pBo plutonem pollisium Fr(*al. m.* Bo)

6 Ion. III[6]. 10 Is. VIII[18]. 12 Et uenerunt : vers 5. 13 Et dixerunt : vers. 3. 17 explendi : *Glossa interlin.* 18 Soph. I[18] « Dies illa dies ire » ΩJ[S], « Dies ire dies illa » Ω[M]. 21 Ier. XLII[8]. 24 Ier. I[8]. 26 Apoc. XIII[10] « Qui in gladio occiderit oportet eum gladio occidi » Ω. 30 Terancha : « Tharaca » Ω. 37-41 obsidens...dimiserunt : cf. Petrus Comestor *Hist. schol.* IV Reg. c.27 (PL 198, 1409 B) et Hugo de S.Charo *Postilla* super IV Reg. XVIII[22].

11 Ecce tu audisti que fecerunt omnes reges Assyriorum omnibus terris quas subuerterunt; et tu poteris liberari? 12 Nunquid eruerunt eos dii gentium quos subuerterunt patres mei, Gozan et Aran et Reseph et filios Eden qui erant in Thalasar? 13 Vbi est Emath et rex Arphath et rex urbis Sepharuaim et Ana et Aua? 14 Et tulit Ezechias libros de manu nuntiorum et legit eos; et ascendit in domum Domini et expandit eos coram Domino, 15 et ad Dominum orauit dicens : 16 Domine exercituum Deus Israel qui sedes super cherubin, tu es Deus solus omnium regnorum terre, tu fecisti celum et terram. 17 Inclina Domine aurem tuam et audi, aperi oculos tuos et uide, et audi omnia uerba Sennacherib que misit ad blasphemandum Deum uiuentem. 18 Vere enim Domine desertas fecerunt reges Assyriorum terras et regiones earum, 19 et dederunt deos earum igni; non enim erant dii set opera manuum hominum, lignum et lapis, et comminuerunt eos. 20 Et nunc Domine Deus noster salua nos de manu eius, et cognoscant omnia regna terre quia tu es Dominus solus. 21 Et misit Ysaias filius Amos ad Ezechiam dicens : Hec dicit Dominus Deus Israel pro quibus rogasti me de Sennacherib rege Assyriorum,

esse sacerdotem Plutonis, derisorie propter nigredinem; uel quia mures cordas arcuum corrodentes exercitum eius inermem dimiserunt, supra x « Quomodo inuenit manus » etc.

Secundo ponit Ezechie orationem, premittens receptionem epistole. In qua oratione confitetur Dei potentiam per subiectionem angelorum : *Domine Deus exercituum*, Iob xxv « Numquid est numerus » etc.; per cultum Iudeorum : *Deus Israel, qui sedes super Cherubim*, quia propitiatorium, quod erat quasi sedes Dei et etiam dabat responsa, erat super alas Cherubim, Ps. « Qui sedes super Cherubim » etc.

Sed cum tabernaculum sit dispositum secundum exemplar celestis ecclesie, ut sumitur Exo. xxv, uidetur quod male dicatur sedere super Cherubim, sed magis super Tronos. — Et ad hoc dicendum quod sedet super Cherubim, id est trans, quia super Seraphim qui sunt ultra eos. Vel secundum Gregorium et Dionysium, nichil possidetur ibi singulariter, sed quod est inferiorum attribuitur etiam superioribus eminenter : unde proprietatem Tronorum etiam eminentius habent Cherubim. Vel dicendum quod sedet super Tronos sicut super sedem iudicii, super Cherubim sicut supra cathedram magistri, quia interpretantur fusio scientie : et ideo congrue inde dicebatur dare responsa.

Etiam ostendit Dei potentiam per dispositionem regnorum : *tu es Deus solus* etc., Dan. v « Donec cognosceret quod potestatem habet » etc.; probat etiam per productionem creaturarum : *tu fecisti* etc., Ps. « Qui fecit celum » etc.; accusat etiam Sennacherib blasphemiam : *Inclina Domine* etc., Iudit vj « Domine Deus celi » etc.; probans cum hoc blaphemie stultitiam : *Vere enim Domine* etc., Ps. « Simulacra gentium » etc. Petit etiam tertio in hac oratione salutis misericordiam : *Et nunc Domine* etc., Iudit x « Omnes gentes cognoscant » etc.

Tertio propheta promittit orationis exauditionem per nuntios : *Et misit Ysaias* etc.; et circa hoc duo facit : primo promittit hostium destructionem, secundo ciuitatis liberationem : *Propterea hec dicit* etc. Circa primum tria : primo comminatur ei destructionis interitum, secundo ponit signum : *Tibi autem hoc erit* etc., tertio ostendit destructionis fructum : *Et emittet id quod saluatum* etc.

40 corrodentes] eu<m> *add.* pA 41 inernem] -miem A 43 premittens] -ttes A 44 oratione] -onem A confitetur] in qua *praem.* pA 45 subiectionem] cultum *praem.* pA 48 Cherubim] sed cum diuina *add.* pA 67 per] pro pA dispositionem] productionem creaturarum *praem.* pA 73 probans] -bat pA 81 primo] com *praem.* pA

41 exercitum] per *praem.* inermem] munem illi F immunem *cet.* 42 etc.] mea regna ydoli 43 premittens] preuidens(-F) 47 etc.] militum eius 51 etc.] *om.* π manifestare coram ephraim beniamin et manasse *cet.* 53 ecclesie] turme π curie *cet.* 55 ad hoc *om.* 56 id est trans] et tronos 61 etiam *om.* 63 supra] super 64 interpretantur] -atur 65 ideo *om.* α(-F) dare] dari 68 etc. *om.* 68 Dan.v] Dan.6 69 cognosceret quod] cognoscatur qui etc.] super omnia regna 70 etc. *om.* 71 etc.] et terram mare et omnia que in eis sunt 72 etc. *om.* 73 etc.] intuere superbiam eorum et respice ad nostram humilitatem 74 etc. *om.* 75 etc.] argentum et aurum opera manuum hominum 77 etc. *om.* 78 etc. *om.* 80 etc. *om.* 83 etc. *om.* comminatur ei] comminationem et primo 85 etc. *om.* 86 emittet id] erit etc. *om.*

41 Is. x[20]. 46 Deus *om.* Ω. Iob xxv[2]. 50 Ps. lxxix[2]. 53 Vers. 9 sqq. 58 Gregor. *In Evang.* II hom. 34 n. 14 (PL 76, 1255 B-C). 58 Dionysius *De cael. hier.* cap. 11 § 2 (PG 3, 285 A; Dion. 932). 64 fusio scientie : cf. Dion. *De cael. hier.* cap. 7 § 1 (PG 3, 205 B; Dion. 836). 68 Dan. v[23]. 69 habet : « haberet » ΩJ *Clem.*, « habeat » Ω[MS]. 71 Ps. cxlv[6]. 73 Iudith vi[15]. 75 Ps. cxiii[4 bis] vel cxxxiv[15]. 77 Rectius Iudith ix[19]. cognoscant : « agnoscant » Ω. 82 Vers. 33. 85 Vers. 30. 86 Vers. 31.

[22] hoc est uerbum quod locutus est Dominus super eum : Despexit te, subsannauit te, uirgo filia Syon ; post te caput mouit uirgo filia Ierusalem. [23] Cui exprobrasti? et quem blasphemasti? et super quem exaltasti uocem tuam et leuasti altitudinem oculorum tuorum? Ad Sanctum Israel. [24] In manu seruorum tuorum exprobrasti Domino, et dixisti : In multitudine quadrigarum mearum ego ascendi altitudines montium, iuga Libani ; et succidam excelsa cedrorum eius et electas abietes illius ; et introibo altitudinem summitatis eius, saltum Carmeli eius. [25] Ego fodi et bibi aquam et siccaui uestigio pedis mei omnes riuos aggerum. [26] Nunquid non audisti que olim fecerim ei? Ex diebus antiquis ego plasmaui illud, et nunc adduxi ; et factum est in eradicationem collium compugnantium et ciuitatum munitarum. [27] Habitatores earum breuiata manu contremuerunt et confusi sunt ; facta sunt sicut fenum agri et gramen pascue et herba tectorum que exaruit antequam maturesceret. [28] Habitationem tuam et egressum tuum et introitum tuum ego cognoui et insaniam tuam contra me. [29] Cum fureres aduersum me, superbia tua ascendit in aures meas. Ponam ergo circulum in naribus tuis et frenum in labiis tuis, et reducam te in uiam per quam uenisti.

Circa primum duo. Primo comminatur penam confusionis contra contemptum Iudeorum : *Despexit* etc., quando tibi noluit respondere ; *mouebit*, in futuro, quando aliis occisis cum paucis fugies, supra xxxiij « Qui spernis alias » etc., Iob xxij « Videbunt iusti » etc. Secundo comminatur penam destructionis contra culpam quam in Deum commiserat ; et circa hoc tria facit : primo proponit culpam, secundo assumit diuinam potentiam : *106 va* | *Numquid non audisti* etc., tertio concludit penam : *Ponam ergo* etc.

Circa primum arguit ipsum de duobus peccatis. Primo de blasphemia : *Cui exprobrasti*, uerba Ezechie ad Sennacherib, quasi : non michi sed Deo, infra lvij « Super quem lusistis » etc. Secundo arguit ipsum de superbia quam conceperat ex magnitudine rerum factarum : *et dixisti : In multitudine*, quasi mea et non Dei uirtute, *iuga Libani*, summitates montium, id est potentum, Deut. xxxij « Manus nostra excelsa » etc. ; ex magnitudine propositorum : *et succidam excelsa*, potentes in Iudeis, *altitudinem*, domum Domini, *saltum*, populum, Zach. xj « Aperi Libane portas » etc. ; ex multitudine pugnatorum : *Ego fodi*, quasi : Tantum habeo exercitum quod non sufficit michi aqua quam inuenio, nisi puteos fodiam ; uel metaphorice : Consolationes omnium gentium ego siccaui, Ioelis secundo « Quasi ortus uoluptatis » etc.

§ *Numquid non audisti* etc. Hic assumit diuinam potentiam, loquens in persona ipsius Dei. Et primo quantum ad eternam preordinationem : *que olim*, ab eterno, *fecerim*, proposuerim facere et de exaltatione et de destructione, *illud* malum pene quod per ipsum infertur preuidi et preordinaui, Eccli. xxiij « Domino Deo nostro antequam » etc. Secundo quantum ad eterni propositi temporalem exequtionem : *et nunc adduxi* ; *collium*, principum, *compugnantium* ad inuicem ; *breuiata*, id est retracta, *manu* mea ab auxilio eorum, uel diminuta manu ipsorum a sui auxilio, Ps. « Fiant sicut fenum tectorum » etc. Tertio quantum ad omnium factorum cognitionem : *Habitationem*, id est sedem regni, *introitum* in terram Iudeorum, Iob xxxiiij « Oculi eius super uias » etc.

§ *Ponam ergo*. Hic concludit penam : *circulum*,

91 Iob...etc. *in marg.* 105 potentum] *licet etiam legere* potestatum 106 Deut.] ex *praem.* pA 116 audisti *scripsi. cum* α (*et* A *lin.* 96)] audistis A 119 ab eterno *sup. lin.*] fecerim propo pA 130 terram *coni. cum* α] terra A

89 etc. *om.* 91 alias etc.] nonne et ipse sperneris 92 etc.] et letabuntur et innocens subsannabit penam] interitum 94 proponit] ponit 96 etc. *om.* 97 etc. *om.* 100 quasi] dicat *add.* 101 etc.] super quem dilatastis os et eiecistis linguam 106 etc.] et non dominus fecit hec omnia 110 etc.] tuas et comedet ignis cedros tuas 111 quasi] dicat *add.* 115 etc.] terra coram eo. Nota super illo uerbo leua...uespertinum (*cf. infra* 180-184) 116 etc. *om.* 121 infertur] inferre preordinaui] predeterminauit 122 Eccli....etc. *om.* α(-F) xxiij Domino] 22 F 126 manu] manus 127 Fiant] fiat 128 etc.] quod priusquam auellatur exaruit 131 etc.] hominum et omnes gressus eorum considerat

89 mouebit *cum* Ω^{8} : « mouit » ΩJ^{M} *Vulg.* 91 Is. xxxiii[1]. alias *om.* Ω *Vulg.* Iob xxii[19]. 96 Vers. 26. 97 Vers. 29. 100 Ezechie...sed Deo : *Glossa interlin.* 101 Is. lvii[4]. 106 Deut. xxxii[27]. 108 domum...populum : *Glossa interlin.* 109 Zach. xi[1]. 114 Ioel ii[3]. 122 Eccli. xxiii[29]. Domino...nostro : sic Thomas *De verit.* q. 1 a. 5 arg. 10, q. 3 a. 3 ad 1 et alibi ; « Domino Deo » infra cap. 41, 120 et cap. 44, 51 ; « Domino enim Deo » Ω. 125 retracta...eorum : *Glossa interlin.* et Hugo. 127 Ps. cxxviii[6]. 131 Iob xxxiv[21]. 131 Oculi : « oculi enim » Ω.

30 Tibi autem hoc erit signum : Comede hoc anno que sponte nascuntur et in anno secundo pomis uescere, in anno autem tertio seminate et metite et plantate uineas et comedite fructum earum. 31 Et mittet id quod saluatum fuerit de domo Iuda et quod reliquum est mittet radicem deorsum et faciet fructum sursum. 32 Quia de Ierusalem exibunt reliquie et saluatio de monte Syon ; zelus Domini exercituum faciet hoc. 33 Propterea hec dicit Dominus de rege Assyriorum : Non intrabit ciuitatem hanc et non iaciet ibi sagittam et non occupabit eam clipeus et non mittet in circuitu eius aggerem. 34 In uia qua uenit per eam reuertetur et ciuitatem hanc non ingredietur, dicit Dominus. 35 Et protegam ciuitatem istam ut saluem eam propter me et propter Dauid seruum meum. 36 Egressus est autem angelus Domini et percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque milia. Et surrexerunt mane, et ecce omnes cadauera mortuorum. 37 Et egressus est et abiit, et reuersus est Sennacherib rex Assyriorum et habitauit in Niniue. 38 Et factum est cum adoraret in templo Nesrach deum suum, Adramelech et Sarasar filii eius percusserunt eum gladio fugeruntque in terram Ararat. Et regnauit Assaradon filius eius pro eo.

sicut bubalo, *frenum*, sicut equo, id est potentia diuinitatis mee refrenando, Iob xxx « Pharetram suam aperuit » etc.

§ *Tibi autem*. Hic ponit signum. Venerat autem exercitus Assiriorum imminente messe, unde fructus non potuerunt tunc recolligere, et fuerunt in terra usque post tempus seminationis, unde nec seminare potuerunt. Sic ergo eis dicitur quod illa anni parte residua, eunte Sennacherib in Egiptum, comedant ; comedant *que sponte nascuntur*, scilicet ex granis conculcatis ungulis equorum et quadrigis ; uel quecumque repereris, ut xx Regum quarti libri, in horreis prius ad obsidionem congregata ; uel *que seueras* secundum LXX, id est que remanserunt conculcata in agris. *Et in secundo anno*, adhuc existente eo in Egipto — quia per annum stetit —, quia nichil recolliges cum nichil seminaueris, *pomis uescere*. Vel ' que sponte nascuntur ', ut in libro Regum ibidem, et in illo secundo anno destruetur Assirius ; et sic in tertio anno habebis liberam potestatem seminandi et congregandi. Vel, secundum Andream, hoc est consilium, et *hoc erit signum* refertur ad precedentia.

§ *Et emittet*. Hic ponit destructionis fructum, primo ponens similitudinem arboris que multos fructus affert, si in terra profundat radices, *106 vb* Ier. xvij « Erit quasi lignum » etc. ; secundo ponit expositionem : *Quia de Ierusalem*, infra xlvj « Dabo in Syon » etc. ; tertio assignat rationem : *Zelus enim* etc., supra ix idem.

§ *Propterea hec dicit*. Hic promittit liberationem : *Non intrabit* sicut proposuit, supra viij « Inite consilium » etc. ; et assignat rationem : *Et protegam, propter me*, infra xlviij « Propter me faciam » etc., *et propter Dauid*, Ps. « Propter Dauid seruum tuum » etc.

§ *Egressus est autem* etc. Hic ponit penam quam a Deo sustinuit. Et primo quantum ad exercitus occisionem : *et percussit*, supra xxxiij « A uoce angeli » etc. ; secundo quantum ad residuorum perturbationem et fugam : *Et surrexerunt*, supra xvij « Ecce turbatio » etc. ; tertio quantum ad ipsius occisionem : *Et factum est cum adoraret, Adramelec et Sarasar*, primogeniti inuidentes fratri minori, quem substituere uolebat ex alia matre natum. Et sic « Iustus de angustia » etc.

134 mee(?)] tue re pA 144 ut...libri *sup. lin.* 151 illo] ullo A 154 Vel...precedentia *in marg.* 178 ex] hs(?) quem *praem.* pA

134 mee *om.*(*cf.* A) 135 etc.] et afflixit me et frenum posuit in os meum. Nota super isto uerbo ' Ponam frenum '...meum (*cf.* 185-188) 136 autem[1]] hoc erit signum *add.* autem[2]] enim 138 recolligere] colligere 139 nec seminare] etiam seminare non 142 comedant[2] *om.* 144 ut...libri] ut 4 reg. xx(*ante* scilicet ex granis *lin.* 142) 145 ad] ante 147 Et *om.* α(-F) 148 adhuc *om.* α(-F) 150 uescere *om.* 151 illo] isto 153 liberam *om.* 157 emittet] mittet(-F) 160 etc.] quod ad humorem mittit radices 162 etc.] quod ad humorem mittit radices 162 etc.] salutem et in Ierusalem gloriam meam 163 enim etc. *om.* supra ix idem *om.* α(-F) 164 hec dicit *om.* 165 intrabit] introibit 166 etc.] et dissipabitur loquimini uerbum et non fiet 168 etc.] ut non(*om.* F) blasphemet 169 etc.] non auertam faciem christi tui 170 etc. *om.* 173 etc.] fugerunt populi et ab exaltatione tua disperse sunt gentes 175 etc. *om.* 177 Adramelec et *om.* 179 natum] natus etc.] liberatus est

134 Iob xxx[11]. Pharetram : « enim » *add.* Ω. 144 Rectius IV Reg. xix[29]. 146 uel... : cf. Hugo ex Hier. (388 B ; 440). 147 secundo anno *inv.* Ω. 151 ibidem : IV Reg. xix[29]. 154 Andreas de S. Victore « Hoc tibi ezechia signum erit quod per illam uiam per quam uenit redibit... Ut penitus eum securum reddat...illum molestia liberat...unde uiuendum sit edocens » (ms. f. 89 ra). 157 emittet : « mittet » Ω. 160 Ier. xvii[8]. 161 Is. xlvi[13]. 163 enim *om.* Ω. Is. ix[7]. 165 Is. viii[10]. 167 Is. xlviii[11]. 168 Ps. cxxxi[10]. 172 Is. xxxiii[3]. 175 Is. xvii[14]. 179 Iustus... : Prov. xi[8].

106 ra marg. inf.

Leuatur oratio
per eminentiam contemplationis, Ps. « Leuaui oculos meos » etc. ;
per feruorem affectionis, Tren. iij « Leuemus corda nostra » etc. ;
per lacrimas compunctionis, Ps. « Leuabo per singulas noctes », Ioelis primo « Leuate fletum » etc. ;
per studium bone operationis, Ps. « Eleuatio manuum mearum » etc.

106 va marg. inf.

Frenum
humane discretionis, Iac. iij « Si quis in uerbo non offendit » etc. ;
diuine gubernationis, infra xlviij « Infrenabo te laude mea » etc. ;
diabolice deceptionis, supra xxx « Frenum erroris » etc. ;
temporalis afflictionis, Iob xxx « Pharetram suam » etc. ;
eterne dampnationis, Ps. « In freno et camo maxillas » etc.

182 corda *sup. lin.*] manus pA nostra] nostras pA 183 lacrimas compunctionis] lacrimarum compunctionem pA

180-184 *Inserta ante* Numquid (*lin.* 116) 180 Leuatur] Nota super illo uerbo ' leua ergo orationem ' quod *praem.* 181 per] primo *praem.* α(-π) etc.] ad montes etc. π ad montes unde ueniet auxilium michi *est.* 182 per] secundo *praem.* etc.] cum manibus ad dominum in celo 183 per] 3° *praem.* noctes] lectum meum *add.* π lectum meum lacrimis meis stratum meum rigabo *add. est.* 183 Ioelis...etc. *om.* 184 per] 4° *praem.* etc.] sacrificium uespertinum 185-190 *Inserta ante* Tibi autem (*lin.* 136) 185 Frenum] Nota super isto uerbo ponam frenum quod est *praem.* 186 humane] primo etc.] hic perfectus est uir 187 diuine] secundo *praem.* 187 laude mea etc.] aliter eterne dampnationis π *spat. vac.* Bo *om.* F 188 diabolice] 3° *praem.* etc.] quod erat in maxillis populorum 189-190 *Textus ex Iob et Psalmis invertit* α (*cf. Praef.* § 38) 189 temporalis] 4° *praem.* etc.] aperuit et afflixit me et frenum posuit in os meum 190 eterne] 5° *praem.* etc.] eorum constringe

180 Leuatur... : cf. vers.4 et lin. 20. 181 Ps. CXX[1]. 182 Thren. III[41]. 183 Ps. VI[7]. Ioelis...etc. : non invenimus. 184 Ps. CXL[2]. 185 Frenum : cf. vers. 29 et lin. 133. 186 Iac. III[2]. 187 Is. XLVIII[9]. 188 Is. XXX[28]. 189 Iob XXX[11]. Pharetram : « enim » *add.* Ω. 190 Ps XXXI[8] sec. Psalt. romanum : « In camo et freno » Ω.

CAPITVLVM XXXVIII

[1] In diebus illis egrotauit Ezechias usque ad mortem, et intrauit ad eum Ysaias filius Amos prophete et dixit ei : Hec dicit Dominus : Dispone domui tue quia morieris tu et non uiues. [2] Et conuertit Ezechias faciem suam ad parietem et orauit ad Dominum [3] et dixit : Obsecro Domine, memento, queso, quomodo ambulauerim coram te in ueritate et in corde perfecto et quod bonum est in oculis tuis fecerim. Et fleuit Ezechias fletu magno. [4] Et factum est uerbum Domini ad Ysaiam dicens :

§ *In diebus illis* etc. In parte ista ponit quedam ex predicta hystoria occasionata, scilicet infirmitatem Ezechie quam incurrit propter ingratitudinem, quia post tantam uictoriam canticum gratiarum actionis non composuit, sicut moris erat. Et diuiditur in duas : in prima ponit ipsius egritudinem et sanationem, in secunda ponit amicorum congratulationem, xxxix cap. : *In tempore illo* etc. Circa primum tria : primo ponit egritudinem, secundo liberationem : *Et conuertit Ezechias* etc., tertio liberationis ordinem : *Et iussit Ysaias* etc. Circa primum duo : primo ponit morbum : *egrotauit* etc., Eccli. xxxprimo « Infirmitas grauis » etc. ; secundo ponit mortis nuntium : *et introiuit* ; *Dispone*, ordinando quis tibi succedere debeat, Eccli. xxxiij « In die consummationis » etc.

Sed contra hoc obicitur, quia postmodum uixit et non mortuus est ; ergo huic prophetie *morieris* etc. subfuit falsum, nec fuit immobili ueritate annuntians rerum euentus. — Ad quod dicendum quod, cum omnium que fiunt in toto cursu temporis rationes ab eterno in Deo fuerint, quedam fuerunt indite rebus, que explicantur per opus nature et uoluntatis ; quedam apud se tantum retinuit, ut eas quando uellet in actum educeret. Videntes igitur prophete in speculo eternitatis, uident de utrisque quantum eis Deus uult reuelare. Fuerant igitur Ysaie reuelate ille rationes que rebus indite erant, — que <per> causas inferiores fiunt, scilicet naturales et meritorias —, secundum quas infirmitas regis ad mortem ordinata erat. Unde quantum ad sensum quem in uerbis propheta habuit, uerum dixit, quia secundum causas inferiores ita erat ; similiter etiam quantum ad alium sensum quem Spiritus Sanctus intellexit, uerum dixit, quia mortuus fuit illi ingratitudini dum postmodum Deo debitas gratias egit, sicut et Niniue subuersa est quantum ad statum iniquitatis, ut dicit Augustinus.

§ *Et conuertit*. Hic ponit liberationem, et circa hoc tria : primo ponitur Ezechie oratio, secundo salutis promissio : *Et factum est uerbum* etc., tertio gratiarum actio : *Scriptura Ezechie* etc. Circa primum tria ponit. Primo orationis preparationem : *ad parietem*, templi, uel domus sue, ut deuotius | et secretius oraret, Ps. « In die tribulationis mee » etc. Secundo ponit ipsam orationem : *et orauit* ; *memento*, ut pro bonis que feci uitam michi concedas, dicitur enim Deus oblitus quando non retribuit ; *in ueritate* cultus tui, *corde perfecto*, quantum ad amorem. — Sed contra, Prou. xx « Quis potest dicere » etc. ; et dicendum quod non dixit se habere cor perfectum simpliciter, sed quoad hoc quod post ydola non claudicabat, ut dicitur III Reg. xviij, Eccli. xj « In die malorum » etc. Tertio ponit orantis compunctionem : *Et fleuit* etc., Mt. v « Beati qui lugent » etc., Iudit ix « Humilium et mansuetorum » etc.

§ *Et factum est uerbum* etc. Hic ponitur salutis

107 ra

10 liberationem] tertio *add.* pA 21 annuntians] -tias A 25 quedam A 30 < per > causas *coni.*] cause A 31 fiunt (faciunt pA) *in marg.* 31 scilicet] secundum is<tas?> et secundum has *praem.* pA 38 dum] *licet etiam legere* cum debitas *sup. lin.*] dignas pA 39 subuersa] submersa pA 45 orationis] orantis *praem.* pA 52 perfecto] non claudicans *add.* pA 60 salutis] orationi *praem.* pA

9 tria] facit *add.* 11 iussit] misit 12 duo] facit *add.* 17 etc.] uite tue et in tempore exitus tui distribue hereditatem tuam 21 annuntians] denuntians Ad quod] et 26 eas] ea quando] que(-F) 28 eis] de eis F *om. cet.* 30 <per> causas] cause secunde (*cf.* A) 31 fiunt] faciunt *post* que (30) meritorias] numeratorias 33 Unde] et etiam 39 Niniue subuersa est] niniuen subuersionem 42 tria] ponit *add.* 43 uerbum etc. *om.* 44 Ezechie etc.] regis 48 etc.] clamaui ad te 53 etc.] mundum est cor meum 54 se habere] sibi esse 55 non claudicabat] *ante* post F *om. cet.* 56 III Reg.] iiij reg. 57 etc.] ne immemor sis bonorum 58 etc.[2]] quoniam ipsi consolabuntur 59 etc.] semper tibi placuit deprecatio 60 uerbum etc. *om.*

11 Et iussit... : vers. 21. 13 Eccli. xxxi[2]. 16 Eccli. xxxiii[24]. 18 obicitur : cf. *Glossa marg.* ex Greg. *Moral.* XII c. 2 (PL 75, 987 A). 40 Augustinus : cf. *Glossa marg.* ex August. *Enarr. in Ps.* l[8] (PL 36, 592 ; CCL 38, 607). 43 Vers. 4. 44 Vers. 9. 47 Ps. lxxvi[8] vel lxxxv[9]. 53 Prov. xx[9]. 56 III Reg. xviii[21]. Eccli. xi[27]. 58 Matth. v[5]. 59 Iudith ix[14].

[5] Vade et dic Ezechie : Hec dicit Dominus Deus Dauid patris tui ; Audiui orationem tuam et uidi lacrimas tuas ; ecce ego adiciam super dies tuos quindecim annos [6] et de manu regis Assyriorum eruam te et ciuitatem istam et protegam eam. [7] Hoc autem tibi erit signum a Domino, quia faciet Dominus uerbum hoc quod locutus est : [8] Ecce ego reuerti faciam umbram linearum per quas descenderat in orologio Achaz in sole, retrorsum decem lineis. Et reuersus est sol decem lineis per gradus quos descenderat. [9] Scriptura Ezechie regis Iude, cum egrotasset et conualuisset de infirmitate sua : [10] Ego dixi : In dimidio dierum meorum uadam ad portas inferi. Quesiui residuum annorum meorum. [11] Dixi : Non uidebo Dominum Deum in terra uiuentium. Non aspiciam hominem ultra et habitatorem quietis. [12] Generatio mea ablata est et conuoluta est a me quasi tabernaculum pastorum. Precisa est uelud a texente uita mea, dum adhuc ordirer succidit me. De mane usque ad uesperam finies me. [13] Sperabam usque ad mane ;

promissio. Et primo ponit orationis exauditionem : *factum est*, priusquam exiret mediam partem atrii, IIII Reg. xx ; *Audiui orationem* etc., supra xxx « Ad uocem clamoris » etc. Secundo ponit promissionem : *ecce ego adiciam* etc., Ps. « Dies super dies regis » etc. Tertio ponit confirmationem per signum : *Hoc autem erit* etc., *in sole*, id est per motum solis, *x lineis*, quibus secundum motum umbre computabantur x hore ; *Et reuersus* : si subito, sic dies ille artificialis habuit xxij horas, fere duplicatus secundum Glosam ; si autem successiue, sic uenerat per x et rediit per x, et iterum per x uenit, et sic dies ille habuit xxxij horas, fere triplicatus secundum Dionysium. Hoc autem factum est, uel omnibus aliis celestibus corporibus redeuntibus, uel solem breuiorem uiam aut uelociorem motum habuisse, ut ad situm suum simul cum aliis perueniret, Eccli. xlviij « In diebus eius retro » etc. Et hoc signum competit signato, unde Iob xj « Cum te consumptum » etc.

§ *Scriptura Ezechie* etc. Hic ponitur gratiarum actio pro salute promissa. Et primo ponit titulum : *Scriptura*, scilicet hec est ; secundo ponit canticum : *Ego dixi*, in quo tria facit : primo plangit periculum quod euasit, secundo commemorat beneficium quod percepit : *Domine, si sic* etc., tertio petit complementum quod Deus promisit : *Domine saluum* etc. Plangit autem tria. Primo mortis horrorem : *In dimidio*, id est in iuuentute mea, *ad portas inferi*, id est limbum, uel mortem uel sepulcrum, Eccli. ult. « Vita mea appropinquans » etc. Secundo plangit bonorum amissionem quantum ad Dei uisionem : *Quesiui*, a Domino, quod suppleret *residuum* michi ablatum, uel inquisiui apud me quantum restaret michi de uita. *Dixi* apud me : *Non uidebo*, per speciem modo adhuc, *in terra uiuentium*, in celesti beatitudine, Ps. « Credo uidere » etc. ; uel *Non uidebo* ulterius, uidendo templum et cultum eius, *in terra uiuentium*, scilicet Iudeorum, M[t]. xxij « Non est Deus mortuorum » etc. Etiam quantum ! ad hominum *107 rb* societatem : *Non aspiciam hominem* in hac uita uiuentem, Ier. xlix « Non habitabit ibi uir » etc. ; uel *hominem*, Christum nobis promissum. Etiam quantum ad filiorum posteritatem : *Generatio*, scilicet filiorum, quia nondum filios habebat, *conuoluta*, plicata ne ad posteros extendatur, supra xxiiij « Auferetur quasi tabernaculum » etc. Etiam quantum ad uite breuitatem : *Precisa est uelud a texente*, dum adhuc texit, tela imperfecta ; *ordirer* in iuuentute, Iob vij « Dies mei uelocius » etc.

Tertio plangit cordis anxietatem. Et primo quantum ad mortis continuam expectationem : *De mane*, scilicet dicebam, *usque ad uesperam finies me* morte, et tunc non moriens *sperabam* iterum *usque mane*, ut simul cum morte dolor egritudinis

70 xxij] duas *add.* A 76 solem] sole A 78 situm] locum suum *praem.* pA 88 complementum *sup. lin.*] effectum eius pA 95 ablatum] *licet etiam legere* oblatum 104 uir *sup. lin.* 110 Etiam *in marg.* 115 continuam *sup. lin.* 116 dicebam] -bat pA

62 priusquam] postquam(-F) 64 Ad...etc. *om.* 66 etc.] adicies 69 umbre] naturalem si] scilicet 70 dies ille *inv.* 71 fere duplicatus] sed reduplicatus 72 uenerat] remearat Bo remeerat F remearet π 75 omnibus] in *praem.* 76 redeuntibus] retroeuntibus 76 solem...habuisse] sole...habente (*cf.* A) 78 xlviij] xliij 79 retro etc.] *spat.vac.* Bo *om.cet.* 80 unde *om.* 81 etc.] putaueris orieris ut lucifer 93 etc.] erat in inferno deorsum 99 etc.] bona domini in terra uiuentium 102 etc.] sed uiuorum 104 etc.] et non incolet(timebit F) eam filius hominis 109 quasi... etc.] passillus qui fixus fuerat in loco fideli (Is. XXII[25]) 111 tela imperfecta] telam imperfectam 112 uelocius etc.] uelociores fuerunt cursore (Iob IX[25]) 117 non moriens] etiam non metues

63 IV Reg. XX[1]. Is. XXX[10]. 65 Ps. LX[7]. 71 *Glossa interlin.*, Haymo (903 C). 74 *Epist. VII* ad Polycarpum § 2 (PG 3, 1080 C-D ; Dion. 1491). 78 Eccli. XLVIII[26]. 80 Iob XI[17]. 87 Vers. 16. 88 Vers. 20. 92 Eccli. LI[9]. 99 Ps. XXVI[13]. 101 Matth. XXII[32]. 104 Ier. XLIX[18]. 105 uel...promissum : cf. *Glossa interlin.* 108 plicata... : cf. *Glossa interlin.* 109 Is. XXIV[20]. 112 Iob VII[6].

quasi leo sic contriuit omnia ossa mea ; de mane usque ad uesperam finies me. [14] Sicut pullus hyrundinis sic clamabo, meditabor ut columba. Attenuati sunt oculi mei suspicientes in excelsum. Domine uim patior, responde pro me. [15] Quid dicam aut quid respondebit michi cum ipse fecerit? Recogitabo omnes annos meos in amaritudine anime mee. [16] Domine si sic uiuitur et in talibus uita spiritus mei, corripies me et uiuificabis me. [17] Ecce in pace amaritudo mea amarissima ; tu autem eruisti animam meam ut non periret ; proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea. [18] Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te ; non expectabunt qui descendunt in lacum ueritatem tuam. [19] Viuens uiuens ipse confitebitur tibi sicut et ego hodie. Pater filiis notam faciet ueritatem tuam. [20] Domine saluum me fac et psalmos nostros cantabimus cunctis diebus uite nostre in domo Domini. [21] Et iussit Ysaias ut tollerent massam de ficis et cathaplasmarent super uulnus et sanaretur.

finiretur ; nichilominus *quasi leo sic contriuit*, langor, uel ipse Deus per dolorem egritudinis, Iob vij « Si dormiero » etc. Secundo quantum ad spei dilationem ; ubi ponit tria : sperantis compunctionem : *Sicut pullus hyrundinis* expectat matrem, quia non uidet, *ut columba*, cum gemitu scilicet, Naum secundo « Gementes ut columbe » etc. Ponit etiam spei dilationem : *Attenuati*, quasi fatigati, *suspicientes* per spem, Prou. xiij « Spes que differtur » etc., Ps. « Leuaui oculos meos » etc. Ponit etiam quandam cum Deo disceptationem : *Domine uim patior*, quasi : uiolentia fit michi, ultra merita affligor ; *responde*, id est fideiubeas pro me. *Quid dicam?*, quasi in se reuersus : Quid possem contra Deum proponere? *Aut quid respondebit?*, quando debet ad interrogatoria respondere, *cum ipse fecerit* me, uel penam meam, Iob ix « Si uoluerit contendere cum eo » etc., infra xlv « Numquid contradicit factori » etc. Tertio quantum ad preteritorum recordationem : *Recogitabo annos* in quibus bona passus sum, uel etiam in quibus tibi peccaui, Iob vij « Loquar in tribulatione spiritus » etc.

§ *Domine si sic*. Hic commemorat beneficium quod suscepit ; et primo correctionem : *Si sic uiuitur*, id est si tam misera est uita hominum, uel si per tribulationes acquiritur uita, Prou. vj « Via uite increpatio discipline » ; et ponit : *Ecce in pace*, quasi : populo <pacem> habente ab Assiriis, amaritudo michi imminet, Prou. xiiij « Risus dolori » etc. Secundo commemorat liberationem, a pena : *tu autem eruisti animam*, uitam, et a culpa : *proiecisti post tergum*, tuum uel meum, quasi obliuiscens, *omnia peccata mea*, Sap. xj « Misereris omnium Domine » etc. Tertio assignat liberationis rationem, et primo quantum ad mortis inutilitatem : *Quia non infernus*, id est dampnati uel sepulti, *mors*, diabolus uel mortui, *ueritatem*, promissionum, uel filium, Ps. « Non est in morte » etc. ; secundo quantum ad uiuorum laudem : | *Viuens uiuens*, ad maiorem affirmationem, uel propter duplicem uitam, Ps. « Nos qui uiuimus » etc. ; tertio quantum ad diuine laudis propagationem : *Pater filiis* etc., Ps. « Mandauit patribus nostris nota facere » etc. *107 va*

§ *Domine saluum*. Hic petit expleri promissum : *saluum me fac* ab Assiriis, et a langore, Ps. « Benedicam Dominum in omni tempore » etc.

§ *Et iussit* etc. Hic ponit sanationis ordinem. Et hoc transpositum est et debet esse ante signi dationem, ut patet ex IIII Reg. xx ; sed quia non intendit hystoriam sed prophetiam, que ad pro-

119 langor] dolor *praem.* pA 121 Secundo] tertio *praem.* pA 127 Prou. ...etc. *in marg.* 134 debet] *licet etiam legere* oportet 147 < pacem > *suppl.* 150 culpa] -pam pA 151 tuum uel meum *sup. lin.* 166 Dominum] deum pA in omni tempore *sup. lin.*

121 etc.] dolore non parcat (Iob VI[10]) 122 compunctionem] conditionem (-F) 124 cum...scilicet *om.* 125 gementes] ancille minabantur(-untur F) *praem.* 126 Attenuati] sunt *add.* 128 etc.[1]] affligit animam etc.[2]] ad montes unde ueniet auxilium michi 130 quasi] dicat *add.* 133 respondebit] -deo F -debo *cet.* 134 debet] oportet interrogatoria] -gata 135 ix Si uoluerit] 7 si uolueris 136 etc.] non poteris respondere unum pro mille infra...etc. *om.* 139 etiam *om.* 141 etc.] mei. Nota super illo uerbo Attenuati sunt oculi...(*cf. infra* 189-195) 143 correctionem] correptionem 146 et ponit] exponit 147 quasi] in *add.* <pacem>] eam *post* habente 149 etc.] miscebitur 150 eruisti *om.* et *om.* 153 etc.] et nichil odisti eorum que fecisti (Sap. XI[25]) 157 promissionum] -ssorum 157 Non] quoniam non 158 etc.] qui memor sit tui in inferno autem quis confitebitur tui 161 etc.] benedicimus domino 162 propagationem] propositionem Boπ proportionem F 164 saluum] me fac *add.* 167 etc.] Ysaias 168 transpositum] tertio expositum

120 Iob VII[4]. 125 Nah. II[7]. 127 Prov. XIII[12]. 128 Ps. CXX[1]. 135 Iob IX[3]. 136 Is. XLV[9], ubi habet Ω « Ve qui contradicit » sicut infra cap. 45, 22 et 83. 140 Iob VII[11]. 145 Prov. VI[23]. 148 Prov. XIV[13], ubi Ω « Risus dolore » sicut plerumque Thomas e.g. *Super Iob* cap. 3 472 ; cf. supra cap. 24, 80. 152 Sap. XI[26] ut introitus missae in die cinerum (Prototypum Humb. ms. f. 328 va) ; « Domine » *om.* Ω. 157 Ps. VI[6]. 160 Ps. CXIII[15]. 162 Ps. LXXVII[6]. 165 Ps. XXXIII[3]. 169 IV Reg. XX[8-11].

[22] Et dixit Ezechias quod erit signum quia ascendam in domum Domini.

phetiam pertinent primo posuit. Et primo ponit curationis modum : *cathaplasmarent*, emplastrum apponerent, *uulnus* a Deo inflictum, uel *ulcus*, ex humorum corruptione caro aperta : dicunt enim quod laborabat morbo regio, qui dicitur lupus, cui nocent ficus et omnia dulcia, ut curatio tota diuine potentie attribueretur. Alii dicunt quod erat apostema, quod est ex humoribus intus collectis nondum carne scissa, ad cuius maturationem ficus prosunt, ut ostenderetur non esse spernendam medicinam, Eccli. xxxviij « Faciet pigmenta suauitatis » etc. Secundo Ezechias petit signum : *Et dixit Ezechias quod erit signum* etc., prima Cor. primo « Iudei signa querunt » etc.

106 vb marg. inf. In morte confidam
domus conscientie si pura a peccati contagione, supra primo « Angustus est michi locus » etc., Ez. viij « ut recedam a sanctuario » ;
si firma in bono opere, M[t] vij « Descendit pluuia » etc. ;
si ampla dilectione, infra xlix « Angustus est michi » etc., liiij « Dilata locum ».

107 r marg. inf. Oculi excelsi
per cordis elationem, Ps. « Domine non est exaltatum »,
attenuantur a Deo per depressionem, supra ij « Oculi sublimis » etc. ;
per inquisitionis curiositatem, Iob xv « Quasi magna cogitans » etc.,
attenuantur per luminis oppressionem, Prou. xxv « Qui scrutator est maiestatis » etc. ;
per contemplationem, infra xl « Leua in excelsum » etc.,
attenuantur propter cognitionis paruitatem, Iob xxxvj « Omnes homines uident » etc.

172 cathaplasmarent] -plamarent A 173 uulnus] ulc<us> *praem.* pA 174 corruptione] -nem pA 175 qui *confuse*] *licet etiam legere* quod 178 quod] ad cuius maturationem *praem.* pA 181 medicinam] medicam pA 184 etc. *sup. lin.* 186 domus] si *praem.* pA 191 attenuantur] qui *praem.* pA 193 attenuantur] qui dep<rimuntur> *praem.* pA

173 apponerent] imponerent F *om. cet.* 174 humorum corruptione] humore corrupto 175 qui] quod 180 ostenderetur] -datur 181 spernendam medicinam] semper superuacua necessaria medicina Faciet] pigmentarius *praem.* 182 etc.] et medicinam conficit sanitatis 182 Ezechias petit] ezechie ponitur 185-188 In morte...locum *om.* 189-195 Oculi...uident etc.] *cf. Praef.* p. 63* (App. 1)

173 uel ulcus : cf. *Glossa interlin.* ex Hier. (396 C ; 450). 174-181 dicunt...medicinam : cf. *Glossa marg.* ex Hier. ibid. 175 dicitur lupus : Hugo de S. Charo *Postilla* in IV Reg. xx[7]. 181 Eccli. xxxviii[7] *cum* Ω : « Facit » *Vulg.* 184 I Cor. i[28]. querunt(cf. cap.7 182) : ita *Glossa interlin.* et Haymo (903 C) ; « petunt » Ω *Clem.* 185 In morte... : cf. vers. 1. 186 primo : rectius Is. xlix[20] ut infra lin. 188. 186 Ez. viii[6]. 187 Matth. vii[25]. 188 Is. xlix[20] et liv[2]. 189 Oculi excelsi : cf. vers. 14. 190 Ps. cxxx[1]. 191 Is. ii[11]. 191 sublimis *cum* Ω ut supra cap. 2, 275 ; « sublimes » *Vulg.* 192 Iob xv[12]. 193 Prov. xxv[27]. 194 Is. xl[26]. Leua : « leuate » Ω et Thomas infra cap. 40, 133 et 234. 195 Iob xxxvi[25].

CAPITVLVM XXXIX

[1] In tempore illo misit Merodach Baradan filius Baladan, rex Babilonis, libros et munera ad Ezechiam ; audierat enim quod egrotasset et conualuisset. [2] Letatus est autem super eis Ezechias, et ostendit eis cellam aromatum et argenti et auri et odoramentorum et unguenti optimi et omnes apothecas supellectilis sue et uniuersa que inuenta sunt in thesauris eius. Non fuit uerbum quod non ostenderit eis Ezechias in domo sua et in omni potestate sua. [3] Introiuit autem Ysaias propheta ad regem Ezechiam et dixit ei : Quid dixerunt uiri isti et unde uenerunt ad te? Et dixit Ezechias : De terra longinqua uenerunt ad me de Babilone. [4] Et dixit : Quid uiderunt in domo tua? Et dixit Ezechias : Omnia que in domo mea sunt uiderunt ; non fuit res quam non ostenderim eis in thesauris meis. [5] Et dixit Ysaias ad Ezechiam : Audi uerbum Domini exercituum : [6] Ecce dies uenient, et auferentur omnia que in domo tua sunt et que thesaurizauerunt patres tui usque ad diem hanc in Babilonem ; non relinquetur quicquam, dicit Dominus. [7] Et de filiis tuis qui exibunt de te quos genueris tollent, et erunt eunuchi in palatio regis Babilonis. [8] Et dixit Ezechias ad Ysaiam : Bonum est uerbum Domini quod locutus est. Et dixit : Fiat tantum pax et ueritas in diebus meis.

§ *In tempore illo* etc. Hic ponit amicorum congratulationem, ostensam in missione nuntiorum et munerum ; et circa hoc tria facit. Primo ponit nuntiorum missionem : *rex Babilonis*, qui tunc suberat Assiriis, *libros*, epistolas, *audierat*, sed maxime propter signum quod in solis reuersione uiderant, Ps. « Viuet et dabitur ei » etc.

Secundo ponit ipsius Ezechie elationem inde conceptam, ponens elationis letitiam : *Letatus*, contra hoc quod Iob xxxj « Si letatus sum » etc. ; et elationis in opere manifestationem, in ostentatione diuitiarum suarum : *et ostendit cellam aromatum*, que dicuntur species odorifere, uel locum ubi sepeliebantur reges, uel inferiorem partem domus saltus, que erat ex alabastro ubi optime huiusmodi conseruantur ; *apothecas*, cellaria ; *uerbum*, res digna uerbo, *in omni potestate sua*, quantum ad ea que erant in templo, quod quidem erat in potestate regis usurpata, Eccli. xj « Non omnem hominem inducas » etc.

Tertio ponit elationis repreensionem : [1] *Introiuit.* *107 vl*
Et primo ponit culpe inquisitionem et manifestationem : *non fuit res* etc., Prou. xx « Sicut aqua profunda » etc. Secundo comminatur penam : *Et dixit Ysaias*, quantum ad ammissionem rerum : *omnia que in domo* etc., Ier. xxvij « Hec dicit Dominus ad uasa » ; et quantum ad filiorum seruitutem : *Et de filiis*, quod dicunt impletum in Daniele et sociis, non quia corpore sed mente et officio tales fuerunt, Deut. xxviij « Filii tui et filie tue » etc. Tertio ponit pene acceptationem : *Et dixit Ezechias : Bonum*, iustum, *pax* ab Assiriis, *ueritas* religionis, supra xxvj « Domine dabis pacem » etc.

9 conceptam] concemptam A 11 elationis] elci *praem.* pA 13 odorifere] aro *praem.* pA 29 sociis] eius *add.* pA

4 Babilonis] nab' 7 uiderant] -erat etc.] de auro arabie 10 quod habetur *add.* etc.] super multis diuitiis meis et quia plurima reperit manus mea 11 manifestationem] inanimationem (-F) 13 uel] et 16 apothecas] -ecam 20 etc.] in domum tuam.multe enim sunt insidie dolosi 21 repreensionem] repressionem 24 etc.] sic consilium in corde uiri 27 uasa] uos.ecce ego dedi omnes terras istas in manu nabuchodonosor regis babilonis(Ier. XXVII[6]) 29 quia] quidem (-F) 32 Bonum...religionis(*integram lineam* A) *om.* α 34 etc.] quia in te speraumus

Tertio indicit preparationem ad consequendum dictam promissionem : *Audite audientes* ; et primo excitat attentionem, secundo ponit exhortationem : *Querite Dominum*. Excitat autem attentionem triplici promissione. Primo promittens attendentibus bonorum copiosam fruitionem : *comedite*, id est reficiam uos diuersis bonis si me audiatis ; *in crassitudine*, quantum ad copiam, supra I[19] « Si uolueritis et audieritis me, bona terre comedetis », Ier. XXXI[14] « Animam sacerdotum ». Secundo promittens mortis euasionem : *Inclinate*, Ps. « Vivet anima mea », iterum Ps. « In eternum non obliuiscar iustificationes tuas, quia in ipsis uiuificasti me ». Tertio promittens potestatem ; et primo ponit similitudinem : *Et feriam*, id est sicut Dauid ueras promissiones feci ut in sempiternum semen suum permaneret, sic et uobiscum faciam. Secundo explicat ipsam, ostendens quid Dauid fecerit : *Ecce testem*, Ps. « Populus quem non cognoui seruiuit michi, in auditu auris obediuit michi » ; et quid eis facturus sit : *Ecce gentes uocabis* ad preceptum tuum implendum, non tuis uiribus sed *propter Dominum*, supra XLIX[7] « Adorabunt propter Dominum Deum tuum qui elegit te ».

Querite Dominum. Hic indicit eis preparationem ad consequendam dictam promissionem. Et primo dat querendi diuinum consilium : *Querite Dominum dum inueniri potest*, antequam aduersitas uel mors ueniat, Ps. « Querite Dominum » etc., Prou. I[28] « Mane consurgent » etc. Secundo docet querendi modum : *Derelinquat impius*, peccans in Deum ; *iniquus*, peccans in proximum, supra I[16] « Auferte malum cogitationum uestrarum ab oculis meis ».

10 Ps. ...inea F] *om. cet.* 11 proponit] ponit Fπ 17 emeretis] -ritis Fπ 36 Ier. ...sacerdotum F] *om. cet.* 37 Ps. ...iterum F] *om. cet.* 56 Ps. ...Prou. ...etc. F] *om. cet.*

1 Hec est hereditas... : cf. Hugo « Et nota quod secundum Gl. et secundum Ier. hoc refertur ad precedens, secundum autem usum Ecclesiae respicit sequentia » ; sic enim dividunt plures codd. Bibliae, ut ' familia italica ' (*Biblia sacra...Liber Isaiae*, Romae 1969, p. 201). 5 Vers. 10. 10 Ps. XV[6]. 26 *Glossa marg.* ex Haym.(1000 D-1001 A). 30 Vers. 6. 37-38 Ps. CXVIII[175,88]. 45 Ps. XVII[45]. 56 Ps. CIV[4].

et reuertatur ad Dominum et miserebitur eius et ad Deum nostrum quoniam multus est ad ignoscendum. [8] Non enim cogitationes mee cogitationes uestre neque uie uestre uie mee, dicit Dominus. [9] Quia sicut exaltantur celi a terra, sic exaltate sunt uie mee a uiis uestris et cogitationes mee a cogitationibus uestris. [10] Et quomodo descendit ymber et nix de celo et illuc ultra non reuertitur, set inebriat terram et infundit eam et germinare eam facit et dat semen serenti et panem comedenti, [11] sic erit uerbum meum quod egredietur de ore meo : non reuertetur ad me uacuum set faciet quecumque uolui et prosperabitur in hiis ad que misi illud. [12] Quia in letitia egrediemini et in pace deducemini. Montes et colles cantabunt coram uobis laudem, et omnia ligna regionis plaudent manu. [13] Pro saliunca ascendet abies, et pro urtica crescet mirtus. Et erit Dominus nominatus in signum eternum quod non auferetur.

Tertio ponit reuersionis fructum, scilicet misericordiam : *et reuertatur* ; *quoniam multus*, id est multiplicis misericordie, *ad ignoscendum*, Ioelis II[13] « Conuertimini ad Dominum Deum uestrum ». Quarto excludit misericordie impedimentum : *Non enim cogitationes*, quasi : uos impii, ego pius, uos ultionem cogitatis, ego misericordiam, Ez. XVIII[25] « Numquid uie mee non sunt eque, domus Israel, et non magis uie uestre praue sunt? ».

Et quomodo. Hic ostendit promissionis firmitatem. Et primo ostendit diuini uerbi efficaciam : *ad me uacuum*, id est sine fructu, Sap. I[11] « Sermo obscurus », Osee VI[3] « Veniet quasi imber temporaneus et serotinus ». Secundo ponit continentiam quantum ad letam remissionem de Babilone : *Quia in letitia*, Ps. « Eduxit populum suum cum exultatione et electos suos in letitia » ; quantum ad aliorum congratulationem : *Montes et colles*, potentes et populares, laudantes in uobis Dominum ; uel est yperbole : terra uestra uestre reuersioni congratulans ; quantum ad bonorum multiplicatam restitutionem : *Pro saliuncula*, id est priora pauca erant respectu futurorum, Agei II[10] « Erit gloria domus huius nouissime plus quam prime », supra XLI[19] « Dabo in solitudine ». Saliunca a saliendo dicta, que cardus leporinus dicitur. Tertio ponit consequentem Dei gloriam : *Et erit Dominus nominatus* undique et semper gloriosus pro liberatione uestra, *in signum eternum*, ad quem confugient sicut ad signum salutis, supra XLIX[22] « Ecce ego leuabo ad gentes signum meum ».

Nota super illo uerbo *Omnes sitientes uenite ad aquas*, quod diuina doctrina primo dicitur aqua : et hoc <primo> quia infirmos sanat, Eccli. XV[3] « Aqua sapientie salutaris potauit eum » ; secundo quia inquinatos mundificat, Ez. XXXVI[25] « Effundam super uos aquam mundam et mundabimini ab omnibus inquinamentis uestris » ; tertio quia sitientes satiat, Io. IV[13] « Si quis biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in eternum ».

Secundo dicitur uinum : et hoc quia primo pungit arguendo supra I[22] « Vinum tuum mixtum est aqua » ; secundo quia incendit exhortando, Ps. « Eloquium Domini inflammauit eum » ; tertio quia inebriat consolando, infra ult. « Inebriamini ab uberibus consolationis uestre ».

Tertio dicitur lac : et hoc primo propter pulcritudinem, Gen. ult. « Neptalim ceruus emissus dans eloquia pulcritudinis » ; secundo propter dulcedinem, Cant. II[14] « Sonet uox tua in auribus meis, uox enim tua dulcis » ; tertio propter sumendi facilitatem, I Petri I « Quasi modo geniti infantes lac concupiscite ».

64 uestrum] in toto corde uestro(*ex* Ioel. II[12]) *add. codd.* 66 quasi] quia Fπ 73 Sap. ...obscurus F] *om. cet.* 74-82 Osee...congratulans *om.* F 77 cum] in *cum Vulg.* π (*def.* F) 78 et...letitia] etc. π 86 supra...solitudine F] *om. cet.* 87 Saliunca] -cula Fπ 87 leporinus *coni.*] leprorinus Bo leprinus F lepularius π 96 < primo > *suppl.*] *om. codd.* 98 inquinatos] iniquitates Fπ 100 inquinamentis] iniquitatibus Fπ 104 arguendo *coni.*] arguenda *codd.* 105 incendit] intendit Fπ 110 ceruus] seruus Fπ

77 Ps. CIV[18]. 81 est yperbole : cf. Hugo. 87 a saliendo dicta : cf. Barthol. Anglicus *De propriet. rerum* XVII c.145. leporinus : cf. Isid. *Etym.* XVII c.9 n.43 (PL 82, 629 B). 94 Cf. vers. 1. 106 Ps. CIV[18]. 107 Is. LXVI[11] ; « Repleamini... » Ω *Vulg.* 110 Gen. XLIX[21]. 114 Rectius I Petri II[2], ut introitus missae in oct. Paschae, v. gr. in *Graduale O.P.* (Prototypum Humb., ms. f.342 ra) ; « Sicut modo... » Ω *Clem.*

CAPITVLVM LVI

[1] Hec dicit Dominus : Custodite iudicium et facite iustitiam, quia iuxta est salus mea ut ueniat et iustitia mea ut reueletur. [2] Beatus uir qui facit hoc et filius hominis qui apprehendet istud, custodiens sabbatum ne polluat illud, custodiens manus suas ne faciat omne malum. [3] Et non dicat filius aduene qui adheret Domino dicens : Separatione diuidet me Dominus a populo suo ; et non dicat eunuchus : Ecce ego lignum aridum. [4] Quia hec dicit Dominus eunuchis : Qui custodierint sabbata mea et elegerint que ego uolui et tenuerint fedus meum, [5] dabo eis in domo mea et in muris meis locum et nomen melius a filiis et filiabus, nomen sempiternum dabo eis quod non peribit.

Hec dicit Dominus. Hic postquam promiserat liberationem a malis, incipit promittere salutem in collatione bonorum. Et diuiditur in partes tres : in prima ponitur salutis preparatio ; in secunda salutis promissio, cap. LX *Surge illuminare* ; in tertia salutis collate multa discretio, cap. LXIII *Quis est iste?* Prima in duas : in prima ponitur preparatio ex parte salutem suscipientis, in secunda ex parte ipsius saluantis, cap. LIX *Ecce non est abbreuiata.* Prima in duas : in prima dat preparationis salubre consilium, in secunda excludit inane remedium, <cap. LVIII> *Clama, ne cesses.* Prima in duas : in prima ponit consilii recipientium diuersitatem quantum ad constitutionem premiorum, in secunda quantum ad euasionem periculorum, cap. LVII *Iustus perit.* Prima in tres : in prima ponit consilium ; in secunda in recipientibus consilii fructum : *Beatus uir qui facit* ; in tertia in contemnentibus salutis defectum : *Omnes bestie.*

Circa primum duo. Primo consulit debitam preparationem : *Custodite iudicium*, uos prelati quorum est iudicare, *facite iustitiam*, uos subditi, id est omnem uirtutem secundum quod ad alterum conformatur preceptis legis, Mich. VI[8] « Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum ». Secundo promittit salutis propinquitatem : *quia iuxta*, id est prope, *salus mea*, quia a me saluabimini post captiuitatem, *et iustitia mea*, quantum ad hostes, de quibus uos uindicabo, supra XLVI[13] « Prope feci iustitiam meam ».

Beatus uir. Hic ponit fructum consilii in hiis qui suscipiunt. Et primo ponit utilitatem, ponens impletionis fructum : *Beatus uir qui facit*, opere explens, *apprehendet*, strenue aggrediens, Ps. « Beatus uir qui timet Dominum » ; et implendi modum quantum ad cerimonialia : *custodiens sabbatum.* Sabbati namque obseruatio erat moralis quantum ad hoc quod quies in Deo ponatur, et quod aliquando diuinis rebus uacetur ab aliis abstinendo, sed cerimonialis quantum ad temporis determinationem. Fuit autem determinatus eis dies septimus propter opus creationis, quo adhuc nullum dignius precesserat ; nobis dies primus siue octauus propter misterium resurrectionis, quo natura condita in melius reparatur, Exo. XX[8] « Memento ut diem sabbati sanctifices », Ier. XVII[21] « Custodite animas uestras ». Et quantum ad moralia : *custodiens manus*, Ps. « Lauabo inter innocentes manus meas ».

Secundo ponit utilitatis uniuersalitatem : « *Et non dicat.* Et primo excludit quorundam qui uidebantur indigni desperationem, uel propter defectum generis, quia non erant de genere Israel : *qui adheret*, seruans precepta eius, *separatione*, non faciens me participem salutis eis promisse, Ro. X[12] « Non enim est distinctio Iudei et Greci, nam idem Dominus omnium ». Vel propter defectum generatiue uirtutis : *et non dicat eunuchus, lignum aridum*, impotens ad generandum, sicut lignum aridum ad germinandum, Prou. XI[28] « Iusti quasi uirens folium ».

Secundo ponit promissionem : *Quia hec dicit Dominus.* Et primo ipsis specialiter quantum ad eunuchos : *custodierint*, quantum ad cultum religionis, *elegerint*, quantum ad obedientiam legis, *tenuerint*, quantum ad obseruantiam promissionis abstinendi a malis ; *in muris*, id est habitationem in muros ciuitatis mee ; *nomen melius*, quod serui

12 < cap. LVIII > *suppl.*] *om. codd.* 20 duo] facit *add.* F 29 uindicabo] iudicabo Fπ 37 obseruatio] obseruantia F 38 ponatur *coni.*] -etur *codd.* 46 Ier. ...uestras F] *om. cet.* 53 genere] semine F 54 separatione F] sparatione *cet.* 58 generatiue *coni.*] generalem *codd.* 64 custodierint] -erunt Fπ 65 elegerint] -erunt Fπ 66 tenuerint] -erunt Fπ 67 abstinendi] -dum Fπ

19 Vers. 9. 34 Ps. CXI[1]. 48 Ps. XXV[9].

[6] Et filios aduene qui adherent Domino ut colant eum et diligant nomen eius, ut sint ei in seruos, omnem custodientem sabbatum ne polluat illud et tenentem fedus meum, [7] adducam eos in montem sanctum meum et letificabo eos in domo orationis mee ; holocausta eorum et uictime eorum placebunt michi super altare meum, quia domus mea domus orationis uocabitur cunctis populis. [8] Ait Dominus Deus qui congregat dispersos Israel : Adhuc congregabo ad eum congregatos eius. [9] Omnes bestie agri uenite ad deuorandum, uniuerse bestie saltus. [10] Speculatores eius ceci omnes nescierunt ; uniuersi canes muti non ualentes latrare ; uidentes uana, dormientes et amantes sompnia ; [11] et canes impudentissimi nescierunt saturitatem ;

mei et sancti uocabuntur, *et filiis*, id est quam si multos filios generassent, Sap. II « Spado, qui non operatus est ». Et quantum ad extraneos : *Et filiis* <*aduene*>, id est dabo priuilegia in quibus Iudei gloriantur, *ut colant*, quantum ad specialem cultum, *et diligant* quasi filii *ut sint in seruos*, et glorientur in ipsius dominio, supra XIX[21] « Colent Dominum ». Et hec quidem fuerunt impleta in reuersione populi de captiuitate, sed plenius in conuersione gentium ad fidem Christi, sicut exponit Glosa.

Secundo quantum ad omnes generaliter : *omnem custodientem*. Et circa hoc duo facit. Primo ponit promissionem qua promittit sacri loci restitutionem : *in montem sanctum*, scilicet sicut supra I « Venite, ascendamus ad montem Domini » ; et quantum ad sacrificiorum acceptationem : *holocausta*, Mal. III[4] « Placebit Deo sacrificium Iude et Ierusalem ». Secundo ponit expletionis ordinem, et primo quantum ad templi uenerationem : *quia domus mea*, II Mach. III[12] « Templum per uniuersum », Io. II et Matth. XXI[13] « Domus mea domus orationis uocabitur » ; secundo quantum ad populi congregationem : *Ait Dominus* ; ad eum, *Israel, congregat* gentes ei adherentes, Ps. « Edificans Ierusalem Dominus dispersiones Israelis congregabit ».

Nota super illo uerbo *et dabo nomen melius*, quod sancti habent nomen primo ex predestinatione, supra XLIX[1] « Dominus ab utero uocauit me » ; secundo ex diuina adeptione, I Io. III[1] « Videte qualem dilectionem uel caritatem dedit nobis Deus Pater, ut filii Dei nominemur et simus » ; tertio ex gratie infusione, Apoc. II « Nomen habes et tenes nomen meum » ; quarto ex mentis renouatione, eodem « Dabo calculum ».

Item nota quod nomen Dei est diligendum primo quia magnum ad timendum, Mal. I[11] « Magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus » ; secundo quia sanctum ad uenerandum, Luce I[49] « Fecit michi magna qui potens est et sanctum nomen eius » ; tertio quia dulce ad meditandum, supra XXVI[8] « Nomen tuum et memoriale tuum in desiderio anime » ; quarto quia copiosum ad miserendum, Cant. I[2] « Oleum effusum nomen tuum » ; quinto quia efficax ad impetrandum, Io. XV[16] « Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det uobis » ; sexto quia uirtuosum ad saluandum, Act. IV[12] « Non est aliud nomen sub celo in quo oporteat nos saluos fieri » ; septimo quia occultum ad sciendum, Prou. XXX[4] « Quod nomen eius ».

Omnes bestie agri. Hic comminatur contempnentibus salutis defectum. Et primo designat occisionis penam : *Omnes bestie, ad deuorandum* eorum cadauera, Ez. XXXIX[17] « Dic omni uolucri, uniuersis ». Secundo ponit culpam. Et primo prelatorum quantum ad defectum in regimine et preuisione periculorum : *Speculatores*, positi sunt enim prelati ad cauendum populo a periculis, sicut speculator ab hostibus ; *nescierunt* pericula preuidere, Matth. XV[14] « Sinite illos : ceci sunt duces cecorum » ; in correptione uitiorum : *uniuersi canes, latrare* contra uitia, Ps. « Ego autem tamquam surdus non audiebam, et sicut mutus non aperiens os suum » ; in admonitione agendorum : *uidentes uana*, promittentes eis prospera cum imminerent aduersa, et ita in peccatis nutrientes, Ez. XXII[28] « Prophete eius liniebant eos » ; in spoliatione rerum : *et canes impudentissimi*, quasi sine aliquo pudoris freno subditos bonis suis spoliantes et numquam satiantur, Ps. « Famen

70 Sap. ...est F] *om. cet.* 72 < aduene > *suppl.*] *om. codd.* 75 supra...Dominum F] *om. cet.* 82 qua F] quam *cet.* 83 scilicet sicut F] *om. cet.* 86 Deo] domino Fπ 89 II Mach. ...uniuersum F] *om. cet.* 94 dispersiones] -nis F *dub.* Bo 96 dabo sBo] dabimus *cet.* 99 adeptione *codd.*] *an legendum* adoptione? 101 nominemur] -emus Bo 109 qui[quia Bo 111 meditandum] medicandum Fπ 124 Ez. ...uniuersis F] *om. cet.* 127 sunt enim *inv.* Fπ 138 impudentissimi] impii F impii deterrimi π

70 Sap. II : rectius III[14]. 79 *Glossa interlin.* 83 supra I : rectius II[8]. 90 Cf. Ioh. II[16]. 93 Ps. CXLVI[2]. 96 Cf. vers. 5. 102 Nomen...meum : conflatum ex Apoc. III[1] et II[13] ; cf. *Praef.* § 36. 104 eodem : Apoc. II[17]. 132 Ps. XXXVII[14]. 140 Ps. LVIII[7].

ipsi pastores ignorauerunt intelligentiam. Omnes in uiam suam declinauerunt, unusquisque ad auaritiam suam, a summo usque ad nouissimum. [12] Venite, sumamus uinum et impleamur ebrietate ; et erit sicut hodie sic et cras et multo amplius.

patientur ut canes » ; et quantum ad defectum in scientie perfectione : *ipsi pastores*, *intelligentiam* legis et prophetarum, Prou. I[5] « Intelligens gubernacula possidebit », Ps. « Nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant ».

Secundo culpam subditorum uel communiter omnium. Et primo quantum ad propriam uoluntatem, quod pertinet ad superbiam : *Omnes in uiam suam*, Ier. XVI[12] « Vnusquisque ambulat » ; secundo quantum ad eorum cupiditatem, quod pertinet ad auaritiam : *unusquisque*, Ier. VIII[10] « A minimo usque ad maiorem omnes auaritie student » ; tertio quantum ad uoluptatem, quod pertinet ad carnis concupiscentiam : *Venite, et erit*, id est si *hodie* letamur in talibus, *cras multo amplius*, supra XXII[13] « Et ecce gaudium et letitia, occidere uitulos et iugulare arietes, comedere carnes et bibere uinum ».

149 ambulat π] -ulabat *cet.* 151 unusquisque] et erit id est si hodie letamur in talibus cras multo amplius (*cf. infra lin.* 155) *add.* pBo 152 auaritie student] avaritiam sequuntur *Clem.*

143 legis et prophetarum : Hugo et *Glossa interlin.* ex Haym. (1011 A). 144 Ps. LXXXI[5]. 152 ad maiorem...student : ex Ier. VI[13].

CAPITVLVM LVII

[1] Iustus perit, et non est qui recogitet in corde suo ; et uiri misericordie colliguntur, quia non est qui intelligat ; a facie enim malitie collectus est iustus. [2] Veniat pax ; requiescat in cubili suo qui ambulauit in directione sua. [3] Vos autem accedite huc, filii auguratricis, semen adultere et fornicarie. [4] Super quem lusistis? super quem dilatastis os et eiecistis linguam? Nunquid non uos, filii scelesti, semen mendax? [5] qui consolamini in diis subter omne lignum frondosum, immolantes paruulos in torrentibus subter imminentes petras. [6] In partibus torrentis pars tua, hec est sors tua, et ipsis effudisti libamen, obtulisti sacrificium.

Iustus perit. Hic ostendit diuersitatem obedientium diuinis consiliis ab illis qui non obediunt, quantum ad euasionem periculorum. Et primo assignat diuersitatem, secundo ponit utriusque partis confirmationem : *Qui autem habet fiduciam.* Circa primum duo : primo promittit iustis a periculis quietem, secundo aufert impiis euasionis spem : *Vos autem accedite.*

Circa primum duo facit. Primo ponit iustorum tribulationem, quia sine aliqua reputatione occiduntur : *colliguntur*, a presenti uita, et a terra sua captiui, ac si non essent iusti, *a facie malitie*, id est a presentia malorum, Abacuc I[13] « Quare respicitis contemptores? » ; uel *a facie malitie*, id est ne in malitiam mutarentur, Sap. IV[11] « Raptus est, ne malitia mutaret cor eius ». Secundo promittit eis quietem : *ueniet pax* ; *in cubili*, id est in domo sua securus erit, uel in quiete cordis sui, Iob V[24] « Scies quoniam pacem habeat habitaculum tuum».

Vos autem accedite. Hic aufert iniustis euasionis spem. Et primo arguit ipsorum culpam, secundo aufert euasionis fiduciam : *Ego autem annuntiabo.* Circa primum duo : primo arguit peccati peruersitatem, secundo in peccato obstinationem : *In multitudine.* Circa primum duo. Primo arguit in eis blasphemiam, ponens peccati consuetudinem inquantum in hoc patres suos imitantur : *filii auguratricis*, que contra meum preceptum auguriis intendebat, *adultere*, inquantum me derelicto ydolis adherebat, Osee II[2] « Iudicate matrem uestram, iudicate ». Ponens etiam peccati speciem : *Super quem lusistis?*, quasi dicat : super Deum, blasphemantes ipsum, supra XXVII « Cui exprobrasti ».

Secundo arguit in eis ydolatriam. Et primo ponit consuetudinem : *Numquid non*, supra I[4] « Ve genti peccatrici, populo nequam, filiis sceleratis » ; secundo ponit peccati speciem : *qui consolamini.* Aggrauat autem in eis peccatum ydolatrie ex tribus : primo ex locorum diuersitate ; secundo ex diuini federis uiolatione : *quia iuxta me* ; tertio ex peccandi auiditate : *Dilexisti stratum.* Diuersitas autem locorum in quibus sacrificabant ostenditur tripliciter : primo quantum ad loca amena ; secundo quantum ad loca sublimia : *Super montem* ; tertio quantum ad loca familiaria : *Et post ostium.*

Circa primum quatuor. Primo describit locorum amenitatem, uel ex umbris arborum : *quia consolamini*, Ier. II[20] « Sub omni ligno frondoso tu prosternabaris meretrix » ; uel ex ubertate aquarum : *immolantes paruulos*, id est filios tuos, Ez. XVI[20] « Tulisti filios tuos et filias tuas quas generasti michi, et immolasti eis ad deuorandum », Ps. « Effuderunt sanguinem ». Secundo peccati dilectionem : *In partibus torrentis pars*, quasi : hoc sortem tuam reputasti, Sap. II[9] « Vbique relinquamus signa letitie nostre : quoniam hec est pars nostra ». Tertio sacrificii oblationem : *et ipsis effudisti libamen*, quantum ad humida, *sacrificium*, quantum ad sicca, supra I[29] « Confundimini ab

6 duo] fa<cit> *add.* F 13 respicitis] -cietis π respicis *Clem.* 14 malitie *coni.*] mea *codd.* 15 mutarentur] immutarentur F 16 cor] intellectum *Vulg.* 19 quoniam...habitaculum] quod...tabernaculum *Vulg.* 22 autem *om. Vulg.* 23 duo] facit *add.* Fπ 25 duo] facit *add.* Fπ 29 intendebat] -bant Bo ydolis F] *om. cet.* 33 supra...exprobrasti(-tis F) F] *om. cet.* 46 ostium *Vulg.*] hostium *codd.* 48 quia] *sic codd.; sed vide lin. 38* 50 prosternabaris] -naberis Fπ -nebaris *Clem. et* Ω 54 Ps. ...sanguine F] *om. cet.* 55 dilectionem] delectationem F pars] p̄s. π *om.* F 59 effudisti F] -stis *cet.* 60 Confundimini] -demini F -dentur *Vulg.* (*cf. supra* 1, 823)

5 Vers. 13. 8 Vers. 8. 14-16 uel...mutaret : cf. Hugo. 22 Vers. 12. 25 Vers. 10. 33 supra XXVII : rectius XXXVII[22]. 54 Ps. CV[32].

Nunquid super hiis non indignabor? [7] Super montem excelsum et sublimem posuisti cubile tuum et illuc ascendisti ut immolares hostias. [8] Et post ostium et retro postem posuisti memoriale tuum. Quia iuxta me discooperuisti et suscepisti adulterum, dilatasti cubile tuum et pepigisti cum eis fedus. Dilexisti stratum eorum manu aperta, [9] et ornasti te regi unguento et multiplicasti pigmenta tua, et misisti legatos tuos procul et humiliata es usque ad inferos. [10] In multitudine uie tue laborasti, nec dixisti : Quiescam. Vitam manus tue inuenisti, propterea non rogasti. [11] Pro quo sollicita timuisti quia mentita es. Et mei non es recordata, neque cogitasti in corde tuo quia ego tacens et quasi non uidens, et mei oblita es. [12] Ego annuntiabo iustitiam tuam, et opera tua non proderunt tibi. [13] Cum clamaueris, liberent te congregati tui ; et omnes eos auferet uentus, tollet aura. Qui autem fiduciam habet mei hereditabit terram et possidebit montem sanctum meum. [14] Et dicam : Viam facite, prebete iter,

ydolis » uestris. Quarto iustam Dei indignationem : *Numquid*, Ier. v[29] « Numquid non super hiis uisitabo? dicit Dominus ».

Super montem. Hic ponit loca sublimia in quibus immolabant : *cubile* ; loquitur ad similitudinem meretricis que se amatoribus prostituit, IV Reg. xvii[10] « Fecerunt sibi statuas », et fornicati sunt in eis.

Et post ostium. Hic designat loca familiaria, quia iuxta introitum domorum ydola ponebant ut in magna memoria haberent, Ez. viii[3] « Adduxit me in uisione ».

Quia iuxta me. Hic aggrauat peccatum ex diuini federis uiolatione quo Deo quasi sponsa coniuncta erant. Et loquitur sub similitudine adultere que ampliat lectum ut iuxta uirum adulterum suscipiat, et cum eo facit pactum de contrahendo, dimisso uiro ; in quo significatur quod in templo ydola coluit, Ez. xvi[31-32] « Facta es quasi mulier adultera que super uirum suum inducit alienos ».

Dilexisti. Hic aggrauat peccatum ex peccandi sollicitudine. Et primo quantum ad pronitatem peccandi : *manu aperta*, id est sine aliquo impedimento, Ier. iii[3] « Frons meretricis facta est ei, noluit erubescere », Ez. xiii « Nec sic es satiata ». Secundo quantum ad studium placendi, quia ornabat se : *et ornasti te*, id est tymiama meum proponens in eorum cultum, Prou. viii « Aspersisti cubile tuum tymiama ». Tertio quantum ad sollicitudinem inuitandi : *misisti legatos*, quia etiam a longinquis terris diuersa ydola congregabat, et sic *usque ad inferos*, id est usque ad profundum peccatorum, Ez. xxii « Insaniuit super eos ».

In multitudine. Hic ostendit in peccatis obstinationem. Primo quia non reuocabantur peccati labore : *In multitudine*, id est in multiplici cultu ydolorum, Sap. v[7] « Lassati sumus in uia iniquitatis et perditionis ». Secundo quia non reuocabantur temporali prosperitate : *Vitam manus*, id est ad manum habebas unde posses uiuere, et ideo *non rogasti* me, sed *sollicita* pro diuitiis tuis ydola *timuisti*, mei oblita, Iob xxi[13] « Ducunt in bonis dies suos et in puncto ad inferna descendunt ». Tertio quia non es reuocata diuina expectatione : *Et mei non es ; tacens*, dissimulans, expectans te ad misericordiam, Sap. v « Dissimulans peccata propter penitentiam », supra xlii[14] « Tacui, semper silui ».

Ego autem annuntiabo iustitiam tuam, quam facis uel quam suscipere debes ; *opera*, ydola : qui confidunt in ydolis, opera eorum *non proderunt* eis ; *congregati*, ex diuersis gentibus, Deut. xxxii[38] « Surgant et opitulentur uobis et in necessitate uos protegant ».

Qui autem. Hic confirmat diuersitatem. Et primo quantum ad iustos, secundo quantum ad iniustos : *Impii autem*. Euasionem autem bonorum a periculis confirmat ex tribus. Primo ex diuina mansuetudine, promittens euasionem quantum ad patrie restitutionem : *terram* promissionis, Ps. « Mansueti autem hereditabunt terram ». Et quantum ad uie expeditionem : *Et dicam*, scilicet principibus Medorum : *Viam facite*, liberando, *prebete iter*,

69 ostium *Vulg.*] hostium *codd.* 72 uisione] *spat. vac. add.* Bo 74 quo Deo *coni.*] quodam Bo F quondam π sponsa] -sam Bo 84 ei noluit] tibi noluisti *Vulg.* 85 Ez. ...satiata F] *om. cet.* 93 Insaniuit *coni. cum Clem.*] insonuit *codd.* 94 eos] *spat. vac. add.* Bo 96 reuocabantur] -batur F 99 reuocabantur] -batur F 103 timuisti] tumuisti Bo 111-113 qui...eis *post* restitutionem(*lin.* 121) *habent codd. addendo* qui autem ; *et correximus*

70 iuxta introitum...ponebant : cf. Hugo ex Hier. (551 B ; 646-647). 75-79 sub similitudine... : cf. Hugo ex Hier. (552 A ; 647). 85 Ez. xiii : rectius xvi[28]. 88 Cf. Prov. vii[17] « Aspersi cubile meum murra ». 93 Ez. xxii : rectius xxiii[16]. 107 Sap. v : rectius xi[24]. 113-115 congregati...protegant : cf. Hugo. 118 Vers. 20. 121 Ps. xxxvi[21].

declinate de semita, auferte offendicula de uia populi mei. [15] Quia hec dicit Dominus excelsus et sublimis habitans eternitatem, et Sanctum nomen eius, in excelso et in sancto habitans, et cum contrito et humili spiritu ut uiuificet spiritum humilium et uiuificet cor contritorum. [16] Non enim in sempiternum litigabo neque usque ad finem irascar, quia spiritus a facie mea egredietur et flatus ego faciam. [17] Propter iniquitatem auaritie eius iratus sum et percussi eum, abscondi faciem meam a te et indignatus sum, et abiit uagus in uia cordis sui. [18] Vias eius uidi et sanaui eum et reduxi eum et reddidi consolationes ipsi et lugentibus eius. [19] Creaui fructum labiorum pacem, pacem ei qui longe est et qui prope, dixit Dominus, et sanaui eum. [20] Impii autem quasi mare feruens quod quiescere non potest, et redundant fluctus eius in conculcationem et lutum. [21] Non est pax, dixit Dominus Deus meus, impiis.

dando licentiam repatriandi, *declinate*, ut nos non impediatis, *auferte*, ut nec alii, Ier. L[26] « Tollite de uia lapides » ; *<in sancto habitans>*, Ps. « Tu autem in sancto habitas, laus Israel ». Et quantum ad diuinam pictatem : *et cum contrito*, Ps. « Cor contritum et humiliatum Deus non despiciet ».

Secundo assignat rationem ex culpe purgatione, promittens remissionem : *Non enim in sempiternum*, Ps. « Non in perpetuum irascetur neque in eternum comminabitur » ; et subiungens rationem, ponens expletam in puniendo iustitiam : *Propter iniquitatem* ; *abscondi*, ut non adiuuarem, *abiit uagus*, quasi ouis sine pastore, Iob XXII[5] « Propter peccata tua plurima et infinitas iniquitates tuas ». Promittens in saluando misericordiam : *Vias eius uidi*, oculo misericordie, *ipsi*, quantum ad principes, *lugentibus*, quantum ad populum ; uel *ipsi*, quantum ad Iudeos, aut quantum ad aduenas adiunctos, uel quantum ad terram et habitatores, Ps. « Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas ».

Tertio confirmat ex prophetarum prenuntiatione : *Creaui*, quasi ex nichilo eos restituens ; *labiorum*, prophetarum qui hec predixerunt, *qui longe*, in captiuitate dispersi sunt, Eph. II[17] « Et ueniens euangelizauit pacem hiis qui prope et hiis qui longe ».

Impii autem. Hic confirmat quod dixerat de malis per quandam similitudinem. Et primo ponit ipsam : *feruens*, id est semper fluctuans ; *redundant* ad litus ubi lutum faciunt et conculcantur, Iob XL « Feruescere faciet ». Et concludit propositum : *Non est pax*, ut scilicet saluentur, supra XLVII idem.

Nota super illo uerbo *Iustus perit et non est qui recogitet*, quod in passione Christi homo debet recogitare primo dilectionem, ad reamandum, Cant. VIII[6] « Pone me ut signaculum super cor tuum » ; secundo amaritudinem, ad compatiendum, Tren. III[19] « Recordare paupertatis et transgressionis mee, et absinthii et fellis » ; tertio fortitudinem, ad fortiter patiendum, Hebr. XII[3] « Recogitate eum qui talem pro uobis sustinuit a peccatoribus aduersus semet ipsum contradictionem, ut non fatigemini animis uestris deficientes » ; quarto utilitatem, ad gratias agendum, Cant. VII[8] « Ascendam in palmam, et accipiam fructus eius ».

127 < in sancto habitans > *suppl. ex Vulg.*] *om. codd.* 129 et cum] et F *om.* π 132 remissionem *coni.*] promissionem *codd.* 138 peccata tua plurima] malitiam tuam plurimam *Vulg.* 143 adiunctos F] adiutores *cet.* 155 Iob...faciet F] *om. cet.* 157 supra XLVII idem F] *om. cet.* 165 XII] XIII Fπ 166 pro uobis *om. Vulg.* 170 accipiam] apprehendam *Vulg.*

127 Ps. XXI[4]. 129 Ps. L[19]. 133 Ps. CII[3]. 140 oculo misericordie : cf. Hugo. 142 aduenas adiunctos : cf. Hugo. 144 Ps. CII[3]. 155 Iob XL : rectius XLI[25]. 157 supra XLVII : rectius XLVIII[22]. 158 Cf. vers. 1.

CAPITVLVM LVIII

[1] Clama, ne cesses, quasi tuba exalta uocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum et domui Iacob peccata eorum. [2] Me etenim de die in diem querunt et scire uias meas uolunt, quasi gens que iustitiam fecerit et que iudicium Dei sui non dereliquerit. Rogant me iudicia iustitie, et appropinquare Deo uolunt. [3] Quare ieiunauimus et non aspexisti, humiliauimus animas nostras et nescisti? Ecce in die ieiunii uestri inuenitur uoluntas uestra, et omnes debitores uestros repetitis; [4] ecce ad lites et contentiones ieiunatis et percutitis pugno impie. Nolite ieiunare sicut usque ad hanc diem ut audiatur in excelso clamor uester. [5] Nunquid tale est ieiunium quod elegi per diem affligere hominem animam suam? Nunquid contorquere quasi circulum caput suum, et saccum et cinerem sternere? Nunquid istud uocabis ieiunium et diem acceptabilem Domino?

Clama, ne cesses. Hic excludit inutile remedium quo se preparare ad salutem uolebant. Et primo indicit denuntiationis officium, ponens denuntiandi modum, ut alte, sine timore deprimente : *Clama*, supra XL[9] « Exalta in fortitudine tua uocem, qui euangelizas Syon » ; ut continue : *ne cesses*, infra <LXII[6]> « Super muros tuos Ierusalem constitui custodes, tota die et nocte non tacebunt » ; ut clare et aperte : *quasi tuba*, Osee VIII[1] « In gutture tuo sit tuba ». Et denuntiationis uerbum : *annuntia scelera*, quantum ad maiora, *peccata*, quantum ad communia, supra XVI[7] « Hiis qui letantur super muros cocti lateris, loquimini plagas suas ».

Secundo propheta excludit in persona Domini inutile remedium : *Me etenim.* Et circa hoc duo facit : primo excludit remedium in quo confidebant, secundo hortatur ad ea in quibus deficiebant : *Nonne hoc est.*

Circa primum duo. Primo ostendit confidentie eorum presumptionem quantum ad tria in quibus confidebant, scilicet in sacre scientie inquisitione : *Me etenim querunt*, in Scripturis ; *uias*, precepta et uoluntates meas ; *quasi gens*, id est ac si essent parati ad faciendum, Ez. XXXIII[30] « Dicunt unus ad alterum ». Iterum in oratione : *Rogant me iudicia*, id est ut iudicem pro eis contra aduersarios ; *appropinquare*, ore, supra XXIX[13] « Appropinquat populus iste ore suo ». Iterum confidebant in ieiuniorum obseruatione : *Quare ieiunauimus et non aspexisti*, quasi gratum ; *humiliauimus*, quantum ad circumstantia ieiunium, in exteriori humiliatione ; *nescisti*, scientia approbationis, Mal. III[14] « Vanus est qui seruit Deo, et quod emolumentum quia seruauimus precepta eius ? ».

Secundo ostendit bonorum dictorum reprobationem. Et primo reprobationis causam que est culpa uoluptatis : *Ecce in die*, *uoluntas*, in hiis que carni placent, Eccli. XVIII[30] « Post concupiscentias tuas non eas ». Item culpa crudelitatis : *et omnes debitores*, ad litteram, ut diu possent insistere causis agendis uel ad eius consecutiuum ; et cum culpa uanitatis : *Nolite ieiunare ut audiatur*, propter laudem hominum, Matth. VI[6] « Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio ora Patrem tuum ». Vel *ut audiatur*, id est si uultis quod oratio uestra a Deo exaudiatur, Ps. « Domine exaudi orationem meam, et clamor meus ad te perueniat ».

Secundo ostendit bonorum insufficientiam : *Numquid tale*, quia Deus non eligit per se penam uestram, neque ad afflictionem carnis, quod tangit in hoc quod dicit : *per diem* totam *affligere* ; neque quantum ad abiectionem exterioris humilitatis, quod tangit in hoc quod dicit : *quasi circulum*, scilicet caput ad pedes inclinare, uel circumducere sicut monachi faciunt, non inquantum ordinatur ad uirtutem mentis, Matth. VI[16] « Cum ieiunatis nolite fieri sicut ypocrite tristes », Ioelis II[13] « Scindite corda uestra et non uestimenta uestra ».

3 indicit] -ucit π ponit F 7 infra] supra F < LXII > *suppl.*] 42 F *om.* π *spat. vac.* Bo 20 duo] facit *add.* F 24 uoluntates] uoluptates pBo F 25 Ez. ...ad alterum(adulterum F) *scrips. cum* F] *om. cet.* 34 emolumentum] -imentum Fπ 35 quia] quod Fπ 35 seruauimus] custodiuimus *Clem.* 38 uoluntas] uoluptas Fπ 42 consecutiuum] infra.3.litigiis et bellis(*cf.* Iac. IV[2]) *add.* F 45 ostio F] hostio *ot.* 49 perueniat] ueniat *cum* Ω *Vulg.* Fπ 51 eligit] elegit Fπ

19 Vers. 6. 31 quasi gratum : *Glossa interlin.* 43 propter laudem hominum : *Glossa interlin.* 47 Ps. CI[2] sec. Psalt. romanum. 57 monachi... : cf. Hugo « sicut monachi qui faciunt ante et retro inclinationem ».

[6] Nonne hoc est magis ieiunium quod elegi : dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes, dimitte eos qui confracti sunt liberos et omne onus disrumpe. [7] Frange esurienti panem tuum et egenos uagosque induc in domum tuam, cum uideris nudum operi eum et carnem tuam ne despexeris. [8] Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, et sanitas tua citius orietur, et anteibit faciem tuam iustitia tua et gloria Domini colliget te. [9] Tunc inuocabis, et Dominus exaudiet ; clamabis, et dicet : Ecce assum. Si abstuleris de medio tui cathenam et desieris digitum extendere et loqui quod non prodest, [10] cum effuderis esurienti animam tuam et animam afflictam repleueris, orietur in tenebris lux tua et tenebre tue erunt sicut meridies. [11] Et requiem dabit tibi Dominus Deus tuus semper et implebit splendoribus animam tuam et ossa tua liberabit ; et eris quasi ortus irriguus et sicut fons aquarum cuius non deficiunt aque. [12] Et edificabuntur in te deserta seculorum, fundamenta generationis et generationis suscitabis, et uocaberis edificator sepium conuertens semitas in quietem. [13] Si auerteris a sabbato pedem tuum facere uoluntatem tuam in die sancto meo et uocaueris sabbatum delicatum et sanctum Domini gloriosum et glorificaueris eum dum non facis uias tuas et non inuenitur uoluntas tua ut loquaris sermonem,

Nonne hoc est. Hic adhibet utile consilium. Et primo quantum ad studium pietatis in proximum, secundo quantum ad cultum religionis in Deum : *Si auerteris.* Circa primum duo facit. Primo ponit pietatis consilium ut cedant calumpnie : *colligationes*, falsas causas quibus astute pauperes obligabant sicut usurarii, *fasciculos*, idem, *deprimentes*, quantum ad penas ad quas obligabant ; *qui confracti* longa seruitute, *bonus* seruitutis, Matth. XXIII[4] « Alligant honera grauia et importabilia, digito autem suo nolunt ea mouere ». Et ut intendant misericordie, exhortans ad misericordiam quantum ad famelicos : *Frange*, id est si modicum habeas ; quantum ad uagos : *et egenos* ; quantum ad nudos : *cum uideris*, Iob XXXI[16] « Si negaui quod uolebant ». Et ponit exhortationis causam : *et carnem*, quia scilicet est eiusdem speciei tecum, Iob V[24] « Visitans speciem tuam ».

Secundo ostendit consilii fructum : *Et erumpet.* Et primo quantum ad efficaciam meritorum, tum quantum ad opera uirtutum : *quasi mane lumen tuum*, scilicet merita tua clare patebunt in premiis que modo a Domino non aspecta conquereris ; *colliget* de captiuitate, uel in misericordie protectione, Ps. « Educet quasi lumen iustitiam tuam » ; tum quantum ad suffragia orationis : *Tunc inuocabis*, supra XXX[19] « Ad uocem clamoris tui statim ut audierit respondebit tibi ».

Secundo quantum ad consecutionem bonorum. Et primo resumit meritum : *Si abstuleris catenam* qua pauperes opprimis ; *digitum extendere*, detrahendo et comminando ; *cum effuderis* per compassionem, *repleueris* per necessariorum subuentionem.

Secundo promittit premium : *orietur.* Et primo quantum ad bonorum multiplicationem, ponens liberationem a malis : *orietur in tenebris*, aduersitas in lucem prosperitatis, ignorantia in lucem scientie, uel peccatum in lucem scientie mutabuntur, quantum ad spiritualia, *et requiem*, quantum ad mala temporalia, II Cor. IV[6] « Deus qui dixit de tenebris » ; multiplicationem bonorum interiorum spiritualium : *implebit splendoribus*, scilicet uirtutibus uel consolationibus, *et ossa tua*, quantum ad corporalia, Eccli. XXX[27] « Splendidum cor et bonum » ; et bonorum exteriorum : *et eris quasi ortus*, propter prosperitatem, uel omnium bonorum indeficientiam, Num. XXIV[5] « Quam pulcra tabernacula tua, Iacob ! ».

Secundo quantum ad patrie reedificationem : *Et edificabuntur*, post reditum de captiuitate ; *seculorum*, ciuitates scilicet deserte in pristinis seculis ; *suscitabis*, superedificando antiquis fundamentis, supra XLIV[26] « Qui dico Ierusalem : Habitaberis, et ciuitatibus Iuda : Edificabimini ».

Tertio quantum ad fame restitutionem : *et uocaberis edificator sepium*, id est impedimentorum peccati ; *iniquitatum*, uel *in quietem*, scilicet *semitas* peccati *in quietem conuertens*, Osee II[6] « Sepiam uias tuas spinis ».

Si auerteris. Hic ponit consilium quantum ad cultum religionis in obseruatione sabbati. Et

73 id est] etiam F 75 Iob...uolebant F] *om. cet.* 79 Et] Tunc *Vulg.* 82 merita *coni.(ex lin.* 80)] uia π uicia *cet.* 101 II Cor. ... tenebris F] *om. cet.* 105 Eccli. ...bonum F] *om. cet.* cor et bonum *coni.*] carbũ F (*def. cet.*) 118 in quietem *coni.(cf.* Hugo *in h.l.)*] in gentem *codd.* 119 uias tuas] uiam tuam π *Clem.*

64 Vers. 13. 85 Ps. XXXVI[8]. 103 scilicet...consolationibus : cf. Hugo. 118 iniquitatum : sic *Glossa interlin.* cum Ω^{MS}. uel... : cf. Hugo « Hieron. ponit hic aliam litteram...scilicet ' convertens semitas in quietem ', semitas scilicet errorum ».

14 tunc delectaberis super Domino, et sustollam te super altitudines terre et cibabo te hereditate Iacob patris tui. Os enim Domini locutum est.

primo ponit consilium : *pedem*, ne opera prohibita facias ; *uocaberis sabbatum*, id est celebrans huiusmodi sabbatum, quantum ad exercitium bonorum operum, Exo. xx[8] « Memento ut diem sabbati sanctifices ». Alia littera : *uocaueris*, et est sensus idem. Secundo ponit fructum : *tunc delectaberis*, quantum ad bona spiritualia ; *sustollam*, reducendo in terram tuam que montuosa est ; *cibabo*, quantum ad fruitionem bonorum terre, Iob xxii[26] « Tunc super Omnipotentem deliciis affluues ».

Nota super illo uerbo *Quasi tuba exalta*, quod predicatio est tuba : primo quia excitat ad uite statum, I Cor. xv[52] « Canet enim tuba et mortui resurgent incorrupti » ; secundo quia hortatur ad bellum, I Cor. xiv[8] « Si incertam uocem det tuba, quis parabit se ad bellum? » ; tertio quia nuntiat uiri incessum, supra xxvii[13] « Clangetur in tubis » ; quarto quia uocat ad consilium, Osee viii[1] « In gutture tuo sit tuba » ; quinto quia inuitat ad festum, Ps. « Buccinate in neomenia tuba ».

Item nota super illo *Si abstuleris de medio tui catenam*, quod est catena primo pietatis, Eph. ult. « Pro quo legatione fungor in catena ista » ; secundo iniquitatis, Sap. xvii[17] « Vna enim tenebrarum catena omnes erant colligati » ; tertio paupertatis, Iob xxxvii « Si fuerint uincti » ; quarto seruitutis, Ier. xviii « Catenas lignas » ; quinto carceris, Eccl. iv[14] « De carcere catenisque interdum quis egrediatur ad regnum ».

127 uocaueris] notaberis F 132 affluues *scripsi cum Vulg.*] afrueris Bo affrueris F frueris π 140 tubis] tuba *Vulg.* 142 inuitat] mutat Fπ 147 tenebrarum catena *inv.* Fπ *Vulg.*

124 uocaberis : sic legit Hugo. 133 Cf. vers. 1. 142 Ps. lxxx[4]. 144 Cf. vers. 9. 145 Eph. vi[20]. 149 Cf. Iob xxxvi[8]. 149 uincti : ita Thomas supra 48, 142 ; « Si fueris in catenis » *Vulg.* 150 Ier. xviii : rectius xxviii[10].

CAPITVLVM LIX

[1] Ecce non est abbreuiata manus Domini ut saluare nequeat, neque aggrauata est auris eius ut non exaudiat. [2] Set iniquitates uestre diuiserunt inter uos et Deum uestrum, et peccata uestra absconderunt faciem eius a uobis ne exaudiret. [3] Manus enim uestre pollute sunt sanguine et digiti uestri iniquitate ; labia uestra locuta sunt mendacium et lingua uestra iniquitatem fatur. [4] Non est qui inuocet iustitiam neque est qui iudicet uere, set confidunt in nichili et loquntur uanitates ; conceperunt laborem et pepererunt iniquitatem. [5] Oua aspidum ruperunt, et telas aranee texuerunt. Qui comederit de ouis eorum morietur, et quod confotum est erumpet in regulum. [6] Tele eorum non erunt in uestimentum, neque operientur operibus suis.

Ecce non est abbreuiata. Hic ponit preparationem ad salutem percipiendam ex parte ipsius saluantis. Et primo ponit salutis necessitatem ; secundo preparationem : *Et uidit Dominus.* Circa primum duo : primo in persona Domini necessitatem salutis ostendit, miseriam populi ostendens ; in secunda respondet populus miseriam suam recognoscens : *Propter hoc elongatum.* Circa primum duo facit : primo ostendit miserie causam, secundo ipsam miseriam : *Vastitas et contritio.*

Circa primum duo. Primo excludit causam falsam, uel ex defectu uirtutis Dei, uel ex defectu cognitionis ipsius quia preceps non audiret : *neque aggrauata*, supra LVI « Numquid abbreuiata ». Secundo astruit causam ueram, scilicet ipsorum culpam, primo tangens ipsam in generali : *Sed iniquitates*, quantum ad maiora, *diuiserunt*, quasi murus uel nubes sint posita, *peccata*, quantum ad communia, Deut. XXXII[20] « Ait : Abscondam faciem meam ab eis ». Secundo prosequitur in speciali : *Manus enim uestre.* Et tangit specialiter peccata in proximum : peccata enim in Deum tetigerat supra LVII[3-11], et peccata in se ipsum supra LVI[11-12].

Tangit autem primo iniustitiam per quam alios opprimebant, quantum ad operationem : *Manus uestre*, *sanguine* innocentum quos occidistis ; *digiti*, quantum ad minores iniustitias, uel quantum ad diligentiam operationis, supra I[15] « Manus enim uestre sanguine plene sunt » ; quantum ad locutionem : *labia uestra locuta* ; *iniquitatem*, ut addatur iniustitie deformitas supra deformitatem mendacii, Iob VI[30] « Non inuenietis in lingua mea iniquitatem » ; et quantum ad iustitie omissionem : *Non est qui iudicet*, quantum ad prelatos quorum est iudicare, Ier. V[1] « Querite in plateis eius an inuenietis uirum facientem iudicium ».

Secundo tangit astutiam per quam decipiebant. Et primo tangit ipsam in quantum per astutiam intendebant sui promotionem : *sed confidunt in nichili*, in uanis consiliis uel in ydolis, *et loquntur*, uanitatem cordis uerbis exprimentes, Amos V « Qui confiditis in nichili » ; et inquantum per ipsam intendebant aliorum oppressionem : *conceperunt laborem*, id est ita laborare excogitauerunt uias nocendi, uel aliis laborem inducendum ; *pepererunt* in expletione operis, Ps. « Concepit dolorem et peperit iniquitatem ».

Secundo adaptat quandam metaphoram. Et primo ponit ipsam quantum ad ipsam astutiam, et quantum ad aliorum depressionem : *Oua aspidum*, id est consilia uenenosa, *ruperunt* in publico, opera scilicet perducentes, Deut. XXXII[33] « Fel draconum uinum eorum et uenenum aspidum insanabile » ; et quantum ad suam promotionem : *et telas*, id est cogitationes inutiles, ad sui promotionem, Osee VIII[6] « Quoniam in aranearum tela erit uitulus Samarie ». Ponit iterum metaphoram quantum ad effectum astutie, quantum ad primum : *Qui comederit*, consentiens factis, *de ouis*, consiliis, *confotum*, diu preparatum sollicite, *in regulum*, quasi a longinquis etiam interficiet quodammodo uolantem, supra XIV[29] « De radice colubri » ; et quantum ad secundum : *tele eorum*,

5 duo] fa<cit> *add.* F 6 populi...miseriam *bom. om.* π 7 respondet *scripsi.*] -dit Bo redd'it F (*def.* π) 11 duo] fa<cit> *add.* F 13 audiret] audit F 18 sint] sicut F 30 sanguine] *post* plene F F[1]L *post* sunt OmV 32 supra...mendacii F] *om. cet.* 43 confiditis in nichili] letamini in nichilo *Clem.* 45 laborare] labore F 63 supra...colubri F] *om. cet.*

4 Vers. 15. 8 Vers. 9. 10 Vers. 7. 14 supra LVI : rectius L[8]. 42 Cf. Amos VI[14]. 47 Ps. VII[15]. 52 consilia uenenosa : cf. *Glossa interlin.* et Hugo. 62 interficiet...uolantem : cf. *Glossa marg.* ex Haymone (1026 A).

Opera eorum opera inutilia, et opus iniquitatis in manibus eorum; [7] pedes eorum ad malum currunt et festinant ut effundant sanguinem innocentem; cogitationes eorum cogitationes inutiles. Vastitas et contritio in uiis eorum; [8] uiam pacis nescierunt, et non est iudicium in gressibus eorum; semite eorum incuruate sunt eis, omnis qui calcat in eis ignorat pacem. [9] Propter hoc elongatum est a nobis iudicium, et non apprehendet nos iustitia. Expectauimus lucem, et ecce tenebre; splendorem, et in tenebris ambulauimus, [10] palpauimus sicut ceci parietem et quasi absque oculis attrectauimus, impegimus meridie quasi in tenebris, in caliginosis quasi mortui. [11] Rugiemus quasi ursi omnes et quasi columbe meditantes gememus; expectauimus iudicium, et non est; salutem, et elongata est a nobis. [12] Multiplicate sunt enim iniquitates nostre coram te, et peccata nostra responderunt nobis, quia scelera nostra nobiscum, et iniquitates nostras cognouimus, [13] peccare et mentiri contra Dominum, et auersi sumus ne iremus post tergum Dei nostri ut loqueremur calumpniam et transgressionem; concepimus et locuti sumus de corde uerba mendacii. [14] Et conuersum est retrorsum iudicium, et iustitia longe stetit, quia corruit in platea ueritas, et equitas non potuit ingredi; [15] et facta est ueritas in obliuionem, et qui recessit a malo prede patuit.

id est sicut tele aranearum non ualent ad uestimentum ita eorum consilia ad nichil ualent eis nisi promoueantur, supra XIX[9] « Confundantur qui operantur linum plectentes et texentes qui operantur subtilia ».

Secundo exponit. Et primo quantum ad operationem : *Opera eorum inutilia* quantum ad unam partem, *opus iniquitatis* quantum ad aliam, supra LVII[12] « Opera eorum non proderunt eis ». Secundo quantum ad cogitationes : *pedes eorum*, id est affectiones, quantum ad unam partem, Prou. I[16] « Pedes eorum ad malum currunt » ; *cogitationes* quantum ad aliam, Mich. II[1] « Ve qui cogitatis inutile ».

Vastitas. Hic ostendit eis eorum miseriam. Et primo ponit miserie magnitudinem : *Vastitas*, quantum ad dampnum rerum, *et contritio* quantum ad dampnum personarum, *in uiis eorum*, id est pro uiis malis suis ab hostibus imminet eis. Secundo miserie equitatem, ut scilicet talia patiantur qualia aliis faciunt : *uiam pacis*, qua alios in pace ponerent ; *non est iudicium* rectum, et ideo *semite eorum*, id est ea que cogitauerunt, *incuruate*, id est curue eis facte sunt quia quod aliis preparabant ipsi patientur ; *omnis qui calcat* prosequendo *ignorat* scientia experimenti, Ps. « Contritio et infelicitas in uiis eorum ».

Propter hoc elongatum est. Hic populus confitetur. Et primo confitetur miseriam quantum ad hostium opprimentium iniustitiam : *elongatum est iudicium*, quia Deus non iudicat nos de nostris aduersariis : contrarium supra XLVI[13] « Prope feci iustitiam meam » ; quantum ad tribulationum angustiam, sub metaphora tenebrarum ponens ipsam tribulationis obscuritatem : *Expectauimus lucem*, diuinam consolationem ; *tenebre*, tribulationis, supra VI « Aspiciemus in terram » ; et consiliorum difficultatem : *palpauimus*, quasi nescientes quid facere, supra XLII[19] « Quis cecus nisi seruus meus ? » ; et periculorum lesionem : *impegimus meridie*, in hiis in quibus erat clara uia ad euadendum, *in caliginosis*, id est in dubiis, Iob V[14] « Per diem incurrent tenebras ».

Confitentur etiam miseriam quantum ad cordis tristitiam : *Rugiemus quasi ursi*, propter crudelitatem, *quasi columbe*, propter lasciuiam, Naum II[7] « Gementes ut columbe » ; et quantum ad salutis absentiam : *expectauimus iudicium*, pro nobis, Ier. VIII[15] « Expectauimus pacem ».

Secundo confitetur culpam. Et primo culpe manifestationem quantum ad Deum : *Multiplicate* ; *coram te*, in euidentia tua, Hebr. IV[13] « Omnia nuda et aperta sunt oculis eius » ; et quantum ad ipsum populum : *et peccata nostra responderunt* in penis, *nobiscum*, quia non satisfecimus nec correximus, supra III[9] « Agnitio uultus eorum ». Secundo peccatorum diuersitatem, contra Deum : *peccare* opere, *mentiri* locutione, *auersi* omissione ; et contra proximum locutione : *ut loqueremur calumpniam* contra proximum ; et contra legem : *transgressionem*, Matth. XV[19] « De corde exeunt cogitationes male ». Et quantum ad operationem : *conuersum iudicium* Dei ad saluandum nos ; *in platea*, in publico iniustitias faciebant ; *qui recessit*,

67 confundantur] -dentur *Vulg.* 68 qui operantur *om. Vulg.* 70 ad] eorum *add.* F 73 eorum...eis] tua...tibi *Vulg.* 100 supra... terram F] *om. cet.* 104 meridie] in *praem.* F 106 id est *om.* Bo 109 propter] per Fπ 113 Ier...pacem F] *om. cet.* 114 Confitetur] -tentur F 117 et aperta *post* sunt F 120 supra...eorum F] *om. cet.* 127 conuersum] et *praem.* F

75 affectiones : cf. *Glossa interlin.* et Hugo. 90 Ps. XIII[3]. 100 supra VI : rectius V[16].

Et uidit Dominus et malum apparuit in oculis eius, quia non est iudicium ; [16] et uidit Deus quia non est uir, et aporiatus est quia non est qui occurrat. Et saluabit sibi brachium suum, et iustitia eius ipsa confirmabit eum ; [17] indutus est iustitia ut lorica, et galea salutis in capite eius ; indutus est uestimentis ultionis et opertus est quasi pallio zeli [18] sicut ad uindictam quasi ad retributionem indignationis hostibus suis et uicissitudinem inimicis suis. Insulis uicem reddet ; [19] et timebunt qui ab occidente nomen Domini et qui ab ortu solis gloriam eius. Cum uenerit quasi fluuius uiolentus quem spiritus Domini cogit, [20] et uenerit Syon redemptor, et eis qui redeunt ab iniquitate in Iacob, dicit Dominus. [21] Hoc fedus meum cum eis, dicit Dominus : Spiritus meus qui est in te et uerba mea que posui in ore tuo non recedent de ore tuo et de ore seminis tui, dicit Dominus, amodo et usque in sempiternum.

non enim solum faciebant mala, sed nolentes facere depredabantur, Osee IV[1] « Non est misericordia », Sap. II[12] « Circumueniamus iustum, quoniam contrarius est operibus nostris ».

Et uidit Dominus. Hic ponit salutis preparationem ex parte saluantis. Et primo ponit preparationis diuine modum, loquens de Deo secundum humanum modum. Ponens ipsius compassionem : *Et uidit Dominus*, oculo misericordie, *iudicium*, alicuius saluantis ; *uir* saluans Iudeos, *aporiatus*, contristatus uel angustiatus, Ez. XXII[30] « Et quesiui de hiis uirum ». Ponens etiam armorum assumptionem : *Et saluabit sibi brachium*, id est uirtus, ut nichil contra patiatur, uel populum ad cultum suum, *iustitia confirmabit*, ut ultionem constanter exequatur ; *indutus est iustitia* : sicut enim miles confirmatur armis, ita opus suum confirmatur iustitia et proposito saluandi, Ps. « Saluauit sibi brachium », Sap. V[19] « Induet pro torace iustitiam ». Ponens etiam uindicte executionem : *Insulis*, diuersis gentibus, *uicem*, pro malis que Iudeis fecerunt, Dan. VI[26] « Timeant et paueant omnes Deum Danielis ».

Secundo ponit saluationis uel ultionis ministrum : *Cum uenerit quasi fluuius* propter magnitudinem uirtutis et fortitudinis, uel Christus minister, Ps. « Fluminis impetus letificat ciuitatem Dei ». Tertio firmitatis pactum : *Hoc fedus meum : Spiritus*, prophetie ; *seminis tui*, quantum ad alios prophetas et apostolos in quibus eius spiritus quasi hereditas per successionem seminis uadens, Ioelis II[28] « Effundam de spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii uestri et filie uestre ».

Nota super illo uerbo *iniquitates uestre diuiserunt inter uos et Deum*, quod peccatum diuidit primo a proximo per dissensionem, Luce XI[17] « Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur » ; secundo a seipso per contrariam affectionem, Osee X[2] « Diuisum est cor eorum, nunc interibunt » ; tertio a Deo per auersionem, Ier. II[13] « Me dereliquerunt fontem aque uiue et foderunt sibi cisternas dissipatas » ; quarto a regno per exheredationem, Luce XII[46] « Diuidet eum » etc. ; quinto a sanctorum collegio per dissimilitudinem, supra LVI[3] « Separatione diuidet me Dominus a populo suo ».

Item nota super illo *semite eorum incuruate*, quod est curuitas primo culpe, supra LI[23] « Incuruare ut transeamus » ; secundo miserie, Ps. « Miser factus sum ego et incuruatus sum » ; tertio tristitie, Baruc II[18] « Anima que tristis est super magnitudine mali et incedit curua » ; quarto fraudulentie, Eccli. XII[11] « Si humiliatus uadat curuus, adice animum tuum et custodi te ab illo » ; quinto iustitie, Iob IX[13] « Deus cuius ire nemo resistere potest, sub quo curuantur qui portant orbem ».

Item nota super illo *quasi fluuius uiolentus*, quod Christus est fluuius uiolentus : primo propter aquarum multitudinem, Ps. « Flumen Dei repletum est aquis » ; secundo propter amoris feruorem, Dan. VII[10] « Fluuius igneus rapidusque egrediebatur a facie eius » ; tertio propter cursus uelocitatem, Ps. « Fluminis impetus letificat ciuitatem Dei » ; quarto propter originis altitudinem, Apoc. XXI « Ostendit michi fluuium altum » etc.

130 depredabantur π] deprecabantur *cet.* Osee ... misericordia F] *om. cet.* 135 diuine] diem Bo 139 Ez. ...uirum F] *om. cet.* 146 Ps. Saluauit(-atum F)...brachium F] *om. cet.* 150 Timeant] Tremiscant *Clem.* 167 interibunt] introibunt Fπ 170-172 a regno... quinto F] *om. cet.* 176 Incuruare] -ruauerunt pBo -ruate Fπ 178 ego et incuruatus] et curuatus *Vulg.* 179 II] iii Fπ 189 repletum] impletum F 194 altum *om. Vulg.*

146 Ps. XCVII[1]. 155 Ps. XLV[5]. 162 Cf. vers. 2. 175 Cf. vers. 8. 177 Ps. XXXVII[7]. 186 Cf. vers. 19. 188 Ps. LXIV[10]. 192 Ps. XLV[6]. 194 Apoc. XXI : rectius XXII[1].

CAPITVLVM LX

[1] Surge, illuminare Ierusalem, quia uenit lumen tuum et gloria Domini super te orta est. [2] Quia ecce tenebre operient terram et caligo populos ; super te autem orietur Dominus, et gloria eius in te uidebitur. [3] Et ambulabunt gentes in lumine tuo et reges in splendore ortus tui. [4] Leua in circuitu oculos tuos et uide : omnes isti congregati sunt, uenerunt tibi ; filii tui de longe uenient, et filie tue de latere suggent. [5] Tunc uidebis et afflues, et mirabitur et dilatabitur cor tuum quando conuersa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium uenerit tibi. [6] Inundatio camelorum operiet te, dromedarii Madian et Efa ; omnes de Saba uenient, aurum et thus deferentes et laudem Domino annuntiantes.

Surge illuminare. Hic incipit ponere salutis promissionem. Et primo quantum ad prosperitatem ; secundo quantum ad iocunditatem, cap. LXI *Spiritus Domini* ; tertio quantum ad glorie honorem, cap. LXII *Propter Syon.*

Circa primum duo. Primo ponit consolationem in generali sub metaphora luminis, ponens ipsius luminis ortum : *Surge*, de pristina miseria ; *illuminare*, lumine consolationis eius resplende ; *gloria Domini*, beneficia in quibus gloriosus apparet, Baruc IV[2] « Ambula per uiam ad splendorem eius contra lumen eius ». Vel *Ierusalem*, Ecclesia, *lumen*, Dei Filius. Ponens discretionis in percipiendo lumine iudicium : *Quia ecce tenebre*, tribulationis, *populos*, Babilonis, et alios hostes ; *super te autem orietur*, quasi sol illuminans te, Sap. XVII[20] « Solis illis superposita erat grauis nox, et imago tenebrarum ». Vel *tenebre* infidelitatis et peccatorum, *populos*, infideles ; *orietur*, quasi sol iustitie, uel ad litteram ; *eius gloria*, miracula eius. Ponit etiam luminis effectum : *Et ambulabunt gentes*, ad cognitionem et deuotionem Dei, uidentes beneficia tibi a Deo data ; *in splendore ortus tui*, quasi orieris rutilans sicut stella, II Mach. III[1] « Cum sancta ciuitas ». Vel *in lumine*, fide Christi, Apoc. XX « Ambulabunt gentes ».

Secundo exequitur consolationem per partes : et primo promittit multiplicem prosperitatem, secundo iustitie obseruationem : *Et ponam.* Circa primum duo : primo ponit prosperitatis statum ; secundo restitutionis modum, quo scilicet in prosperitate restaurabuntur : *Qui sunt isti.* Circa primum tria.

Primo promittit prosperitatem quantum ad congregationem filiorum qui primo in diuersas partes per captiuitatem dispersi erant : *Leua in circuitu* ; *de latere*, de regionibus propinquis lateribus, Baruc V[5] « Surge Ierusalem et sta in excelso, et circumspice ad orientem et uide collectos filios tuos ab oriente sole usque ad occidentem ». Vel referendum est ad congregationem diuersarum gentium sub unitate Ecclesie : *filii*, in fide fortiores ; *filie*, debiliores ; *de latere* Christi in cruce aperto, unde sacramenta salutis emanauerunt ; uel *lac suggent* rudioris doctrine.

Secundo quantum ad seruitium populorum : *Tunc uidebis* ; *quando conuersa*, seruiens tibi in mercimoniis, *multitudo maris*, scilicet negotiatores maris ; *fortitudo*, reges et principes tibi pacem ministrantes et munera. Vel de conuersione gentium ad Ecclesiam, Iob XXII[26] « Tunc super Omnipotentem deliciis afflues ».

Tertio quantum ad copiam diuitiarum. Et primo quantum ad mercimonia ponens iumenta : *Inundatio*, id est habundantia ad similitudinem aque, *camelorum*, quibus mercimonia ferebantur ; in quibus, mystice, diuites ad fidem conuersi, qui portant honus diuitiarum et gibbum peccati, supra XXX[6] « Portantes super humeros » ; *dromedarii*, animal camelo minus sed uelocius, in quo gentes ad fidem uelociter conuerse ; *Madian et Effa*, regiones ultra mare talibus habundantes. Ponit etiam pretiosa mercimonia : *omnes de Saba*, ciuitas in extremis Etyopie. Quod etiam impletum est tempore Christi, Matth. II, Ps. « Reges Tharsis et insule munera offerent ».

6 duo] facit *add.* F 17 erat] erant π 24 orieris] oriens π II Mach. ...ciuitas F] *om. cet.* 25 Apoc...gentes F] *om. cet.* 30 duo] facit *add.* F 32 restaurabuntur *coni.*] -abunt *codd.* 33 tra] facit *add.* F 55-58 id est...peccati *om.* F 58 portant *coni. ex Glossa*] per Bo propter π (*def.* F) 59 supra...humeros F] *om. cet.* 59-61 dromedarii...conuerse *om.* F

18-20 Vel...miracula eius : cf. *Glossa interlin.* 25 fide...gentes : cf. Hugo. 26 Apoc. XX : rectius XXI[24]. 29 Vers. 17. 32 Vers. 8. 43 de latere... : cf. *Glossa marg.* ex Haym.(1033 D). 44 uel lac... : cf. Hugo et Haymo (1033 D). 58 portant... : *Glossa marg.* « Hi sunt divites onus divitiarum et peccatorum gibbum portantes ». 60 in quo... : *Glossa marg.* ex Haym. (1034 D). 65 Ps. LXXI[10].

[7] Omne pecus Cedar congregabitur tibi, arietes Nabaioth ministrabunt tibi, offerentur super placabili altari meo, et domum maiestatis mee glorificabo. [8] Qui sunt isti qui ut nubes uolant et quasi columbe ad fenestras suas? [9] Me etenim insule expectant et naues maris in principio, ut adducam filios tuos de longe. Argentum eorum et aurum eorum cum eis nomini Domini Dei tui et Sancto Israel, quia glorificauit te. [10] Et edificabunt filii peregrinorum muros tuos, et reges eorum ministrabunt tibi; in indignatione enim mea percussi te, et in reconciliatione mea misertus sum tui. [11] Et aperientur porte tue iugiter, die et nocte non claudentur, ut afferatur ad te fortitudo gentium et reges earum adducantur;

Secundo quantum ad munda animalia secundum quod cedebant in usum ciborum : *Omne pecus Cedar*, filius Ysmaelis, unde terra nomen habet, pecoribus habundans; *Nabaioth*, alius filius; *ministrabunt*, cedentes in usum tuum, uenditi populo qui est in te; et secundum quod cedebant in usum sacrificiorum : *offerentur super placabili*, id est in quo ego placer. Per ' altare ' significatur fides, per *arietes* duces gregis, apostoli et ecclesiarum prelati, per *pecus* simplices, Agei II[8] « Implebo domum istam ».

Nota super illo uerbo *illuminare Ierusalem*, quod Ecclesia illuminatur lumine primo sacre doctrine, Prou. VI[23] « Mandatum lucerna est et lex lux »; secundo spiritualis intelligentie, II Cor. IV[6] « Deus qui dixit lumen in tenebris splendere »; tertio gratie, I Io. I[7] « Si autem in luce ambulamus sicut et ipse est in luce, societatem habemus ad inuicem »; quarto glorie, Ps. « In lumine tuo uidebimus lumen »; quinto letitie, Tob. V[12] « Quale gaudium est michi qui in tenebris sedeo et lumen celi non uideo »; sexto diuine substantie, I Tim. VI[16] ult. « Qui solus habet immortalitatem et lucem habitat inaccessibilem ».

Qui sunt isti. Hic ostendit modum ueniendi in dictam prosperitatem. Et primo quantum ad ciuitatis restaurationem; secundo quantum ad populorum extraneorum subiectionem : *Et uenient ad te*; tertio quantum ad diuitiarum multiplicationem : *Pro ere afferam aurum*. Circa primum duo.

Primo <ponit> restaurationem ciuitatis quantum ad adunationem habitatorum, ponens ueniendi modum sub ammiratione : *ut nubes*, quia uelociter sine impedimento, *et quasi columbe ad fenestras*, id est ad foramina sua, propter idem. Vel referendum ad gentes que ad fidem uelociter conuerse sunt, Ps. « Quis dabit pennas sicut columbe, et uolabo ut requiescam ». Ponens etiam ad ueniendum auxilium quod a gentibus habuerunt : *Me etenim insule*, gentes diuerse iuxta mare et etiam remote, *expectabunt*, quasi subdite mee uoluntatis arbitrio; *a principio* loci in quo captiui detinentur, quia forte aliqui per mare redierunt, uel Dominus sic eos reducere poterat. Vel mystice *insule*, diuerse gentes; *naues*, ecclesie; *in principio* fidei, supra XLII[4] « Legem eius insule ». Ponens etiam uenientium thesaurum quem secum detulerunt : *Argentum*; *nomini*, id est ad gloriam et seruitium nominis, Ps. « Eduxit eos cum argento et auro ». Mystice *argentum*, eloquentia; *aurum*, sapientia conuersorum ad fidem.

Secundo ponit restaurationem ciuitatis quantum ad edificationem murorum : *Et edificabunt*; et primo quantum ad edificia ciuitatis, secundo quantum ad edificia templi : *Gloria Libani*. Circa primum duo. Primo ponit ciuitatis reedificationem : *Et edificabunt*, prebendo auxilium; *reges*, Cyrus et Darius, prebendo impensas et licentiam edificandi. Mystice : gentiles ecclesias Dei edificant et reges Ecclesie seruiunt, supra XLIX[7] « Reges uidebunt ». Et adiungit rationem ex diuina miseratione : *in indignatione percussi*, captiuaui; *misertus*, liberando. Mystice : *percussi* per excecationem Iudeorum, uel tribulationibus; *misertus* per conuersionem gentium, uel in pace Ecclesie restituta, supra LIV[8] « In momento indignationis abscondi parumper faciem meam ».

Secundo ostendit ciuitatis reedificate securitatem : *Et aperientur*, cessante timore hostium, et propter necessitatem uenientium ad adorandum in Ierusalem; et hoc est *ut afferatur*. Mystice : *porte*, ministri qui alios in fidem et Ecclesiam

70 Nabaioth] -aioh Bo nabacht π 71 ministrabunt] -bant Fπ 73 offerentur *scripsi*.] offertur *codd.* 83 I] infra Fπ(-V) 94 uenient *coni.*] ueniet *codd.* 96 duo] f<acit> *add.* F 97 <ponit> *suppl.*] *om. codd.* 111 supra...insule F] *om. cet.* XLII *scripsi*.] 16 F (*def. cet.*) 112 uenientium F] -entis *cet.* 122 duo] fa<cit> *add.* F 126 supra...uidebunt F] *om. cet.* 131 Ecclesie restituta *coni.*] eccl̄ uel restitura F ecclesias(ecc̄. Bo) restitutas *cet.* 132 indignationis *coni.*] -ones *codd.* 137 afferatur] -antur F auferatur π aufferatur Bo

69 filius...habet : *Glossa marg.* ex Haym. (1035 B). 78 Cf. vers. 1. 85 Ps. XXXV[10]. 88 I Tim. VI[16]. 94 Vers. 14. 96 Vers. 17. 103 Ps. LIV[7]. 110 Vel...fidei : *Glossa interlin.* ex Haym. (1036 B). 114 Ps. CIV[37]. 115 Mystice... : cf. *Glossa interlin.* 121 Vers. 13. 129 Mystice... : potius ' ad litteram ' sec. Hugonem, Glossam et Haymonem (1036 C). 129-131 Mystice...gentium : cf. Hugo. 137-140 Mystice...ad fidem : cf. *Glossa interlin.* ex Haym. (1037 A).

12 gens enim et regnum quod non seruierit tibi peribit, et gentes solitudine uastabuntur. 13 Gloria Libani ad te ueniet, abies et buxus et pinus simul ad ornandum locum sanctificationis mee, et locum pedum meorum glorificabo. 14 Et uenient ad te curui filii eorum qui humiliauerunt te, et adorabunt uestigia pedum tuorum omnes qui detrahebant tibi, et uocabunt te ciuitatem Domini Syon Sancti Israel. 15 Pro eo quod fuisti derelicta et odio habita, et non erat qui pertransiret, ponam te in superbiam seculorum, gaudium in generationem et generationem. 16 Et sugges lac gentium, et mamilla regum lactaberis, et scies quia ego Dominus saluans te et redemptor tuus, Fortis Iacob. 17 Pro ere afferam aurum et pro ferro afferam argentum et pro lignis es et pro lapidibus ferrum. Et ponam uisitationem tuam pacem et prepositos tuos iustitiam. 18 Non audietur ultra iniquitas in terra tua, uastitas et contritio in terminis tuis ; et occupabit salus muros tuos, et portas tuas laudatio. 19 Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lune illuminabit te ; set erit tibi Dominus in lucem sempiternam et Deus tuus in gloriam tuam.

introducunt, parati in prosperis et aduersis ad recipiendum conuersos ad fidem, Apoc. xx « Porte eius non claudentur ». Et assignat rationem : *gens enim*. Hoc non uidetur impletum ad litteram, nisi intelligatur illos Iudeos fuisse qui eius dominium recognoscebant et propterea a populo Dei uenerabantur ; sed mystice sensus patet. Ier. xxvii[8] « Gens et regnum ».

Gloria Libani. Hic ponit reedificationem edificiorum templi : *Gloria Libani*, que est *abies* ; *locum*, scilicet templum, *pedum*, in quo adoratio, sicut reges ad pedes, Ez. xliii[7] « Locus solii mei ». Mystice : per *locum*, Ecclesia ; per diuersas arbores, diuersi fideles conuersorum ad fidem.

Et uenient. Hic ostendit modum consequendi dictam prosperitatem quantum ad subiectionem populorum. Et primo ponit ipsam subiectionem : *Et uenient ad te*, quod impletum est temporibus Machabeorum, qui multos de uicinis hostibus subiugauerunt. Mystice : filii tyrampnorum quondam Ecclesiam persequentium Ecclesie famulantur, Ps. « Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum », supra i[26] « Post hoc uocaberis ».

Secundo ponit subiectionis rationem : *Pro eo quod fuisti*, iustum est ut post angustias consoleris ; *in superbiam*, altitudinem, *seculorum*, per multa secula. Quod etiam mystice Ecclesie conuenit ; Tob. ii « Post tempestatem tranquillum facit ».

Tertio ponit subiectionis utilitatem : *Et sugges*, id est pinguedo terre ad te in mercimoniis deferetur et oblationibus ; *mamilla*, defensione et auxilio ; *regum*, Tyri, Dan. iv. Per *lac*, mystice, simplicium doctrina, per 'reges' apostoli, supra xlix[23] « Erunt reges nutritii tui ».

Pro ere. Hic ponit modum restaurationis quantum ad restaurationem diuitiarum : quia multo maiora a regibus templo offerentur quam per Nabuchodonosor ablata sint. Mystice : qui prius erant uiles, in Ecclesia efficiuntur pretiosi, supra xli « Pro saliunca orietur ».

Et ponam. Hic promittit iustitie obseruationem. Et primo in prelatis, secundo in subditis : *Et complebuntur*. Circa primum duo. Primo consolatur eos ex prelatorum rectitudine, tangens iustitiam prelatorum : *uisitationem*, uisitatores et correptores. Mystice de Christo et apostolis, Ier. iii[15] « Dabo tibi pastores ». Ponens etiam iustitie effectum quantum ad absentiam malitie : *Non audietur iniquitas*, quia per aliquod tempus leges optime obseruabantur, II Mach. iii[1] ; uel *iniquitas*, ydolatria. Mystice, ad statum future beatitudinis, Ps. « Quantum distat ortus ab occidente, longe fecit a nobis iniquitates nostras ». Et quantum ad absentiam miserie : *Vastitas*, quantum ad agros ; *contritio*, quantum ad homines, ab hostibus sic collisos ; *portas*, in quibus populus conueniebat ad iudicia. Hoc etiam mystice ad statum future beatitudinis, quando, licet sol multo clarior sit quam modo et luna, tamen non sanctis, quia eorum splendore non egent, Apoc. xx « Tunc non egent splendore solis ».

145 mystice] misticus F 146 Ier....regnum F] *om. cet.* 150 Ez. ...mei F] *om. cet.* 158 subiugauerunt] -rant Fπ 171 Dan. iv F] *om. cet.* 171 Per lac] plac Fπ 174 modum restaurationis *inv.* F 177 ablata F V] oblata *cet.* 180 promittit] -ttitur pBo π obseruationem] -atio pBo π 182 duo] facit *add.* F 184 correptores] ctores Fπ 186 tibi] uobis *Clem.* 190 ydolatria *coni.*] ydolis F ydol' *cet.* 193 agros *coni.*] eos *codd.* 195 collisos *scripsi.*] -isi *codd.*

140 Apoc. xx : rectius xxi[25]. 151 Mystice... : cf. *Glossa marg.* 160 Ps. cix[1]. 167 Tob. ii : rectius iii[22]. 171 Dan. iv : non repertus. 171 Per lac... : *Glossa interlin.* ex Haym. (1039 B). 178 supra xli : rectius lv[13] « Pro saliunca ascendet abies ». 181 Vers. 20. 191 Ps. cii[11]. 199 Apoc. xx : cf. xxi[23] ad sensum : « Et ciuitas non eget sole ».

[20] Non occidet ultra sol tuus, et luna tua non minuetur, quia Dominus erit in lucem sempiternam. et complebuntur dies luctus tui. [21] Populus autem tuus omnes iusti, in perpetuum hereditabunt terram, germen plantationis mee opus manus mee ad glorificandum. [22] Minimus erit in mille, et paruulus in gentem fortissimam. Ego Dominus, in tempore eius subito faciam istud.

Ponit etiam gubernantis eternitatem : *Non occidet sol* qui est Deus, Ps. « Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient ».

Et complebuntur. Hoc quantum ad statum subditorum. Et primo ponit tristitie cessationem : *Et complebuntur* ; *luctus*, captiuitas. Mystice, in futura beatitudine, Apoc. xx « Absterget Deus omnem lacrimam ab oculis sanctorum », supra xxv[8] « Aufert lacrimam ». Secundo ponit iustitie obseruationem : *Populus autem* ; *ad glorificandum* me, supra xvii « Omnem qui inuocat nomen meum ». *In perpetuum*, quandiu in iustitia permanent ; sed mystice planum est de sanctis beatis. Tertio seminis multiplicationem : *Minimus*, id est ex uno tot per successionem nascentur, sicut ex Abraam una gens. Mystice, unus de Ecclesia *in gentem* preficietur in prelatum, Ps. « Iudicabunt sancti in nationibus ». *In tempore eius*, id est Christi, uel prefinito tempore ; *subito*, quasi non preuisum istud totum quod dictum est.

Nota super illo uerbo *Qui sunt isti qui ut nubes et quasi columbe*, quod apostoli dicuntur nubes primo propter terre fertilitatem, scilicet ex pluuia, Iob xxxvii[11] « Frumentum desiderant nubes » ; secundo propter luminis diffusionem, eodem « Nubes spargunt lumen suum » ; tertio propter motus uelocitatem, eodem « Que lustrant cuncta per circuitum » ; quarto propter diuine uoluntatis impletionem, eodem « Quocumque uoluntas gubernantis duxerit ».

Item dicuntur columbe primo propter cordis compunctionem ; Naum ii[7] « Gementes ut columbe » ; secundo propter uite simplicitatem, Matth. x[16] « Estote prudentes sicut serpentes et simplices sicut columbe », tertio propter contemplationis altitudinem uel uelocitatem, Ps. «Quis dedit michi pennas sicut columbe et uolabo ut requiescam » ; quarto propter conscientie puritatem, Cant. v[12] « Oculi tui sicut columbe », Cant. « Oculi tui columbarum ».

206 captiuitas] -tatis Fπ 208 supra xxv(29 F)...lacrimam F] *om. cet.* 216 in gentem *coni. cum Vulg.*] unigeniti *codd.* 220 istud] illud π *om.* F

202 Ps. ci[28]. 207 Apoc. xx : rectius xxi[4]. 211 supra xvii : rectius xliii[7]. 217 Ps. : forsan respiciebatur Sap. iii[7-8] « Iusti... iudicabunt nationes ». 218 eius...tempore : *Glossa marg.* ex Haym. (1042 A). 221 Cf. vers. 8. 227 eodem : vers. 12. 236 Ps. liv[7]. 240 Cant. iv[1].

CAPITVLVM LXI

[1] Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me Dominus. Ad annuntiandum mansuetis misit me ut mederer contritis corde et predicarem captiuis indulgentiam et clausis apertionem, [2] et predicarem annum placabilem Domino et diem ultionis Deo nostro, ut consolarer omnes lugentes, [3] ut ponerem consolationem lugentibus Syon et darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu meroris. Et uocabuntur in ea fortes iustitie plantatio Domini ad glorificandum ; [4] et edificabunt deserta a seculo et ruinas antiquas erigent, et instaurabunt ciuitates desertas et dissipatas in generationem et generationem ; [5] et stabunt alieni et pascent pecora uestra, et filii peregrinorum agricole et uinitores uestri erunt.

Spiritus Domini super. Hic promittit populo iocunditatem. Et diuiditur in duas partes : in prima gaudium promittit ; in secunda populus promissionem suscipit et gratias agit, ibi *Gaudens gaudebo in Domino*. Circa primum duo : primo officium ad annuntiandum gaudium accipit ; secundo gaudii rationem seu materiam predicit : *Et uocabuntur*.

Circa primum duo. Primo tangitur prophetie donum : *Spiritus Domini super me*, Ysaiam ; *unxerit*, replens munere prophetie, I Petri I « Non enim uoluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati locuntur sancti Dei homines ». Vel de Christo, de quo supra XI[2] « Requiescet super eum spiritus Domini », et in Ps. « Vnxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis pre consortibus tuis », Luce IV[21] « Hec scriptura hodie ».

Secundo tangitur prophete uel Christi actus, qui est duplex : bonis predicere premia : *Ad annuntiandum*, Iac. I[21] « In mansuetudine suscipite insitum uerbum quod potest saluare animas uestras » ; et miseris conferre remedia, quantum ad illos qui sunt pusillanimitate dciecti : *ut mederer*, consolando, uel peccata remittendo si de Christo, Ps. « Qui sanat contritos corde, et alligat contritiones eorum » ; et quantum ad illos qui erant captiuitate detenti, quibus annuntiat liberationis beneficium : *et predicarem captiuis*, ad litteram, uel sub dyabolo et propriis erroribus, supra XLIX[9] « Vt diceres hiis qui uincti sunt : Exite » ; et liberationis tempus : *et predicarem annum placabilem*, quantum ad liberationem Iudeorum, *ultionis* quantum ad Caldeos ; uel tempus gratie, in quo de dyabolo ultionem accipit eius potestatem reprimens, Io. XII[31] « Nunc iudicium est mundi, nunc princeps mundi huius eicietur foras », Ps. « Benedices corone » et Ps. « Quoniam uenit tempus ».

Et quantum ad eos qui sunt ttistitia absorpti, quibus annuntiat gaudium : *ut consolarer omnes*, generaliter, *ut ponerem*, specialiter, Eccli. XLVIII[27] « Spiritu magno uidit ultima » ; et gaudii signum, dum signa tristitie uertuntur in signa letitie, et hoc est : *et darem eis*, supra XXVIII[5] « In die illa erit Dominus corona glorie ».

Et uocabuntur. Hic predicit gaudii materiam. Et primo quantum ad edificiorum reparationem, ponens reedificantium condicionem : *uocabuntur in ea*, scilicet Ierusalem, precepto et permissione Cyri, *fortes iustitie*, ad faciendum iustitiam constantes, non commoti comminationibus aduersatiorum ; uel apostoli, Eccli. XXXIX[17] « Quasi rosa plantata ». Et edificiorum reparationem : *et edificabunt*, predicti uiri, uel apostoli, supra LVIII[12] « Et edificabuntur in te deserta seculorum ».

Secundo quantum ad possessionum conseruationem : *et stabunt alieni*. Hoc ad litteram potuit impleri ut aliqui aduene in hiis uilibus seruitiis occuparentur, sicut de Gabaonitis, Osee IX

5 duo] facit *add.* F 6 accipit *om.* F 8 uocabuntur *scripsi*.(*cf. infra* 47)] -bitur *codd.* 9 duo] facit *add.* F 11 unxerit] unxit π non ierit F 14 de quo *om.* Fπ 17 Luce...hodie F] *om. cet.* 25 mederer F] -ret *cet.* 26 et...eorum] etc. π 29 predicarem] -are pBo π 31 uincti F] uicti *cet.* 38 Ps...Ps. ...tempus F] *om. cet.* 45 die illa F] *inv. cet.* 50 ea π] eia *cet.* 53 Eccli. ...plantata F] *om. cet.* 60 Osee...usus F] *om. cet.*

4 Vers. 10. 7 Vers. 3. 11 I Petri : rectius II Petri 1^{21}. 16 Ps. XLIV[8]. exultationis : sic Hebr. 1^{2} et Psalt. Veronense ; « letitie » Ω *Vulg.* ut infra lin. 78. 26 Ps. CXLVI[8]. 30 uel... : *Glossa interlin.* ex Haym. (1042 D). 33 placabilem...Caldeos : cf. Hugo. 34 uel... : *Glossa interlin.* 38 Ps. LXIV[12]. Ps. CI[14]. 60 Osee IX : rectius Iosue IX^{21}.

[6] Vos autem sacerdotes Domini uocabimini, ministri Dei nostri, dicetur uobis. Fortitudinem gentium comedetis et in gloria eorum superbietis. [7] Pro confusione duplici uestra et rubore laudabunt partem eorum; propter hoc in terra sua duplicia possidebunt. Letitia sempiterna erit eis. [8] Quia ego Dominus diligens iudicium et odio habens rapinam in holocaustum, et dabo opus eorum in ueritate et fedus perpetuum feriam eis. [9] Et scietur in gentibus semen eorum et germen eorum in medio populorum; omnes qui uiderint eos cognoscent illos quia isti sunt semen cui benedixit Dominus. [10] Gaudens gaudebo in Domino, et exultabit anima mea in Deo meo,

« Vivant et in usus »; uel mystice : gentiles predicatores, *pecora* : simplices Ecclesie, et custodiunt et excolunt ipsam Ecclesiam meritis et doctrinis.

Nota super illo uerbo *unxerit me*, quod Christum ungit Deus Pater, primo oleo sacerdotalis dignitatis quasi sacerdotem ad sacrificia offerendum, Eccli. XLV[18] « Vnxit eum oleo sancto »; secundo regalis potestatis quasi regem ad gubernandum, II Reg. XII[7] « Ego te unxi regem » et principem populi mei; tertio immense fortitudinis quasi pugilem ad pugnandum, II Reg. I[19, 21] « Quomodo abiectus est clipeus fortium, clipeus Saul et Ionathe, quasi non sit unctus oleo? »; quarto eminentis iocunditatis quasi liberalem ad miserendum, Ps. « Iocundus homo qui miseretur et commodat », Ps. « Vnxit te Deus, Deus tuus, oleo letitie pre consortibus tuis ».

Item Christum ungit seruus deuotus : primo lacrimis compunctionis, Matth. VI[17] « Vnge caput tuum et faciem tuam laua »; secundo unguento deuotionis, Luce VII[46] « Hec autem unguento unxit pedes meos »; tertio oleo pure intentionis, Eccl. IX[8] « Omni tempore sint uestimenta tua candida, et oleum de capite tuo non deficiat »; quarto oleo laudis et gratiarum actionis, Gen. XXIX « Surgens Iacob mane sumpsit lapidem et erexit in titulum fundensque oleum desuper » etc.

Vos autem sacerdotes. Hic predicit materiam gaudii quantum ad hominum gloriam. Et circa hoc tria facit. Primo ostendit glorie perfectionem, quia gloriosi in spiritualibus : *sacerdotes*, quasi uitam sanctam sacerdotio dignam ducentes, sicut II Reg. VIII[18] de filiis Dauid, Sap. V[5] « Quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est »; gloriosi etiam in temporalibus : *fortitudinem*, id est reficiemini, sustentabimini fortitudine Persarum et Medorum; *superbietis*, exaltabimini, supra LX[5] « Quando conuersa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium uenerit tibi ». Mystice : apostoli sacerdotes, quasi gentium magistri, et fortitudine martyrum delectati.

Et assignat perfectionis rationem : *Pro confusione*, quasi : ex defectu spiritualium et temporalium confusionem habuistis; *laudabunt*, uicini uidentes, *partem*, recompensationem duplicium bonorum a Deo eis factam, Zach. IX[12] « Hodie quoque annuntians, duplicia reddam tibi ». Mystice : Ecclesia premia in bonis anime et corporis recipit pro duplici confusione de gentium et Iudeorum infidelitate.

Secundo tangit glorie durationem : *Letitia sempiterna.* Verum est quandiu in iustitia permanserint, sicut exponitur Ier. XVIII[7-10], supra XXXV[10] « Letitia sempiterna super capita eorum, gaudium et letitiam obtinebunt ». Et assignat rationem : *Quia ego Dominus.* Et est sensus : per hoc quod Dominus diligit iustitiam, dabit uobis ut sitis iusti, ut sic placeat sibi et faciet uobiscum pactum sempiterne letitie; *odio*, Eccli. XXXIV[24] « Qui offert sacrificium ex substantia pauperis, quasi qui uictimat filium suum in conspectu patris sui »; *fedus perpetuum*, Ier. XXXI[31] « Et feriam domui Israel et domui Iuda fedus nouum ».

Tertio glorie diuulgationem : *Et scietur.* Quod est referendum uel ad Iudeos qui fuerunt famosi de cultu religionis, uel ad semen spirituale apostolorum, Eccli. XLIV[13] « Vsque in eternum ».

Gaudens gaudebo. Hic populus promissionem suscipit et gratias agit. Et circa hoc duo. Primo exprimit in persona populi uel Ecclesie cordis gaudium : *Gaudens*, Abacuc III[18] « Ego autem in Domino gaudebo et exultabo in Deo Ihesu meo ». Secundo confitetur diuinum beneficium, et primo

62 pecora *coni. ex Glossa*] postea *codd.* 74 et Ionathe *om. Vulg.* 79 ungit] unxit F 87 sumpsit] tulit *Vulg.* 92 quasi] qui F 93 sicut...Dauid F] *om. cet.* 97 reficiemini] et *add.* F 105 uicini uidentes *inv.* Fπ 113 Verum est quandiu] unde est quod diu F 117 per] propter F 119 placeat...faciet] placeant...facient F uobiscum] uobis Fπ 120 odio *coni.*] a die *codd.* 128 Eccli. ...eternum F] *om. cet.* 130 duo] facit *add.* F

61 mystice... : *Glossa interlin.* « pascent : gentes de quibus multi predicatores...pecora : simplices »; item Hugo ' mystice ' ex Haym. (1044 B-C). 65 Cf. vers. 1. 76 Ps. CXI[5]. 77 Ps. XLIV[8]. 86 Gen. XXIX : rectius XXVIII[18]. 101 Mystice... : cf. *Glossa interlin.* 108 Mystice... : cf. *Glossa interlin.* ex Haym. (1043 B).

quia induit me uestimentis salutis et indumento iustitie circumdedit me quasi sponsum decoratum corona et quasi sponsam ornatam monilibus suis. 11 Sicut enim terra profert germen suum et sicut ortus semen suum germinat, sic Dominus Deus germinabit iustitiam et laudem coram uniuersis gentibus.

sub similitudine uestimentorum inquantum diuina beneficia protegunt a miseriis : *quia induit me <uestimentis> salutis*, supra LII[1] « Induere uestimentis » iocunditatis tue. Secundo sub similitudine ornamentorum inquantum ornant : *quasi sponsum.* Mystice, quantum ad perfectos in Ecclesia, uicem Christi agentes ; *sponsam*, quantum ad imperfectos, Baruc v[2] « Circumdabo te diployde ». Tertio sub similitudine germinum quantum ad fructum : *Sicut enim terra*, supra <xxxv[2]> « Germinans germinabit ».

133 Deo] domino Fπ 134 diuinum] dei F 135-138 uestimentorum...similitudine *hom. om.* π 136 a miseriis] *post* salutis Bo F (*def.* π) ; *et correximus spat. vac.* Bo F *om.* π 137 < uestimentis > *suppl.*] *om.* Bo F (*def.* π) 142 Baruc... diployde F] *om. cet.* 144 < xxxv > *suppl.*]

138 iocunditatis tue : ex Iudith x[3]. 140-142 Mystice... : cf. *Glossa interlin.* ex Haym. (1046 C).

CAPITVLVM LXII

[1] Propter Syon non tacebo et propter Ierusalem non quiescam, donc egrediatur ut splendor iustus eius et saluator eius ut lampas accendatur. [2] Et uidebunt gentes iustum tuum et cuncti reges inclitum tuum, et uocabitur tibi nomen nouum quod os Domini nominauit; [3] et eris corona glorie in manu Domini et diadema regni in manu Dei tui. [4] Non uocaberis ultra derelicta, et terra tua non uocabitur amplius desolata, sed uocaberis uoluntas mea in ea et terra tua inhabitata, quia complacuit Domino in te, et terra tua inhabitabitur. [5] Habitabit enim iuuenis cum uirgine, et habitabunt in te filii tui, et gaudebit sponsus super sponsam, gaudebit super te Deus tuus. [6] Super muros tuos Ierusalem constitui custodes; tota die et tota nocte perpetuo non tacebunt. Qui reminiscimini Domini ne taceatis [7] et ne detis silentium ei, donec stabiliat et donec ponat Ierusalem laudem in terra. [8] Iurauit Dominus in dextera sua et in brachio fortitudinis sue : Si dedero triticum tuum ultra cibum inimicis tuis, et si biberint filii alieni uinum tuum in quo laborasti.

Propter Syon. Hic promittit populo glorie honorem. Et primo ponitur prophete petitio; secundo Domini promissio : *Iurauit Dominus.* Circa primum duo : primo ipse petit; secundo alios ad petendum inducit : *Qui reminiscimini.*

Circa primum duo. Primo ipse petit ad hoc saluatoris ortum : *Propter Syon,* scilicet utilitatem uel amorem, *non tacebo* a precibus apud Deum; *saluator,* Cyrus; *ut splendor,* in gloria regni. Mystice : *non tacebo* a predicatione Christi propter contradictionem; *Syon,* regis; *Ierusalem,* sacerdotum; *saluator,* Christus, Dan. x[6] « Facies eius ut species ».

Secundo ostendit aduentus fructum. Primo quantum ad ciuitatis gloriam, promittens ipsam gloriam in tribus. In dignitate regis : *Et uidebunt,* admirantes et uenerantes, *iustum,* Christum uel Cyrum, Ps. « Viderunt omnes termini terre salutare Dei nostri ». In nouitate nominis : *et uocabitur,* more antiquorum qui ex nouis euentibus noua nomina imponebant, et hoc nomen postea exprimet. Mystice, Ecclesia, que prius Synagoga, Apoc. II[17] « Dabo illi calculum ». In munimine diuine protectionis : *et eris corona glorie,* quia gloriabitur in te Deus tuus sicut rex in corona regni, *in manu,* id est in protectione sua, Sap. V[17] « Accipiens regnum speciei ». Mystice : Ecclesia, quasi corona, Dei Filius a Patre coronatur. Et excludit ignominiam, in quo etiam nomen nouum exprimit : *Non uocaberis,* Ez. XXXVI[18] « Pro eo quod dicunt de uobis » etc.

Secundo quantum ad habitantium letitiam, et quantum ad pueros : *Habitabit iuuenis,* et quantum ad uiros perfectos : *et habitabunt,* et quantum ad coniugatos : *et gaudebit,* Ier. XXXIII[10] « Adhuc audietur in loco » etc. Mystice : *iuuenis cum uirgine,* caste sicut Maria cum Ioseph; *sponsus,* Christus; *sponsam,* Ecclesiam.

Tertio quantum ad edificiorum diligentem custodiam, que exprimitur II Esdre IV[17] « Vna manu » edificabant et alia pugnabant : *Super muros non tacebunt.* Loquitur secundum similitudinem uigilum qui custodiunt ciuitatem; uel per metaphoram designat diligentiam principum qui populum gubernauerunt, uel predicatores in Ecclesia, Apoc. IV[8] « Requiem non habebant clamantia : Sanctus, sanctus ».

Qui reminiscimini. Hic alios ad similem petitionem inducit : *ne taceatis* ab oratione; *ei,* Deo, I Tess. VI « Semper gaudete, sine intermissione orate ».

Iurauit. Hic Dominus promittit implere petitionem. Et primo quantum ad hostium propulsionem : *Si dedero,* supple ' non credatis michi ',

4 duo] facit *add.* F 6 duo] facit *add.* F ad hoc *post* saluatoris F 12 Christus *om.* F Dan. ...species F] *om. cet.* 23 Apoc. ... calculum F] *om. cet.* 24 et F] *om. cet.* 25 in te *ante* gloriabitur F 27 Accipiens] -ient *Vulg.* speciei *coni. ex Vulg.*] spei *codd.* 30 Non] et non F Ez. ...etc. F] *om. cet.* 34 et[1] *om.* Fπ 35 Ier. ...etc. F] *om. cet.* XXXIII Adhuc *scripsi.*] 32 ad hoc F (*def. cet.*) 36 iuuenis cum uirgine] iuuenes et uirgines F 37 sicut F] sunt *cet.* 42 tacebunt *coni.*] -ebo *codd.* 46 habebant] -bunt Fπ 49 ab oratione *coni.*] alia(aliqua F) ratione *codd.*

3 Vers. 8. 5 Vers. 6. 10 Mystice... : cf. *Glossa interlin.* ex Haym. (1047 A-B). 18 Ps. XCVII[2]. 36 Mystice... : cf. *Glossa interlin.* 50 VI : rectius V[16-17]. 54 supple... : cf. Hugo « Si dedero : id est non dabo. Vel aposiopisis est, quasi non credatis mihi de cetero si hoc fecero ultra ».

[9] Quia qui congregabunt illud comedent et laudabunt Dominum, et qui comportant illud bibent in atriis sanctis meis. [10] Transite, transite per portas, preparate uiam populo, planum facite iter et eligite lapides; et eleuate signum ad populos, [11] ecce Dominus auditum fecit in extremis terre; dicite filie Syon : Ecce saluator tuus uenit, ecce merces eius cum eo et opus illius coram illo. [12] Et uocabunt eos populus sanctus, redempti a Domino; tu autem uocaberis ciuitas quesita et non derelicta.

Prou. XXVIII[19] « Qui operatur terram » et non comedit fructum ex ea. Secundo quantum ad captiuorum liberationem, quantum ad preparationem uie : *Transite*, uos nuntii Cyri et Darii; *lapides*, impedimenta, Ier. L[26] « Tollite de uia lapides »; uel uos, custodes murorum : predicatores. Quantum ad concessionem letitie : *eleuate signum*, edictum Cyri ut omnes redirent, uel *signum* crucis, supra XI[12] « Leuabit signum in nationibus ». Et quantum ad retributionem iustitie : *dicite filie*, plebi Iudeorum; *saluator*, Deus uel Cyrus; *merces*, ut uobis bona et hostibus mala reddantur. Mystice de aduentu Christi ad iudicium, supra XL[9-10] idem. Tertio, ibi *Et uocabunt*, ponit liberatorum honorem qui in magna fama sanctitatis habebantur, propter beneficia eis prestita, supra I[26] « Post hoc uocaberis ». Mystice, de Ecclesia et populo christiano.

Nota super illo uerbo *Propter Syon non tacebo*, quod sancti non tacent primo propter accensum desiderium, Ier. XX[9] « Et factum est in corde meo uerbum Domini quasi ignis estuans »; secundo propter euidens uerum, Act. V « Non enim possumus que uidimus »; tertio propter iniunctum officium, I Cor. IX[16] « Necessitas michi incumbit, ue enim michi est si non euangelizauero »; quarto propter expectatum premium, Gal. ult. « Bonum enim facientes non deficiamus : tempore enim suo metemus non deficientes ».

Item super illo uerbo *donec egrediatur ut splendor*, quod Christus splendet primo Patris ymagine, Hebr. I[3] « Cum sit splendor glorie et figura substantie eius »; secundo sanctorum lumine, Ps. « In splendoribus sanctorum ante luciferum genui te »; tertio glorie plenitudine, Matth. XVII[2] « Resplenduit facies eius sicut sol »; quarto doctrine rectitudine, supra LX[3] « Ambulabunt gentes in lumine tuo et reges in splendore ortus tui ».

60 predicatores] id est *praem.* F 68 supra XL idem F] *om. cet.* 71 supra...uocaberis F] *om. cet.* 82 enim *om.* F

59 impedimenta...lapides : cf. Hugo. 73 Cf. vers. 1. 77 Act. V : rectius IV[20]. 81 Gal. VI[9]. 84 Cf. vers. 1. 88 Ps. CIX[3].

CAPITVLVM LXIII

[1] Quis est iste qui uenit de Edom tinctis uestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis sue. Ego qui loquor iustitiam et propugnator sum ad saluandum.

Quis est iste. Hic incipit tangere discretionem malorum a bonis in consecutione promisse salutis. Et diuiditur in partes tres : in prima introducit iudicem quasi ad discernendum ; in secunda proponit iudici petitionem, ibi *Miserationum* ; in tertia iudex pronuntiat sententialiter discretionem, LXV cap. *Quesierunt me.* Circa primum duo : in prima mouetur questio de persona iudicis, in secunda de qualitate habitus : *Quare ergo rubrum?* Circa primum duo. Primo ponit questionem, secundo responsionem : *Ego qui loquor.* Sciendum autem quod omnes sancti communiter hoc exponunt de Christo ; et questio ista est angelorum, qui quidem ad plenum misteria incarnationis Christi non intelligebant, et ideo quasi ignorantes quesierunt, secundum quod dicit Ieronimus. Cui contrarium uidetur dicere Augustinus Super Genesim, ubi dicit quod angeli a principio creationis sue cognouerunt omnia que ipse erat facturus, siue rerum rationes seminales rebus indiderit, siue apud se tantum retinuerit ut fierent, quamuis rebus inesset ut fieri possent ; et sic uidetur quod huiusmodi misteria cognouerint.

Ad quod soluit Glosa Eph. III[8], super illud ' Michi autem omnium sanctorum ' etc., et dicit quod maiores cognouerunt, sed minores, quorum est uox ista, ignorauerunt. Dyonisius tamen aliter uidetur dicere, VII cap. Celestis ierarchie ; uult enim quod hec questio sit supremorum angelorum qui a Deo immediate illuminationes recipiunt, unde eis immediate respondetur a Deo : *Ego qui loquor*, quamuis ipsi propter reuerentiam Christi a se inuicem quererent, sicut discipuli expectantes magistri responsionem. Quamuis autem supremi angeli sciuerint huiusmodi misteria quantum ad substantiam facti, tamen quantum ad particulares circumstantias non perfecte sciebant ; unde etiam melius uidentur a superiori intellectu perfecto, scilicet diuino, quam angelico : unde super hoc magis illuminari querebant ut perfectius intelligerent.

Mirantur autem tria. Primo uictoriosum aduentum : *qui uenit*, in celum, *de Edom*, mundo : interpretatur enim sanguineus uel terrenus ; *de Bosra*, inferno prius munito custodia demonum. Bosra quandoque est nomen proprium cuiusdam ciuitatis in terra Moab, quandoque nomen appellatiuum et est idem quod terra uel urbs munita : unde frequenter ponitur pro terra Ydumea munita montibus, hic autem pro Ierusalem, uel inferno. *Vestibus*, id est membris corporeis, *tinctis* sanguine passionis, supra XXXIV[5] « Ecce super Ydumeam descendet et super populum interfectionis mee ad iudicium ». Secundo mirantur in ipso decorum aspectum : *Iste formosus*, a formo, calidum, et sic est aliquis formosus qui propter calorem excitatur ; uel a forma, et sic dicitur formosus propter figuram, id est debitam commensurationem membrorum ; *in stola*, habitu humanitatis, I Petri I[12] « In quem desiderant angeli prospicere ». Tertio cunctantur uirtuosum incessum : *gradiens* in celum, non auxilio angelico sed sua uirtute, quod hactenus inauditum, Hebr. I[3] « Portans omnia uerbo uirtutis sue ».

Ego. Hic ponit responsionem ; et ostendit se iudicem : *qui loquor iustitiam*, id est qui habeo auctoritatem ' iudicium gentibus proferendi ', supra XLII[1] ; doctorem, supra XLV[19] « Ego Dominus loquens iustitiam » ; et saluatorem : *et propugnator* contra demones *ad saluandum* genus humanum, Exo. XV[2] « Fortitudo mea et laus mea Dominus, et factus est michi in salutem », eodem

5 iudici F] indicit *ante* proponit Bo *om.* π 7 duo] facit *add.* F *praem.* Bo 23 cognouerint] -runt Fπ 35 sciuerint] -runt Fπ 55 formo *coni. (cf. Isid.)*] *an potius* foruo? *(cf. Papias)* forma *codd.* 10 duo] facit *add.* F 22 inesset] inessent Fπ 23 uidetur] non 38 melius *coni.*] minus *codd.* 51 tinctis *coni. ex Vulg.*] tinctus *codd.* 64 uerbo] in uerbo Fπ 68 supra XLII doctorem F] *om. cet.*

5 Vers. 7. 9 Vers. 2. 16 Ieronimus : hic (610 D ; 721). 17 *De Gen. ad litt.* V c.19 n.38 (PL 34, 334 ; CSEL 28-1, 162). 24 *Glossa marg.* et Petri Lomb. (PL 192, 190 D) ex Haym. (PL 117, 715 A). 28 cap.7 § 3 (PG 3, 209 B ; Dion. 853-56). 36 substantiam... circumstantias : cf. Thomas *Super Sent.II* d.11 q.2 a.5. 40 ut perfectius... : cf. Albertus *In Dion. De div. nom.* cap.13 n.32 (Ed. Colon., t. 37-1, p. 450). 45-50 Bosra...inferno : cf. *Glossa marg.* ex Haym. (1052 A). 55 a formo : cf. Isid. *Etym.* X n.100 « Formosus a formo... » (PL 82 377 B) ; Papias « Formosus a foruo quod est calidum » (p. 124 a). 59 habitu humanitatis : *Glossa interlin.* ex Haym. (1052 C). 69 propugnator...genus humanum : *Glossa interlin.* ex Haym. (1053 A). 72 eodem : Exod. XV[2].

[2] Quare ergo rubrum est indumentum tuum et uestimenta tua quasi calcantium in torculari? [3] Torcular calcaui solus, et de gentibus non est uir mecum; calcaui eos in furore meo et conculcaui eos in ira mea; et aspersus est sanguis eorum super uestimenta mea, et omnia indumenta mea inquinaui. [4] Dies enim ultionis in corde meo, annus redemptionis mee uenit. [5] Circumspexi, et non erat auxiliator; quesiui, et non fuit qui adiuuaret. Et saluauit michi brachium meum, et indignatio mea ipsa auxiliata est michi. [6] Et conculcaui populos in furore meo et inebriaui eos in indignatione mea et detraxi in terram uirtutem eorum. [7] Miserationum Domini recordabor,

« Dominus quasi uir pugnator, omnipotens nomen eius ».

Nota super illo uerbo *Iste formosus*, quod Christus est formosus primo quia rutilans splendore diuinitatis, Hebr. I[3] « Cum sit splendor glorie et figura substantie eius »; secundo quia figuratus conformitate unionis, Ps. « Speciosus forma pre filiis hominum »; tertio quia distinctus diuerso colore uirtutis, Cant. V[10] « Dilectus meus candidus et rubicundus »; quarto quia uestitus honestate conuersationis, Iob XL[5] « Esto gloriosus et speciosis induere uestibus ».

Quare ergo rubrum? Hic ponit secundam questionem de habitu. Et primo ponit questionem : *Quare ergo?*, ac si diceret : Huiusmodi sanguinis insignia non iusti sed iniqui deferre consueuerunt, non saluatores sed potius occisores; *quasi calcantium* : est enim uinum rubrum in partibus illis, quod tingit in modum sanguinis, Zach. III[8] « Indutus erat ». Secundo ponit responsionem : *Torcular*. Et primo assignat ruboris rationem, secundo prosequitur totum rei ordinem : *Dies ultionis*.

Circa primum tria. Primo narrat singularem uictoriam : *Torcular*, scilicet crucem, in qua pondere passionis pressus, hostes *calcaui solus*, patiens et uincens; *et de gentibus non est uir mecum* in auxilium, quia eo relicto omnes fugerunt. Et dicit signanter *uir*, propter beatam Virginem in qua fides numquam defecit, Cant. I[18] « Botrus cipri dilectus meus michi in uineis Engadi », Tren. I[15] « Torcular calcaui ». Secundo tangit hostium uindictam : *calcaui eos*, demones, uel Iudeos; furor : ira accensa, Ps. « Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem ». Tertio quasi concludit ruboris causam : *et aspersus est sanguis*, meus, quia de corpore meo exiens, *eorum*, quia eorum potestati concessus ad effundendum. Loquitur secundum similitudinem uictoris, cuius uestes cede inquinantur, supra X « Vestimentum mixtum sanguine »; *inquinaui*, eorum reputatione.

Dies ultionis. Hic prosequitur totum rei ordinem. Et primo ponit temporis congruitatem : *ultionis*, quantum ad demones; *retributionis*, quantum ad iustos quorum merces usque tunc dilata erat, supra XXXIV[8] « Dies ultionis Domino ». Secundo proponit salutis necessitatem : *Circumspexi et non erat auxiliator*, humano generi, qui posset ipsum saluare, supra LIX[16] « Vidit quia non est uir »; uel *non erat auxiliator*, michi in cruce, Iob XIX[13] « Fratres mei elongauerunt a me, et noti mei recesserunt a me », Ps. « Considerabam ad dexteram et uidebam, et non erat qui cognosceret me », Eccli. LI[10] « Circumdederunt me undique ». Tertio salutis impletionem : *Et saluauit*, id est salutem resurrectionis fecit michi, uel salutem humani generis, *brachium*, uirtus, Ps. « Saluauit sibi dexteram eius, et brachium sanctum eius ». Quarto uindicte expositionem : *Et conculcaui populos*, Iudeos per Romanos; *inebriaui*, repleui afflictione : *eorum*, Iudeorum et demonum, supra XXIII[9] « Dominus exercituum tetigit hoc ».

Posset autem exponi totum ad litteram, ut induceretur Dominus metaphorice quasi ueniens ad delendos diuersos populos hostes Iudeorum, et precipue Ydumeos, secundum modum metaphoricum qui habitus est supra LIX[17] « Indutus est iustitia ut lorica ».

Miserationum Domini. Hic propheta iudici, qui iustitiam locuturus et impleturus uenit, petitionem porrigit. Et primo inclinat ipsum ad pietatem;

82 rubicundus] inter ubera mea commorabitur *add. codd.* (*ex* Cant. I[12]) 91 Zach. ...erat F] *om. cet.* 100 fugerunt] fugierunt Fπ 103 Engadi] egadij F egady π 104 Tren. ...calcaui F] *om. cet.* calcauj] -auit *Vulg.* 107 et[2] *om.* Bo 112 uictoris] luctoris F 119 Domino] -ini *Vulg.* 122 supra...uir F] *om. cet.* 127 Eccli. ...undique F] *om. cet.* 130 dexteram] -era *Vulg.* 135 tetigit] cogitauit *Vulg.* 135 hoc *om.* F 136 exponi] hic *praem.* F 137 Dominus] domus Fπ 140 indutus] -uctus Bo

75 Cf. vers. 1. 79 Ps. XLIV[5]. 90 in partibus illis : cf. Hugo. 106 ira accensa : cf. supra cap. 13, 78. Ps. XC[13]. 113 supra X : rectius IX[5]. 114 eorum reputatione : cf. Hugo. 117 retributionis : ita Hugo, Guerricus (ms., f.145 vb) cum Ω^M; « redemptionis » cet. 125 Ps. CXLI[5]. 130 Ps. XCVII[1]. 132 populos...demonum : *Glossa interlin.* ex Haym. (1055 B). 135 tetigit : « cogitauit » *Vulg.* ut supra 47, 14.

laudem Domini super omnibus que reddidit nobis Dominus et super multitudine bonorum domui Israel que largitus est eis secundum indulgentiam suam et secundum multitudinem misericordiarum suarum. [8] Et dixit : Verumptamen populus meus est, filii non negantes, et factus est eis saluator. [9] In omni tribulatione eorum non est tribulatus, et angelus faciei eius saluauit eos. In dilectione sua et in indulgentia sua ipse redemit eos et portauit eos et leuauit eos cunctis diebus seculi. [10] Ipsi autem ad iracundiam prouocauerunt et afflixerunt spiritum Sancti eius. Et conuersus est eis in inimicum et ipse debellauit eos. [11] Et recordatus est dierum seculi Moysi populi sui. Vbi est qui eduxit eos de mari cum pastoribus gregis sui ? Vbi est qui posuit in medio eius spiritum Sancti sui, [12] qui eduxit ad dexteram Moysen brachio maiestatis sue, qui scidit aquas ante eos ut faceret sibi nomen sempiternum, [13] qui eduxit eos per abyssos quasi equum in deserto non impingentem,

<secundo> porrigit petitionem, LXIV cap. *Vtinam dirumperes*. Prima in duas : in prima inclinat ad pietatem commemorans pristina beneficia que defecerunt ; in secunda, pericula que incurrerunt : *Quare errare*. Circa primum duo. Primo proponit intentum : *que reddidit*, pro nostris meritis tam in bonis quam in malis pene ; *bonorum*, que gratis dedit, Eccli. LI[11] « Memoratus sum misericordie tue Domine ». Secundo prosequitur propositum.

Et primo commemorat beneficia quantum ad euasionem periculorum, commemorans singularem electionem : *Et dixit*, scilicet Deus : *Verumptamen*, quamuis ipsi contra me essent, *non negantes*, scilicet Abraam, uel *non negantes*, quia saltem fidem meam tenent, Exo. XV[2] « Fortitudo mea et laus mea Dominus ». Et quantum ad diligentem protectionem : *In omni tribulatione* ; et ipse *est tribulatus* per compassionem, uel *non est* statim sed distulit etiam nunc, ut quasi corrigerentur ; *et angelus faciei*, id est faciem meam uidens, *saluauit*, quasi dux eorum per desertum, Exo. XXXII[34] « Duc populum istum », Ps. « Angelis suis mandauit de te ut custodiant te in omnibus uiis tuis ». Et quantum ad paternam dilectionem : *In dilectione redemit*, ab Egypto ; *portauit*, in deserto ; *leuauit*, id est extulit super alios in terra promissionis, Osee XI[1] « Puer Israel ».

Secundo tangit beneficia quantum ad remissionem culparum. Et primo ponit culpam : *Ipsi autem* ; *spiritum eius*, scilicet Dei, uel *sancti*, Moysi, per diuersa iurgia, Ps. « Et uexatus est Moyses propter eos, quia exacerbauerunt spiritum eius ». Secundo ponit penam : *Et conuersus est*, scilicet Deus, Tren. II[5] « Factus est Dominus uelut inimicus », Iob XXX[21] « Mutatus est michi in crudelem ». Tertio ponit indulgentiam : *Et recordatus* tandem *Moysi*, qui pro eis orauit, Exo. XXXII[32] « Aut dimitte eis, aut dele me de libro in quo me scripsisti », Ps. « Memor fuit in seculum testamenti eius, uerbi quod mandauit in mille generationes ».

Nota super illo uerbo *Torcular calcaui*, quod de torculari crucis fluxit primo sanguis ad redimendum, I Petri I[18-19] « Non corruptibilibus auro uel argento redempti estis de uana uestra conuersatione, sed pretioso sanguine Ihesu Christi » ; secundo aqua ad emundandum, Ps. « Eduxit aquam de petra », Ez. XXXVI[25] « Effundam super uos aquam mundam » ; tertio oleum ad sanandum, Iob XXIX[6] « Petra fundebat michi riuos olei » ; quarto mel ad consolidandum, Deut. XXXII[13] « Vt sugeret mel de petra » ; quinto uinum ad confortandum, Prou. III[10] « Vino torcularia redundabunt ».

Vbi est qui e..uxit ? Hic plangit eadem beneficia eis subtracta. Et primo plangit beneficiorum defectum : *Vbi est qui eduxit ?*, Moyses uel Deus ; *cum pastoribus*, Maria et Aaron, Sap. XI[1] « Deduxit eos in manibus ». *Vbi est, spiritum sancti sui ?*, Moysi, quod legitur Num. XI, *ad dexteram*, prospere ; ubi est spiritus *qui scidit*, Ps. «Qui diuisit mare Rubrum in diuisiones », et ubi est *qui eduxit quasi equum <non impingentem>*, scilicet

145 <secundo> *suppl.*] et F *om.cet.* 145-147 porrigit...pietatem F] *hom.om.cet.* 145 LXIV *scripsi.*] C.4. F *(def.cet.)* 147 pristina *om.* F 148 pericula] particula Fπ 149 duo] facit *add.* F 162 tribulatus *coni.*] tⁱ Bo π cui F 165 Exo. ...istum F] *om. cet.* 171 Osee... Israel F] *om. cet.* 176 spiritum] speciem Fπ 178 II] 3 et F 179 Iob...in crudelem(intᵉ F) *scripsi. cum* F] *om. cet.* 182 in quo me] tuo quem *Vulg.* 183 fuit] fui Fπ 184 eius] sui *cum Vulg.* Fπ 188 redempti *scripsi. cum Clem.*] corrupti *codd.* 190 emundandum *coni.*] mundandum π emendandum *cet.* 201 Sap. ...manibus F] *om. cet.* Deduxit eos (*cf.* Sap. X[17])] Direxit opera eorum *Vulg.* 203 Moysi] scilicet *praem.* F 204 qui scidit] *ante* ubi est *codd. ; et correximus* scidit] scindit Fπ 206 < non impingentem > *suppl.*] *om. codd.*

149 Vers. 17. 161 est...uel non est... : cf. Hier.(615 A ; 726) et expositores. 166 Ps. XC[11]. 175 Ps. CV[23]. 183 Ps. CIV[5]. 185 Cf. vers. 3. 189 Ihesu : « quasi agni immaculati » Ω *Clem.* 190 Ps. LXXVII[16]. 200-204 qui eduxit...prospere : cf. Hugo et *Glossa interlin.* 204 Ps. CXXXV[13].

14 quasi animal in campo descendens, spiritus Domini ductor eius fuit. Sic adduxisti populum tuum ut faceres tibi nomen glorie. 15 Attende de celo et uide de habitaculo sancto tuo et solio glorie tue; ubi est zelus tuus et fortitudo tua, multitudo uiscerum tuorum et miserationum tuarum? Super me continuerunt se. 16 Tu enim pater noster, et Abraham nesciuit nos et Israel ignorauit nos; tu Domine pater noster et redemptor noster, a seculo nomen tuum. 17 Quare errare nos fecisti Domine de uiis tuis, indurasti cor nostrum ne timeremus te? Conuertere propter seruos tuos, tribus hereditatis tue. 18 Quasi nichilum possederunt populum sanctum tuum, hostes nostri conculcauerunt sanctificationem tuam. 19 Facti sumus quasi in principio, cum non dominareris nostri, neque inuocaretur nomen tuum super nos.

sine impedimento, *descendens* inoffenso cursu; *eius*, populi, Sap. XIX[7] « Et in mari Rubro uia sine impedimento », Prou. III[23] « Ambulabunt fiducialiter », Iudicum VI[13] « Vbi sunt mirabilia eius ? ».

Secundo inclinat iudicis affectum. Et primo petit audientiam : *Attende de celo*, III Reg. VIII[32] « Tu exaudies de celo ». Secundo prouocat ad misericordiam : *Vbi est zelus?* quo dilexisti nos, Ps. « Vbi sunt misericordie tue antique Domine », Iob XII[15] « Si continuerit aquas ». Tertio proponit miserendi causam : *Tu enim pater noster, Abraam nesciuit nos*, adhuc uiuus, quia nec nos tunc eramus ; uel etiam modo nolens orare pro nobis quia non inuocamus ipsum; uel, secundum Augustinum, quia mortui etiam sancti nesciunt quid agatur erga uiuos : sed hoc intelligendum est quantum ad uirtutem cognitionis humane, non quantum ad irradiationem diuini luminis, Deut. XXXII[6] « Ipse enim est pater tuus qui possedit te, fecit te et creauit te ».

Quare errare? Hic proponit mala que incurrerunt. Et primo quantum ad mala culpe : *errare de uiis*, mandatis, *fecisti*, permittendo, non immittens gratiam et non corrigens; *indurasti*, permisisti, Ro. VIII « Cuius uult miseretur et quem uult indurat ».

Secundo proponit mala pene. Et primo petit misericordiam : *Conuertere* de ira ad misericordiam, *propter seruos*, patres nostros, Ps. « Conuertere Domine usquequo et deprecabilis esto super seruos tuos », Tren. ult. « Conuerte nos Domine et conuertemur, innoua dies nostros sicut a principio ». Secundo proponit miseriam quantum ad seruitutem : *Quasi nichilum*, id est sine resistentia, supra XXVI[18] « Domine Deus noster, possederunt nos domini absque te »; quantum ad sanctorum profanationem : *et hostes nostri*, I Mach. II[8] « Sancta in manu »; quantum ad honoris pristini amissionem : *Facti sumus*, sine rege sine templo, *in principio*, in Egypto, uel etiam ante uocationem Abraam, Ier. XIII « Tu autem in nobis es Domine, et nomen sanctum tuum inuocatum est super nos, ne derelinquas nos, Domine ».

207 inoffenso cursu *coni. cum Gl. interl.*] in offenso curru *codd.* 209 Prou. ...eius F] *om. cet.* Ambulabunt] -abis *Vulg.* 212 III Reg. ... celo *hom. om.* F 213 celo] sancto tuo *add. codd.* (*ex* Ps. XIX[7]) 216 Iob...aquas F] *om. cet.* 219 nolens] uolens Fπ 237 Conuerte] -rtere Fπ 242 quantum] qui F *om.* π 243 et *om. Vulg.* 244 I Mach. II...manu F] *om. cet.* 250 Domine] s. *add. codd.* (*exp.* sBo)

215 Ps. LXXXVIII[50]. 220 uel... : cf. *Glossa interlin.* et Hugo. 221 Augustinum : cf. *De cura pro mortuis* cap. 15 n. 18 (PL 40, 605). 231 Ro. VIII : rectius IX[18]. 234 de ira...nostros : cf. Hugo. 235 Ps. LXXXIX[13]. 237 Thren. V[21]. 247 Ier. XIII : rectius XIV[9].

CAPITVLVM LXIV

[1] Vtinam disrumperes celos et descenderes! A facie tua montes defluerent, [2] sicut exustio ignis tabescerent, aque arderent igni, ut notum fieret nomen tuum inimicis tuis; a facie tua gentes turbarentur. [3] Cum feceris mirabilia, non sustinebimus. Descendisti, et a facie tua montes defluxerunt. [4] A seculo non audierunt neque auribus perceperunt; oculus non uidit, Deus, absque te que preparasti expectantibus te; [5] occuristi letanti et facienti iustitiam, in uiis tuis recordabuntur tui. Ecce tu iratus es, et peccauimus; in ipsis fuimus semper, et saluabimur. [6] Et facti sumus ut immundus omnes nos, quasi pannus menstruate uniuerse iustitie nostre.

Vtinam dirumperes. Hic porrigit petitionem. Et primo petit iudicis presentiam; secundo petit misericordiam: *Ecce tu iratus.* Circa primum duo: primo ponit petitionem; secundo petitionis impletionem: *Descendisti.* Circa primum duo. Primo petit iudicis aduentum: *dirumperes.* Figuratiue loquitur quasi super celos habitanti; uel: exinanires temet ipsum, despiciens maiestatem, et carnem assumeres, Ps. « Inclina celos tuos et descende ».

Secundo ponit aduentus effectum in creaturis insensibilibus, scilicet in montibus: *A facie tua montes*, quasi dicat: non sustinentes presentiam tuam, si tibi placeret; uel *montes*, potentes et superbi, supra XXXIV[3] « Tabescent montes » in fortitudine sua; in aquis: *aque arderent*, quia totus igneus es, si uelles, Sap. XVI[19] « Quodam tempore aqua super uirtutem ignis exardebat »; uel per ' aquas ', populi, Apoc. XVI « Aque multe, populi multi ». Secundo effectum in hominibus, et primo in gentibus: *a facie tua*, Ps. « Turbabuntur gentes »; *a facie tua*, ad litteram commouebuntur; uel referendum ad conuersionem gentium post Christi aduentum. Secundo in Iudeis: *Cum feceris, non sustinebimus*, id est nos qui consueti sumus uidere et audire, pre stupore, sicut territi fuerunt Exo. XX[18], unde Hebr. XII[19] « Excusauerunt se » etc.; uel *non sustinebimus* aduentum credentes, etiam uisis miraculis.

Descendisti. Hic ponit petitionis impletionem. Et primo quantum ad aduentum: *Descendisti*, ad iudicandum nos: preteritum pro futuro; uel in uterum Virginis. Vel melius, secundum litteralem sensum, ponit effectus probationem, quasi dicat: si modo descenderes, hec contingerent que etiam contigerunt quando descendisti ut liberares populum tuum de Egypto, Exo. IV, Ps. « Inclinauit celos et descendit, et caligo sub pedibus eius ».

Secundo quantum ad effectum. Primo in miraculis: *a facie tua montes*, scopuli Arnon, Num. XXI[14-15], Ps. « Montes exultauerunt »; mystice: Iudei, uel demones. Secundo in beneficiis, et primo ponit beneficiorum magnitudinem: *A seculo non audierunt*, quia numquam similia uisa uel audita qualia Deus Iudeis fecit, et sanctis in gloria faciet, I Cor. II[9] « Oculus non uidit nec auris audiuit et in cor hominis non ascendit que preparauit Deus diligentibus se ». Secundo quantum ad benefaciendi promptitudinem: *occurristi letanti* in auxilium, dum adhuc erat in petendo uel ueniendo ad te; *letanti* in te, Sap. VI[17] « Dignos se sapientia ». Mystice: Simeoni, Luce II.

Ecce tu iratus. Hic ponit misericordiam. Et primo ostendit petendi necessitatem, secundo porrigit petitionem: *Et nunc Domine.* Circa primum duo. Primo ostendit necessitatem ex eminentia mali quantum ad culpam, tum ex malorum perpetratione: *Ecce tu iratus, et peccauimus*: preposterus ordo, ideo iratus quia peccauimus, *et* tamen *saluabimur* tua misericordia, supra LIX[12] « Scelera nostra »; et quantum ad bonorum imperfectionem: *Et facti sumus; uniuerse iustitie*, quia aliis peccatis inuoluti, Iob IX[30] « Si lotus fuero quasi aquis niuis ». Et quantum ad

3 duo] facit *add.* F 5 duo] facit *add.* F 12 insensibilibus F] sensibilibus *cet.* 27 unde...etc. F] *om. cet.* 31 quantum π] quod *cet.* 36 contigerunt] contingerunt Fπ 40 Arnon] amon Fπ 41 Ps. ...exultauerunt F] *om. cet.* 51 Sap. ...sapientia F] *om. cet.* 56 duo] facit *add.* F 61 supra...nostra F] *om. cet.* 64 lotus] locutus Fπ

3 Vers. 5. 5 Vers. 3. 9 Ps. CXLIII[5]. 19 Apoc. XVI: rectius XVII[15]; cf. supra cap.17, 137 in nota. 21 Ps. LXIV[3]. 32 uel...: *Glossa interlin.* 37 Ps. XVII[10]. 41 Ps. CXIII[1]. 42 mystice...: cf. *Glossa interlin.* 48 diligentibus se: « his qui diligunt illum » Ω *Clem.* 52 Mystice...: cf. *Glossa interlin.* Luc. II[21-22]. 59 preposterus ordo...: Haymo (1063 A) ex Hier. (623 C; 736).

Et cecidimus quasi folium uniuersi, et iniquitates nostre quasi uentus abstulerunt nos. [7] Non est qui inuocet nomen tuum, qui consurgat et teneat te. Abscondisti faciem tuam a nobis et allisisti nos in manu iniquitatis nostre. [8] Et nunc Domine pater noster es tu, nos uero lutum; et fictor noster, et opera manuum tuarum omnes nos. [9] Ne irascaris Domine satis et ne ultra memineris iniquitatis nostre; ecce Domine respice, populus tuus omnes nos. [10] Ciuitas sancti tui facta est deserta, Syon deserta facta est, Ierusalem desolata. [11] Domus sanctificationis nostre et glorie nostre, ubi laudauerunt te patres nostri, facta est in exustionem ignis, et omnia desiderabilia nostra uersa sunt in ruinas. [12] Nunquid super hiis continebis te Domine, tacebis et affliges nos uehementer?

penam : *Et cecidimus*, interfecti, uel a statu dignitatis ; *abstulerunt* a terra nostra, Iob XIII[25] « Contra folium quod a uento rapitur, ostendis potentiam tuam ».

Secundo ostendit necessitatem quantum ad defectum auxilii. Et primo humani : *Non est qui inuocet et teneat te*, precibus, Cant. III[4] « Teneo eum, nec dimittam » ; secundo diuini : *Abscondisti faciem tuam* misericordie tue, *in manu*, id est in opere, iuxta illud « Mors et uita in manu », Prou. XVIII[21], Deut. XXXII[20] « Abscondam faciem meam ab eis ».

Et nunc Domine. Hic ponit misericordiam. Et circa hoc duo facit. Primo petit misericordiam, assignans rationem : *pater noster es tu*, Ier. XVIII[6] « Sicut lutum in manu figuli, sic nos in manu Dei », Iob X[9] « Memento queso quod sicut lutum feceris me ». Et porrigit petitionem : *Ne irascaris satis*, id est nimis, uel secundum quod merita nostra exigunt, Ps. « Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, cito anticipent nos misericordie tue ». Secundo proponit miseriam : *ecce Domine, omnes nos* sumus ; *sancti*, id est sanctuarii, templi scilicet Ierusalem, Tren. I[10] « Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia ». Et miratur patientiam : *Numquid super*, Abacuc I[13] « Quare respicis super iniquitates nostras ? ».

Nota super illo uerbo *que preparasti diligentibus te*, quod Deus preparat sanctis primo locum eterne quietis, Io. XIV[2] « Si quo minus dixissem uobis quia uado parare uobis locum » ; secundo regnum eterne dignitatis, Matth. XXV[34] « Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod uobis paratum est ab origine mundi » ; tertio mensam diuine refectionis, Ps. « Parasti in conspectu meo mensam » ; quarto lucernam eterne luminis, Ps. « Paraui lucernam christo meo ».

Item nota super illo *quasi pannus menstruate uniuerse iustitie*, quod opus iustitie immundatur inquinamento primo mortalis macule, Eccli. XLVII[22] « Dedisti maculam in gloria tua » ; secundo commisse negligentie, Ier. XLVIII[10] « Maledictus homo qui facit opus Domini negligenter » ; tertio intentionis peruerse, Matth. VI[22] « Si oculus tuus » <fuerit simplex> ; quarto insurgentis superbie, supra LVII[13] « Omnes eos auferet uentus ».

67 a *om.* Fπ 71 Teneo] tenui *Vulg.* 73 manu *coni. ex comm.*] manus *codd.* 74 manu] domini *add. codd.* ; *et delevimus* 75 XVIII] 16 F XVI π 75 XXXII] 22 F XXII π 87 sumus *om.* Fπ 88 scilicet] sic licet F id est π 92 preparasti] preparauit deus Fπ 93 te] se Fπ 93 Deus] pater *add.* F preparat sanctis *inv.* F 103 quod...iustitie *hom.om.* F 107 negligenter] fraudulenter *Clem.* 109 <fuerit simplex> *suppl. ex Clem.*] scandalizat te abscide eum et propice abs te *add. codd* (*ex* Matth. V[29])

83 satis...exigunt : cf. Hugo. 84 Ps. LXXVIII[8]. 91 iniquitates nostras : « iniqua agentes » *Clem.* 92 Cf. vers. 4. 97 percipite : « possidete » Ω *Clem.* regnum...ab origine : ita August. *De Serm. Domini* II c.11 n.38 (PL 34, 1286 ; CCL 35, 128) ; « paratum vobis regnum a constitutione » *Clem.* 99 Ps. XXII[5]. 100 Ps. CXXXI[17]. 102 Cf. vers. 6.

CAPITVLVM LXV

[1] Quesierunt me qui ante non interrogabant, inuenerunt qui non quesierunt me. Dixi : Ecce ego, ecce ego ad gentem que nesciebat me et que non inuocabat nomen meum. [2] Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in uia non bona post cogitationes suas, [3] populus qui ad iracundiam prouocat me ante faciem meam semper, qui immolant in ortis et sacrificant super lateres, [4] qui habitant in sepulchris et in delubris ydolorum dormiunt, qui comedunt carnem suillam et ius prophanum in uasis eorum, [5] qui dicunt : Recede a me, non appropinques michi, quia immundus es. Isti fumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die. [6] Ecce scriptum est coram me : Non tacebo,

Quesierunt. Hic iudex, scilicet Deus, dat sententiam de discretione malorum a bonis in perceptione salutis promisse. Et diuiditur in partes duas : in prima pronuntiat sententiam discretionis, in secunda determinat modum executionis, cap. LXVI *Hec dicit Dominus*. Circa primum duo. Primo promittit responsionem, ostendens respondendi opportunitatem : *Quesierunt*, quasi dicat : hactenus uos Iudei non querebatis a me sed ab ydolis ; ex quo queritis, respondebo. Mystice de conuersione gentium, Ro. x[20] « Inuentus sum a non querentibus ». Et ponit promissionem : *Dixi : Ecce ego ad gentem*, respondebo scilicet Iudeis ; uel *ad gentes* conuersas, conuertar, Cant. VIII « Ego dilecto meo et dilectus meus michi ».

Secundo sententiat discretionem : *Expandi manus*. Et primo sententiat discretionem malorum a bonis, propter peccata transgressionis, secundo propter peccata omissionis : *Et qui dereliquistis*. Prima in duas : in prima comminatur malis supplicia, in secunda promittit bonis premia : *Hec dicit Dominus*. Circa primum duo : primo arguit transgressionis culpam, secundo comminatur penam : *Isti fumus erunt*.

Culpam ipsorum arguit ex tribus. Primo ex beneficiorum ingratitudine : *Expandi*, dando multa beneficia, *tota die*, toto tempore ex quo eos michi assumpsi ; mystice in cruce ; Ier. XVI[12] « Vnusquisque ambulat » uiam non bonam. Secundo ex peccandi continuitate : *populus* ; *ante faciem*, quia « omnia nuda et aperta sunt oculis eius », Hebr. IV[13], uel quia in templo ydolum ponebant, Deut. XXXII[21] « Ipsi me prouocauerunt in eo qui non est Deus ». Tertio ex peccatorum diuersitate uel grauitate, quantum ad quatuor.

Primo quantum ad cultum ydolorum : *qui immolant* ydolis, *in ortis*, quia in locis uoluptuosis ydola colebant, *super lateres*, super altaria ex lateribus constructa, ut ignem sacrificii sustinere possent, supra I[29] « Confundentur ab ydolis suis ». Secundo quantum ad studium diuinationum : *qui habitant in sepulcris*, ut habeant responsiones a mortuis, *et delubris*, templis ydolorum, a diluendo dictis quia ibi putabant omnia ablui, uel propter fontes qui ibi erant ad abluendas hostias et sacerdotes ; *dormiunt*, super pelles hostiarum ad diuinandum, Ez. VI[6] « Conterentur delubra uestra ». Tertio quantum ad immunditiam ciborum : *qui comedunt* ; *et ius prophanum*, porcinum, infra ult. « Qui comedebant carnem suillam et abhominationem et murem simul consumentur ». Quarto quantum ad contemptum iustorum : *qui dicunt*, scilicet non adorantibus ydola, Sap. II[15] « Grauis est nobis » ; uel *qui dicunt* Deo, Iob XXI[14] « Qui dicunt Deo : Recede a nobis, scientiam uiarum tuarum nolumus ».

Isti fumus erunt. Hic comminatur penam. Et primo pene diuturnitatem : *fumus*, id est sicut fumus igne consumitur, et incendentur ira mea, Deut. XXXII[22] « Ignis succensus est in furore meo et ardebit usque ad inferni nouissima ». Secundo punitionis certitudinem : *Ecce scriptum est*, quia firmiter in memoria peccatum et in prefinitione pena ; *non tacebo*, dissimulans, Ier. XVII[1] « Peccatum

6 duo] facit *add.* F 22 duo] facit *add.* F 27 eos michi *inv.* F 33 Ipsi *scrips.*] ipse *codd.* qui *scrips.*] quod cui F cui *cet.* 37 in ortis] mortis Fπ 41 quantum] quod Bo 43 diluendo] diludendo pBo deludendo π 51 consumentur] -muntur Fπ 53 scilicet non *coni.*] siue Bo F s̄n̄ π Sap. ...nobis *scrips.cum* F] *om.cet.* 59 consumitur] -muntur Bo incendentur] -deretur F -ditur (vel -detur) π

13 ad gentes : ita Hugo cum Ω^{MS}. 14 Cant. VIII : rectius VI[2]. 19 Vers. 11. 22 Vers. 8. 24 Vers. 5. 43 a diluendo...uel... : cf. Hugo ex Haym.(1066 B). 46 super pelles... : *Glossa interlin.* ex Haym. (1066 B). 49 infra ult. : LXVI[17].

set reddam et retribuam in sinu eorum [7] iniquitates uestras et iniquitates patrum uestrorum simul, dicit Dominus, qui sacrificauerunt super montes et super colles exprobrauerunt michi; et remetiar opus eorum primum in sinu eorum. [8] Hec dicit Dominus : Quomodo si inueniatur granum in botro et dicatur : Ne dissipes illud quoniam benedictio est, sic faciam propter seruos meos ut non disperdam totum. [9] Et educam de Iacob semen et de Iuda possidentem montes sanctos meos ; et hereditabunt eam electi mei, et serui mei habitabunt ibi ; [10] et erunt campestria in caulas gregum, et uallis Achor in cubile armentorum populo meo qui requisierunt me. [11] Et uos qui derelequistis Dominum, qui obliti estis montem sanctum meum, qui ponitis Fortune mensam et libatis super eam, [12] numerabo uos in gladio, et omnes in cede corruetis. Pro eo quod uocaui et non respondistis, locutus sum et non audistis, et faciebatis malum in oculis meis, et que nolui elegistis, [13] propter hoc, hec dicit Dominus Deus : Ecce serui mei comedent, et uos esurietis ; ecce serui mei bibent, et uos sitietis. [14] Ecce serui mei letabuntur, et uos confundemini ; ecce serui mei laudabunt pre exultatione cordis, et uos clamabitis pre dolore cordis et pre contritione spiritus ululabitis. [15] Et dimittetis nomen uestrum in iuramentum electis meis, et interficiet te Dominus Deus, et seruos suos uocabit nomine alio, [16] in quo qui benedictus est super terram benedicetur in Domino amen, et qui iurat in terra iurabit in Deo amen. Quia obliuioni tradite sunt angustie priores et quia abscondite sunt ab oculis nostris.

Iude scriptum est », supra XLII[14] « Tacui, semper silui ». Tertio penarum multitudinem, quia pro omnibus peccatis patrum : *sed reddam*, Exo. XX[5] « Ego sum Deus zelotes, uisitans peccata patrum in filios » ; *exprobrauerunt*, adorando ydola in excelsis ; et pro peccatis etiam iuuentutis ipsorum : *et remetiar*, quasi commensurabo penam culpe, supra XL[2] « Recepit de manu Domini duplicia ».

Hec dicit Dominus. Hic promittit bonis premia. Et primo quantum ad conseruationem a malis : *granum* uue ; *benedictio*, id est placet Deo ut pro benedictione reseruetur ; *propter seruos*, patres nostros ; *totum*, genus Iudeorum, supra XVII[5] « Erit sicut congregans » racemos in uindemia. Secundo quantum ad promotionem in bonis. Et primo quantum ad seminis multiplicationem : *Et adducam de Iacob*, supra I[9] « Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus ». Secundo quantum ad hereditatis paterne restitutionem : *et hereditabunt*, Ez. XXXVI[12] « Hereditate possidebunt te et eris hereditas eorum ». Tertio quantum ad pascuorum ubertatem : *et erunt campestria et uallis Achor*, ab illo denominata qui ibi lapidatus, Iosue VII[24-26], Osee II[15] « Dabo eis uallem Achor ad aperiendam spem ».

Et uos qui dereliquistis. Hic discernit malos a consolatione bonorum propter peccata omissionis. Et primo comminatur malis supplicia, secundo <promittit> bonis premia : *Quia obliuioni*. Circa primum duo. Primo comminatur eis quia Deum dereliquerunt, ponens culpam : *Et uos*, Iudei ; *Fortune*, deo Egyptiorum, *mensam* : tangit ritum quo colebatur, quia in fine anni parabatur sibi mensa omnibus cibis referta, Deut. XXXII[15] « Dereliquerunt Deum factorem suum et receserunt a Deo salutari suo » ; ponens etiam penam : *numerabo*, quasi dicat : ut nullus remaneat quin opprimatur, Ier. XLIV[12] « Cadent in gladio et fame ».

Secundo quia reuocanti non obedierunt, ponens culpam : *Pro eo quod uocaui*, Prou. I[24] « Vocaui et renuistis ». Et comminatur discretionis penam. Primo in satietate corporis : *propter hoc hec dicit Dominus*, Ps. « Diuites eguerunt et esurierunt, inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono ». Secundo in letitia cordis : *Ecce serui mei letabuntur*, Sap. V[3] « Penitentiam agentes ». Tertio in diuersitate nominis, et primo ponit quale futurum sit nomen impiorum : *Et dimittetis in iuramentum*, ut confirment dicta sua sic : si non est ita, ita accidat michi sicut illis, Ier. XLIV[12] « In gladio et fame morientur, et erunt in iusiurandum et in miraculum et in maledictionem et in opprobrium ». Et deinde ponit quale sit futurum nomen bonorum : *et seruos* ; *in quo*, scilicet nomine, Ihesus est nomen ; *amen*, fideliter, supra LXII[2] « Vocabitur tibi nomen nouum quod os Domini nominauit ».

Quia obliuioni. Hic promittit uisa premia. Et

94 <promittit> *suppl.*] *om. codd.* 95 duo] facit *add.* F 101 Deo *om.* Fπ 107 renuistis] accipere disciplinam *add. codd.* (*ex* Ier. V[3]) 112 Sap. ...agentes *scripsi. cum* F] *om. cet.* 117 iusiurandum *Clem.*] -do *codd.*

71 quasi... : cf. Hugo et *Glossa interlin.* 94 Vers. 16. 97 tangit ritum... : cf. Hier. (639 B ; 754) et expositores. 109 Ps. XXXIII[11].

[17] Ecce enim ego creo celos nouos et terram nouam; et non erunt in memoria priora et non ascendent super cor, [18] sed gaudebitis et exultabitis usque in sempiternum in hiis que ego creo. Quia ecce ego creo Ierusalem exultationem et populum eius gaudium. [19] Et exultabo in Ierusalem et gaudebo in populo meo, et non audietur in ea ultra uox fletus et uox clamoris. [20] Non erit ibi amplius infans dierum et senex qui non impleat dies suos, quoniam puer centum annorum morietur, et peccator centum annorum maledictus erit. [21] Et edificabunt domos et inhabitabunt et plantabunt uineas et comedent fructus earum; [22] non edificabunt domos, et alius habitabit; non plantabunt, et alius comedet. Secundum enim dies ligni erunt dies populi mei, et opera manuum eorum inueterabunt. [23] Electi mei non laborabunt frustra neque generabunt in conturbatione, quia semen benedictorum Domini est et nepotes eorum cum eis. [24] Eritque antequam clament, ego exaudiam, adhuc illis loquentibus ego exaudiam. [25] Lupus et agnus pascentur simul, et leo et bos comedent paleas, et serpenti puluis panis eius. Non nocebunt neque occident in omni monte sancto meo, dicit Dominus.

primo in generali quantum ad amotionem malorum : *Quia obliuioni*, non defectu cognitionis sed successione bonorum, supra LIV[4] « Confusionis adolescentie tue obliuisceris »; et quantum ad restaurationem bonorum : *Ecce enim ego creo celos nouos*, noua de celo auxilia, *terram nouam*, noua de terra beneficia, uel ad diem iudicii quando mundus ad gloriam sanctorum innouabitur, Apoc. XXI[4] « Prima abierunt ».

Secundo in speciali : *Quia ecce ego creo Ierusalem*, Et primo quantum ad cordium iocunditatem : *Ierusalem*, terrestrem, sed magis celestem; <*exultationem*, id est> exultantem, emphatice, ut tota gaudio sit absorpta, supra XXXV[10] « Gaudium et letitiam obtinebunt, et fugiet ab eis dolor et gemitus ».

Secundo quantum ad uite diuturnitatem : *Non erit amplius qui non impleat*, ante tempus moriens, sed *puer morietur centum annorum*, id est quando peruenerit ad talem etatem; *et* si sit *peccator*, quamuis tantum uixerit, maledictioni subiacebit; Gen. XXV[8] « Mortuus est Abraam in senectute bona ». Mystice, in celesti Ierusalem omnes dies suos implebunt, quia nullus morietur; *puer centum annorum*, id est qui usque ad etatem senectutis pueriliter uixit *morietur* morte eterna, Sap. IV[8] « Senectus enim uenerabilis est, non diuturna, neque numero annorum computata ».

Tertio quantum ad bonorum prosperitatem, tum quantum ad securitatem possessionum : *Et edificabunt*, Ez. « Et edificabunt domos », Amos ult. « Plantabunt uineas »; et assignat rationem : *Secundum enim dies*, id est quia diu uiuens sicut diu durat lignum arboris, *inueterabunt*, id est usque ad uetustatem in usum eorum remanebunt, Ps. « Erit tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum ». Tum quantum ad pacem filiorum : *Neque generabunt in conturbatione*, quasi generantes filios in seruitutem hostium, Eccli. XLIV[11] « Cum semine ipsorum perseuerant bona ».

Quarto quantum ad precum exauditionem : *Eritque antequam clament*, ore, supra XXX[19] « Ad uocem clamoris tui statim ut audierit, respondebit tibi ».

Quinto quantum ad pacis tranquillitatem : *Lupus et agnus*, quia qui prius tyrampni et malefactores, pacifice cum aliis morabuntur, supra XI[6] idem.

136 <exultationem id est> *suppl. (cf. Hugo)*] *om. codd.* 154 possessionum] passionum Fπ 155 Ez. *coni.*] p̄s. F *om. cet.* Et...domos] *hic et rep. post* uineas F *post* uineas *cet.* 155 edificabunt] -cauerunt *prima uice* F 161 aquarum] supra *add.* pBo supra 49 in uacuum laborauerunt *add.* F *sed falso nec ad rem* 172 super XI idem F] *om. cet.*

136 exultationem...emphatice : ita Hugo. 155 Ez. XXVIII[26]. 156 Amos IX[14]. 160 Ps. I[3].

CAPITVLVM LXVI

[1] Hec dicit Dominus : Celum sedes mea et terra scabellum pedum meorum. Que est ista domus quam edificabitis michi? et quis est iste locus quietis mee? [2] Omnia hec manus mea fecit, et facta sunt uniuersa ista, dicit Dominus. Ad quem autem respiciam nisi ad pauperculum et contritum spiritu et tremente[m] sermones meos? [3] Qui immolat bouem quasi qui interficiat uirum ; qui mactat pecus quasi qui excerebret canem ; qui offert oblationem quasi qui sanguinem suillum offerat ; qui recordatur thuris quasi qui benedicat ydolo. Hec omnia elegerunt in uiis suis, et in abhominationibus suis anima eorum delectata est. [4] Vnde et ego eligam illusiones eorum et que timebant adducam eis. Quia uocaui, et non erat qui responderet ; locutus sum, et non audierunt ; feceruntque malum in oculis meis et que nolui elegerunt. [5] Audite uerbum Domini, qui tremitis ad uerbum eius. Dixerunt fratres uestri odientes uos et abicientes propter nomen meum : Glorificetur Dominus, et uidebimus in letitia uestra ; ipsi autem confundentur.

Hec dicit Dominus. Hic determinat modum executionis dicte sententie. Et primo specialiter quantum ad Iudeos, secundo uniuersaliter quantum ad omnes : *Ego autem opera eorum et cogitationes.* Prima diuiditur in duas : in prima excludit falsam confidentiam ; secundo proponit et determinat datam sententiam quantum ad modum executionis : *Audite uerbum Domini.*

Circa primum duo. Primo excludit falsam fiduciam a templi sanctitate, ostendens templum non esse Dei locum : tum ex Dei magnitudine qui omnia implet, cuius *Celum sedes* dicitur quia multum participat de bonitatibus ipsius, sicut sedes magnam partem sedentis habet, *terra scabellum*, quia terra minimum participat de bonitatibus ipsius, sicut extrema pars ad scabellum peruenit ; uel per ' celum ' sanctos, per ' terram ' terrenos, III Reg. VIII[27] « Si celum et celi celorum non te capiunt », Ier. XXIII[24] « Celum et terram ego impleo », Act. XVII[24] « Non in manufactis templis ». Tum ex quiete, quia in loco quiescit unumquodque cuius est locus ; Deus autem non quiescit in aliquo sed omnia in ipso sicut ab ipso facta : *et quis est locus?*, supra XL[26] « Leuate in excelsum ». Et dat utile remedium : *Ad quem autem ; pauperculum*, id est humilem qui se paruum reputat quantum ad presentia, *contritum* de peccatis preteritis, *trementem* quantum ad propositum de futuris faciendis, Eccli. XV[20] « Oculi eius ad timentes eum ».

Secundo excludit confidentiam quam conceperant ex ritu sacrificiorum. Et primo ponit ipsorum reprobationem : *Qui immolat bouem*, ac si diceret : ita sunt abhominabilia ipsorum sacrificia, ac si aliquid contra legem facerent, quia eadem ydolis offerebant ; *qui benedicat*, laudat et ueneratur, supra I[13] « Ne offeratis ultra sacrificium ». Secundo ostendit reprobationis rationem, primo ponens culpam : *Hec omnia elegerunt*, scilicet sacrificia, ambulantes *in uiis suis* malis, Prou. II[14] « Letantur cum male fecerint, et exultant in rebus pessimis » ; secundo comminatur penam : *Vnde et ego*, Prou. III[34] « Illusores ipse deludet », Iob III[25] « Timor quem timebam euenit michi, et quod uerebar accidit ». Tertio arguit peccantium duritiam : *Quia uocaui*, Prou. I[24] « Vocaui et renuistis ».

Audite uerbum Domini. Hic exequitur modum executionis dicte sententie. Et primo quantum ad premia bonorum, secundo quantum ad supplicia malorum : *Et cognoscetur.* Prima in duas. Primo excitat attentionem : *qui tremitis*, ex reuerentia uerborum ipsius, Eccli. II[8] « Qui timetis Dominum, credite illi » ; secundo prosequitur promissionem. Et primo quantum ad uindictam de irrisoribus, ponens eorum irrisionem : *Dixerunt fratres uestri : Glorificetur*, quasi dicat : appareat gloria Domini quam expectatis, quasi dicat : numquam apparebit, supra V[26] « Festinus uelociter ueniet, non est deficiens neque laborans in eo » ; et predicens eorum confusionem : *ipsi autem*

5 duas] partes *add.* F 9 duo] facit *add.* F 12 cuius F] *om. cet.* 19 Celum *om.* Fπ 20 Act. ...templis(-i F) *scrips. cum* F] *om. cet.* 24 supra...excelsum(-sis F) *scrips.cum* F] *om. cet.* 38 ponens] proponens F 40 ambulantes] alios *add. codd. ; et delevimus* 56 uestri] nostri Fπ

4 Vers. 18. 8 Vers. 5. 36 laudat... : *Glossa interlin.* et Hugo. 50 Vers. 14.

[6] Vox populi de ciuitate, uox de templo, uox Domini reddentis retributionem inimicis suis. [7] Antequam parturiret peperit, antequam ueniret partus eius peperit masculum. [8] Quis audiuit unquam tale, et quis uidit huic simile? Nunquid parturiet terra in die una, aut parietur gens simul, quia parturiuit et peperit Syon filios suos? [9] Nunquid ego qui alios parere facio ipse non pariam? dicit Dominus; si ego qui ceteris generationem tribuo sterilis ero? ait Dominus Deus tuus. [10] Letamini cum Ierusalem et exultate in ea, omnes qui diligitis eam; gaudete cum ea gaudio, uniuersi qui lugetis super eam, [11] ut sugatis et repleamini ab uberibus consolationis eius, ut mulgeatis et deliciis affluatis ab omnimoda gloria eius. [12] Quia hec dicit Dominus: Ecce ego declinabo super eam quasi flumen pacis, et quasi torrentem inundantem gloriam gentium quam sugetis; ad ubera portabimini et super genua blandietur uobis. [13] Quomodo si cui mater blandiatur ita ego consolabor uos, et in Ierusalem consolabimini. [14] Videbitis, et gaudebit cor uestrum et ossa uestra quasi herba germinabunt. Et cognoscetur manus Domini seruis eius, et indignabitur inimicis suis. [15] Quia ecce Dominus in igne ueniet,

confundentur, hoc modo quia *Vox populi* timentis, *uox Domini*, quantum ad hostium tumultus, Soph. I[14] « Vox diei Domini amara ».

Secundo exequitur promissionem quantum ad bonorum habundantiam. Et primo ad populi readunationem, ponens promissionem : *Antequam parturiret*, id est subito et simul filii Ierusalem congregabuntur ad ipsam, sicut si mulier subito filium pareret non precedente partu, supra XXXVII[3] « Venerunt filii usque ad partum ». Mystice exponitur de partu beate Virginis, et de partu Ecclesie in conuersione fidelium, et de parturitione eterne generationis. Et inducit admiratiuam questionem : *Quis audiuit umquam talia?*, supra XLIX[21] « Quis genuit michi? »; et ponit responsionem ex persona Domini : *Numquid ego, non pariam?*, congregans Iudeos, uel fideles conuertens; uel Filium ab eterno. Simile, Ps. « Qui plantauit aurem non audiet, aut qui finxit oculum non considerat? ». Et hec argumenta tenent si illud quod est perfectionis in creaturis attribuatur, remoto omni eo quod imperfectionis est.

Secundo promittit congregatis immensam consolationem. Et primo inuitat alios ad congratulationem : *Letamini cum Ierusalem, in ea* sicut in obiecto gaudii, ponens condicionem congratulantium quantum ad affectum : *qui diligitis*, Cant. V[1] « Comedite amici et bibite et inebriamini carissimi »; quantum ad affectus signum : *qui lugetis*, Matth. V[5] « Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur »; et congratulationis fructum quantum ad participationes letitie uel pacis : *ut sugatis*, Cant. I[1] « Meliora sunt ubera tua uino »; quantum ad participationem glorie : *ut mulgeatis*, quasi mulgentes lac, Iob XXII[26] « Tunc super Omnipotentem deliciis affluues ».

Secundo promittit copiosam collationem pacis : *Quia hec dicit Dominus: Declinabo*, ut uocetur redundantia, sicut fluuius descendens cum magno impetu uenit nec redundat; et glorie : *et quasi torrentem*, supra XLVIII[18] « Facta fuisset sicut flumen ».

Tertio promittit consolationis plenam perceptionem. Primo quantum ad gentium administrationem : *quam sugetis*, id est *gloriam gentium*, quia ipsi reges gentium consolabuntur et sustentabunt uos, unde sequitur : *ad ubera*. Mystice : loquitur de apostolis, qui in gloriam gentium uelociter conuersarum delectati sunt et eas quasi ad ubera blandis ammonitionibus portauerunt, supra LX[16] « Suges lac ». Secundo quantum ad diuinam protectionem : *Quomodo si cui mater*, Hebr. XII[5] « Obliti estis consolationis ». Tertio quantum ad bonorum fruitionem : *Videbitis* bona a Deo uobis data; *ossa*, uos qui in aduersitate sicut ossa atida eratis, Ez. XXXVII[4] « Ossa arida, audite uerbum Domini ». Vel *Videbitis* diuinam essentiam, Eccl. XI[7] « Dulce lumen et delectabile oculis uidere solem »; *ossa*, in resurrectionem.

Et cognoscetur. Hic promittit malis supplicia. Et primo comminatur penam, ponens iudicis indignationem : *manus*, affligens impios, in *seruis*; uel *manus* consolationis in *seruis* per effectum, supra XXVIII « Indignatio non est michi ». Ponit etiam pene magnitudinem : *Quia ecce Dominus in igne*, quo ciuitas comburenda erat, uel quo

61 quia F] *om. cet.* 74 supra...michi *scripsit cum* F] *om. cet.* 88 et bibite *om.* Fπ 92 participationes] -onem F 93 ubera] uerba Fπ 95 mulgentes π] mungentes Bo inungentes F 101 supra...flumen(fluu. F) *scripsit cum* F] *om. cet.* 105 id est *coni.*] in *codd.* 106 consolabuntur] -bunt F 110 supra...lac F] *om. cet.* 124 XXVIII] XXVI π 26 F

70 Mystice... : cf. *Glossa interlin.* ex Haym. (1078 B). 77 uel Filium... : *Glossa interlin.* 78 Ps. XCIII[9]. 107-110 Mystice... : cf. *Glossa interlin.* ex Haym. (1080 A). 124 XXVIII : rectius XXVII[4].

et quasi turbo quadrige eius reddere in indignatione furorem suum et increpationem suam in flamma ignis ; [16] quia in igne Dominus diudicabitur et in gladio suo ad omnem carnem, et multiplicabuntur interfecti a Domino. [17] Qui sanctificabantur et mundos se putabant in ortis post unam intrinsecus, qui comedebant carnem suillam et abhominationem et murem, simul consumentur, dicit Dominus. [18] Ego autem opera eorum et cogitationes eorum uenio ut congregem cum omnibus gentibus et linguis, et uenient et uidebunt gloriam meam. [19] Et ponam in eis signum, et mittam ex eis qui saluati fuerint ad gentes in mare, in Affricam, in Lydiam, tenentes sagittam, in Ytaliam et Greciam, ad insulas longe, ad eos qui non audierunt de me et non uiderunt gloriam meam, et annuntiabunt gloriam meam gentibus. [20] Et adducent omnes fratres uestros de cunctis gentibus donum Domino in equis et quadrigis et in lecticis et in mulis et in carrucis ad montem sanctum meum Ierusalem, dicit Dominus, quomodo si inferant filii Israel munus in uase mundo in domum Domini. [21] Et assumam ex eis in sacerdotes et leuitas, dicit Dominus. [22] Quia sicut celi noui et terra noua que ego facio stare coram me, dicit Dominus, sic stabit semen uestrum et nomen uestrum. [23] Et erit mensis ex mense et sabbatum ex sabbato.

mundus purgandus ; *quadrige*, exercitus Caldeorum in quo quasi uenit Deus, uel angeli qui cum ipso ad iudicium uenient, Ps. « Ignis ante ipsum precedet », Amos IX[10] « Gladio Dei peribunt ». Ponit etiam punitorum multitudinem : *multiplicabuntur*, supra XXXIV[6] « Victima enim Domini in Bosra et interfectio magna in terra Edom ».

